



1817
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE
LAW
SCHOOL

COMPENDIUM
JURIS CANONICI
AD USUM CLERI CANADENSIS

DE PERSONIS

AUCTORE

Jos.-N. GIGNAC

SACRÆ THEOLOGIÆ ET JURIS CANONICI DOCTORE ET PROFESSORE
IN UNIVERSITATE LAVALLENSI

EDITIO ALTERA

AB AUCTORE RECOGNITA ET DECRETIS RECENTIORIBUS LOCUPLETATA



QUEBECI
J.-P. GARNEAU, Bibliopola
via vulgo *De la Fabrique*, No 6

EX TYPIS "LA CIE DE L'ÉVÉNEMENT"
1906

IMPRIMATUR

† L.-N., ARCHIEP. QUEBECEN.

Quebeci, die 5ª Februarii 1901.

Cum ex Seminarii Quebecensis præscripto recognitum fuerit opus cui titulus est *Compendium Juris Canonici ad usum cleri Canadensis, auctore Jos.-N. Gignac, Sacræ Theologiæ et Juris Canonici doctore et professore in Universitate Lavallensi,* nihil obstat quin typis mandetur.

O.-E. MATHIEU, Pter,
S. S. Q.

MONITUM AD BENEVOLUM LECTOREM

Præsentes lectiones Juris Canonici quas a pluribus annis in facultate theologica Universitatis Lavallensis tradidimus, in lucem edere statuimus. Non desunt compendia Juris Canonici in aliis regionibus scriptis mandata, sed scholis nostris insufficienter accommodantur, sive quia materiam canonicam prolixius exponunt, sive quia jus missionum et jus particulare omittunt. Multa tamen deprompsimus ex operibus Reverendissimi D. Icard : " Prælectiones Juris Canonici S. Sulpicii ", D. Bargilliat : " Prælectiones Juris Canonici ", et clarissimi Prof. G. Sebastianelli, in Universitate S. Apollinaris, cujus prælectionibus attendimus ; imo ingenue fatemur quidquid in hoc opere refertur ex peritorum scientia fuisse depromptum.

Indulta generalia quæ episcopis hujus regionis Sacra Congregatio de Propaganda Fide solet elargiri, decreta conciliorum provincialium, quasdam dispositiones juris civilis, quæ ad præsentem materiam spectant, retulimus ; imo nobis opportunum visum est, ob affinitatem inter utramque Ecclesiam particularem, allegare plura tertii concilii plenarii Baltimorensis decreta, quæ, Romæ coram commissione S. R. E. Cardinalium redacta, luculenter innuunt mentem Ecclesiæ circa territoria Missionum.

Quoad materiæ distributionem, sequimur ordinem logicum quem innuit materia: unde disseritur 1⁰ de Personis, 2⁰ de Rebus, 3⁰ de Judiciis et Pœnis.

In hoc primo volumine, post brevem dissertationem circa naturam, fontes et evolutionem Juris Canonici, exposuimus quæ ad personas potissimum referuntur. In secundo volumine ad quod sumus operam daturi, de rebus, judiciis et pœnis disserendum erit.

Dignetur Deus, et ejus Immaculata Parens, hoc opus ad majorem sui gloriam et Ecclesiæ Canadensis utilitatem referre, tironibus scholæ Juris et aliis clericis ad prolixiora opera Juris Canonici viam sternere.

Seminarii Quebecensis,
die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, 1901.

PRÆFATIO AD ALTERAM EDITIONEM

A prima nostri Compendii Juris Canonici publicatione edita fuerunt decreta primi concilii provinciæ Marianopolitanæ, quorum plura disciplinam aliquantulum modificant; quædam exierunt constitutiones disciplinares Sanctæ Sedis, præsertim Normæ secundum quas S. Congregatio Episcoporum et Regularium procedere solet in approbandis novis institutis votorum simplicium. Præsentem editionem *De Personis* recentioribus decretis accommodare sategimus. Prætereundum non est Excellentissimum Delegatum Apostolicum venerabiles archiepiscopos et episcopos Provinciæ Canadensis ad quoddam concilium plenarium convocasse: ad cujus mentem ut satisfaciendum esset institutæ fuerunt theologorum commissiones quæ decreta futura præpararent. Cum totam innovationem disciplinarem, si quæ sit futura, a decretis tertii concilii Baltimorensis, cura Sanctæ Sedis præparati, vix recessuram opinemur, plures dispositiones hujus concilii pro opportunitate materiæ retulimus. Præsentem editionem tum alumnis cum etiam clericis profuturam enixe efflagitamus.

Die Conceptionis Immaculatæ Beatæ Mariæ Virginis, 1905.

INTRODUCTIO AD JUS CANONICUM

Expositioni juris canonici præmittuntur breves notiones circa naturam et divisionem juris, fontes juris ecclesiastici, collectiones legum et jus nationale.

CAPUT I

DE NATURA ET DIVISIONE JURIS

1. **Jus, si objective sumatur,** 1⁰ modo significat id quod justum, seu id quod legi naturali, divinæ vel humanæ consentaneum est; 2⁰ modo sumitur pro sententia judicis; 3⁰ modo designat complexum legum quas legislator condidit ad regimen societatis cujus curam habet.

Jus, si *subjective* sumatur, significat legitimam facultatem aliquid faciendi vel omittendi, aut obligandi alterum ad aliquid faciendum vel omittendum. Definitur : " Legitima facultas moralis qua quis aliquid facere vel habere ita potest ut nemini absque aliqua injuria illam violare liceat." *Konings, Theologia Moralis, De jure et justitia, num.* 584.

1⁰ Est *facultas;* hæc, secundum communem usum loquendi, significat potestatem qua aliquid habetur ad nutum, seu ad arbitrium.

2⁰ Est *moralis* facultas, quia non consistit in physica vi, nec violentia alterius minui potest.

3⁰ Est facultas qua quis aliquid *facere vel habere potest,* quia materia juris sunt *actiones* et *res.*

4⁰ Est facultas quam *nemini absque aliqua injuria violare licet;* secus facultas illa foret inutilis.

5⁰ Est facultas *legitima,* id est, secundum legem.

2. **Jus, objective sumptum, dividitur in naturale et positivum.** Jus naturale definitur : " Ordinatio rationis per sapientiam divinam facta et per lumen rationis a Deo omnibus manifestata, præcipiens ea quæ sunt rationi consentanea, contraria prohibens, permittens indifferentia." *Schmalzgrueber, diss. proem., num.* 54.

1⁰ Jus naturale complectitur omnia præcepta moralia quæ evidentem habent bonitatem, ita ut opposita moralem inordinationem ad regulam morum, seu malitiam evidentem contineant.

2⁰ Jus positivum est illud quod pendet a libera voluntate superioris, scilicet Dei vel hominis : unde est *positivum divinum* vel *positivum humanum.*

Jus divinum positivum est illud quod Deus statuit et per se vel per suos ministros promulgavit; subdividitur in *jus divinum vetus et novum.*

Jus positivum humanum est illud quod homines, a Deo accepta potestate, condiderunt et promulgarunt ; subdividitur in *jus civile* et in *jus ecclesiasticum* seu *canonicum,* prout a societate civili vel ecclesiastica originem ducit.

3. **Jus canonicum definitur :** " Complexio legum quas ecclesiastica potestas proposuit, constituit aut approbavit ad bonum societatis spiritualis regimen." *Prælectiones Juris Can. Sti Sulpicii, vol. I, n.* 2.

Dicitur 1⁰ *complexio legum,* i. e. codex legum ;

2⁰ *Quas ecclesiastica potestas:* hoc omnino necessarium est, ita ut lex inter canones sacros non recenseatur, nisi ab ecclesiastica auctoritate procedat ; unde quidquid principes sæculares statuerunt, remanet intra limites juris civilis, quoadusque Ecclesia statutum adoptet suumque faciat illud approbando ;

3⁰ *Proposuit, constituit aut approbavit :* hæc tria referuntur ad modum quo leges ecclesiasticæ inducuntur. Sunt plura in Corpore Juris quæ fuerunt a divina revelatione tradita, et quæ Ecclesia *proposuit,* v. g. definitiones fidei ; hæc sane ad jus divinum potiusquam ad disciplinam ecclesiasticam referuntur, et tamen merito in jure ecclesiastico continentur ob propositionem factam ab Ecclesia et pœnas quibus ea sancivit. Sunt multo plura quæ ecclesiastica potestas, pro ratione temporum et locorum, *præscripsit,* canones condendo quibus determinavit quid agendum vel omittendum sit. Tandem alia sunt quæ Ecclesia ab initio non præscripsit, sed consensu tacito *approbavit* et inter regulas canonicas enumerari permisit ;

4⁰ *Ad bonum societatis spiritualis regimen :* quia ad alium finem non ordinatur ecclesiastica potestas.

4. **Jus canonicum multipliciter dividitur :**

1⁰ *Ratione objecti,* distinguitur *jus publicum* a *jure privato. Jus publicum* est complexio legum determinantium jura et officia Ecclesiæ tanquam perfectæ societatis ; ad jus Ecclesiæ publicum referuntur dissertationes de origine, constitutione et forma Ecclesiæ. *Jus privatum* complectitur leges quæ determinant jura et officia privatorum.

2⁰ *Ratione subjecti,* distinguitur in *jus commune* et in *jus particulare. Jus commune* dicitur quod viget pro Ecclesia universali et obligat omnes Christi fideles ; *jus particulare* est illud quod pro certo loco aut certis tantum personis latum est : ideoque distinguitur in *nationale, provinciale* et *diœcesanum,* prout latum fuit pro natione, provincia vel diœcesi.

3⁰ *Ratione modi* quo inducitur, dividitur in *jus scriptum* et *consuetudinem. Jus scriptum* dicitur illud quod fuit a legislatore directe statutum ; *consuetudo* est jus diuturnis moribus populi introductum et aliquo consensu superioris firmatum.

4⁰ *Ratione temporis*, canonistæ distinguunt *jus antiquum*, *jus novum*, *jus novissimum*. Ad *jus antiquum* referuntur leges quæ prodierunt a prioribus sæculis usque ad Decretum Gratiani (1151); ad *jus novum*, ea quæ prodierunt ab hac ætate usque ad concilium Tridentinum (1564), quæ continentur in Corpore Juris Canonici; ad *jus novissimum*, ea quæ prodierunt a concilio Tridentino inclusive usque ad nostra tempora.

5. **Jus Canonicum differt a theologia dogmatica et a theologia morali,** quamvis idem sit objectum materiale. Theologia dogmatica de fide, rebusque divinis universim disserit ut statuat regulam credendi, quid contra fidem pugnet, quantum opinio quælibet sanæ fidei congruat vel adversetur; theologia moralis, motivo generalis bonitatis atque malitiæ, versatur circa virtutes omnes ac vitia: spectat primario ac præcipue forum internum et tractat actiones omnes, sive respectum habeant ad societatem, sive non; jus canonicum rationem habet officiorum quæ in ecclesiastica societate præstanda sunt ut fideles pie et honeste conversentur: ideo respicit fideles, habita ratione ad communitatem ecclesiasticam, et forum externum maxime intuetur. *Vecchiotti, Institutiones Canonicæ, vol. I, p. 4.*

6. **Quod autem ad ejus necessitatem attinet,** scientia juris canonici necessaria est primo clericis. Hi enim juris discendi necessitate tenentur tum ratione præcepti, tum ratione muneris clericalis. " Nulli sacerdotum liceat canones ignorare ", dixit Cœlestinus Pontifex; plures sunt ecclesiasticæ leges quibus clerici jubentur canonum sibi scientiam comparare. Deinde ratione muneris, debent perspectos habere canones " præsertim in eis quæ ad munera sua rite præstanda necessaria sunt, ut ædificent cunctos, tam fidei scientia, quam operum disciplina ", ut habemus ex aliquo concilio Toletano. " In hoc studio, ait *auctor Prœl. S. Sulpitii*, con-

venit clericos versari: nam grave detrimentum patitur disciplina, si non sint in clero viri doctiores qui sacros canones didicerint. Ex ignorantia juris oritur confusio, labefactatur disciplina et multa prætermittuntur quæ aliter servata fuissent."

Leo XIII in litteris encyclicis ad clerum Galliæ, 8 Sept. 1899, referens verba alicujus concilii provincialis Bituricensis, probat momentum Juris Canonici: "Theologicarum doctrinarum solidæ scientiæ conjungi debet sacrorum canonum cognitio, sine qua theologia erit imperfecta et quasi manca, necnon multi errores de Romani Pontificis, episcoporum juribus, ac præsertim de potestate quam Ecclesia jure proprio exercuit, pro varietate temporum, forsitan serpent et paulatim invalescent."

CAPUT II

DE FONTIBUS JURIS CANONICI

7. **Fons juris est auctoritas unde jura procedunt;** unde tot sunt fontes juris quot auctoritates in Ecclesia; jamvero generatim quatuor distinguuntur legum ecclesiasticarum latores, scilicet Jesus Christus, Apostoli, Romani Pontifices et Episcopi Ordinarii locorum. Quæ Jesus Christus docuit et præcipit, quæ Apostoli tradiderunt, continentur in Scriptura Sacra et in Traditione; quæ vero a Summis Pontificibus aut a conciliis œcumenicis sancita fuerunt, continentur in constitutionibus Summorum Pontificum et in canonibus conciliorum. Hinc fontes juris canonici, latiori sensu, sunt: Sacra Scriptura, Traditio, jus ab Apostolis sancitum, decreta Summorum Pontificum, canones conciliorum, decreta sacrarum congregationum, quibus addi possunt consuetudo, jus civile et jus naturale.

8. **Scripturæ Veteris Testamenti multum inserviunt** ad illustranda quædam capita juris, nam Ecclesia nonnullas leges Veteris Testamenti assumpsit ad providendum dignitati clericorum et majestati cultus publici, et S. Patres sæpe invocarunt textus Veteris Testamenti in explanatione harum dispositionum juris, quamvis non ignorarent partem ritualem et judiciariam legis mosaicæ abrogatam fuisse. Scripturæ Novi Testamenti sunt, vero sensu, fons juris canonici, siquidem continent leges a Christo latas quæ sunt fundamentum disciplinæ ecclesiasticæ. Quæ ad jus publicum pertinent, scilicet de fundatione Ecclesiæ, de institutione ecclesiasticæ potestatis, ea omnia de Novo Testamento sumuntur. De jure privato vix quidquam tractatur quod ex sacris litteris erui, confirmari et illustrari non possit circa obligationes clericorum et aliorum fidelium. *Prœlectiones Juris Can. Sti Sulpicii, vol. I, n.* 7.

9. **Traditio in genere est doctrina non scripta sed verbis tradita.** Traditiones, prout hic sumuntur, sunt quædam doctrinæ Christi, Apostolorum vel antiquorum præsulum, quæ a primis auctoribus fuerunt traditæ.

Traditiones sunt vel divinæ vel humanæ ; divinæ sunt illæ quæ spectant ad materiam et formam sacramentorum. Traditiones divinæ sunt profecto summæ auctoritatis in Ecclesia, cum habeant Deum auctorem.

Traditiones humanæ sunt illæ doctrinæ et praxes quæ ab Apostolis, rectoribus ecclesiarum, vel ab eorum primis successoribus originem duxerunt : unde traditiones humanæ possunt esse apostolicæ vel ecclesiasticæ.

10. **Jus canonicum originem trahit ab Apostolis,** qui ad Ecclesiam gubernandam pluries coadunati sunt et plures dispositiones ediderunt. Fertur quatuor concilia ab Apostolis fuisse Jerosolymis celebrata : primum, anno Christi 34, quando Mathias electus est in loco Judæ proditoris ;

secundum, eodem anno, quando ex septuaginta discipulis electi sunt septem diaconi; tertium, anno 51, in quo statutum est Gentiles ad fidem conversos non teneri ad circumcisionem; quartum, anno 56 vel 58, in quo Judæis credentibus permissus est ad tempus usus legalium ut synagoga paulatim cum honore sepeliretur. *Cf. Smith, Compend. Juris Can., n.* 20.

Traditur Apostolos plures canones et constitutiones edidisse quæ ad nos pervenerunt et quæ leguntur sub fine Decreti Gratiani; merito dubitatur inter auctores de eorum authenticitate.

11. **Romani Pontifices sunt potissimus fons juris canonici,** quia receperunt potestatem jurisdictionis supra universam Ecclesiam: " Si quis, ait concilium Vaticanum, dixerit Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in eis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent, aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremæ potestatis, aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes et singulas Ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles, anathema sit."

12. **Romanus Pontifex jus dicit toti Ecclesiæ aut singulis determinatis personis;** in primo casu habemus *constitutiones*, in altero easu *rescripta pontificia.* Summus Pontifex legem dicere potest universæ Ecclesiæ vel in concilio œcumenico, vel per se solum cum solus habeat plenitudinem potestatis. Leges editæ in concilio appellantur *canones;* si emanent a solo pontifice, vocantur *constitutiones. Constitutiones* solent diversis nominibus designari, attenta earum materia et forma; attenta materia, dicuntur *decreta, decretales epistolæ, litteræ encyclicæ,* prout eduntur, vel motu

proprio, vel ex aliorum consultatione aut relatione, vel diriguntur ad episcopos totius orbis aut alicujus regionis ; attenta forma, constitutiones nuncupantur *bullæ* vel *brevia. Sebastianelli, Tit. II, De Romano Pontifice.*

Bullæ eduntur in caractere theutonico et sub sigillo plumbeo ; hanc bullarum formam immutavit Leo XIII, statuens ut in futurum illæ litteræ apostolicæ scriberentur in caractere latino cum sigillo rubri coloris, referente imagines apostolorum Petri et Pauli et nomen pontificis regnantis. Solemnis bullarum forma reservatur actibus solemnioribus Sanctæ Sedis. Brevia eduntur in caractere latino, cum sigillo rubri coloris referente imaginem Petri extrahentis retia ab aquis : hæ litteræ dicuntur emanatæ *sub annulo piscatoris.*

13. **Alius fons juris, qui reducitur ad auctoritatem Summorum Pontificum, habetur in decretis conciliorum.** Concilium est vel *generale* vel *particulare ;* concilium *generale*, quod vocant *œcumenicum*, est illud quod convocatur auctoritate Summi Pontificis, celebratur sub ejus præsidentia vel saltem sub præsidentia ejus delegati, et confirmatur ejus auctoritate. Concilia œcumenica XIX numerantur : Nicœnum I (325), Constantinopolitanum I (381), Ephesinum (431), Chalcedonense (451), Constantinopolitanum II (553), Constantinopolitanum III (680–681), Nicœnum II (787), Constantinopolitanum IV (869–870), Lateranense I (1123), Lateran. II (1139), Lateran. III (1179), Lateran. IV (1215), Lugdunense I (1245), Lugdun. II (1274), Viennense (1311), Florentinum (1439-45), Lateran. V (1512), Tridentinum (1545-63), Vaticanum (1869), quod suspensum manet. Exierunt plures collectiones decretorum conciliorum quæ referunt, præter definitiones dogmaticas, multas leges disciplinares Ecclesiæ. *Sanguinetti, Jus Eccl., p.* 49.

14. **Concilium est particulare** quando coadunantur episcopi alicujus partis Ecclesiæ ; vocatur *nationale* quando convocantur omnes episcopi alicujus regionis sub præsidentia

primatis; erit *provinciale* si vocantur episcopi alicujus provinciæ ecclesiasticæ; habetur synodus *diœcesana* quando ad tractandum de rebus ad diœcesim pertinentibus convocantur omnes clerici alicujus diœcesis sub præsidentia episcopi.

15. **In legibus edendis Romani Pontifices adjuvantur Congregationibus Romanis.** Congregationes Romanæ sunt quædam Collegia Cardinalium quæ nomine Summi Pontificis tractant de rebus ecclesiasticis. De valore decretorum harum Congregationum fiet sermo in capite *De Congregationibus Romanis.*

16. **Alios fontes juris quidam auctores reputant consuetudinem, jus civile et jus naturale.** Merito tamen illi fontes reducuntur ad auctoritatem Summorum Pontificum. Consuetudo eatenus valet quatenus ei accedit consensus saltem legalis legislatoris; jus civile vim legis ecclesiasticæ habet in his dispositionibus quæ ab auctoritate Ecclesiæ fuerunt canonizatæ, i. e. introductæ in corpore juris; jus naturale est fundamentum omnium jurium, cujus interpres est Summus Pontifex.

CAPUT III

DE COLLECTIONIBUS JURIS CANONICI

17. **Leges quas, data opportunitate, Ecclesia constituebat, decursu temporis, in plures codices fuerunt coadunatæ.** Horum codicum non eadem est auctoritas: in quibusdam reperiuntur documenta minus genuina, in aliis deficit authentica probatio legislatoris, qui solus vim legis universalis tribuere possit decretis quæ primitus fuerunt condita pro aliqua ecclesia particulari, aut privatis personis.

2

18. **Potiores collectiones juris antiqui sunt sequentes:** Constitutiones et canones Apostolorum, collectiones Joannis Scholastici, Trullana, Photiana, Dionysii Exigui et Isidori Mercatoris vel Peccatoris.

1° *Constitutiones Apostolicæ*, quæ octo libris continentur, neque ab Apostolis, neque a Sto Clemente fuerunt conscriptæ; revera multa referunt quæ cum traditionibus Ecclesiæ Romanæ non concordant, v. g. prohibent absolute quartum conjugium, condemnant baptismum ab hæreticis collatum. Licet incerti sint auctoris et in pluribus corruptæ, multa tamen complectuntur maxime utilia canonistis ad illustrandam disciplinam primœvorum temporum.

2° *Canones Apostolorum*, qui leguntur post *Decretum Gratiani*, non sunt opus genuinum Apostolorum, aut alicujus viri apostolici; nam plura continent Apostolorum disciplinæ et catholicæ doctrinæ contraria, e. g. excludunt a canone scripturarum libros Tobiæ, Judith et Sapientiæ et includunt epistolas Sti Clementis; multa habentur quæ non possunt componi cum ætate Apostolorum, v. g. dissertationes circa erectionem parochiarum. Sunt monumenta vetustissima, partim integra et partim interpolata, quæ in pluribus locis exhibent insigne monumentum disciplinæ ecclesiasticæ per priora sæcula.

3° Tertia collectio, quæ in Oriente fuit vulgata, est *Joannis Antiocheni*, qui in 50 titulos collegit omnia monumenta juris ecclesiastici. Iste Joannes, cognomento *Scholasticus*, eo quod esset ex schola advocatorum, prior secutus est ordinem rerum.

4° Collectio *Trullana* confecta est in Trullo seu secretario palatii Constantinopolitani.

In hac collectione referuntur omnes fere canones qui tunc temporis in Ecclesia universa vigebant, exclusis canonibus concilii Sardicensis de appellationibus ad R. Pontificem.

5° Alia celebris collectio fuit *Photiana*, a Photio, qui magnam partem habuit in schismate orientali.

Cum cautela legantur Græcorum collectiones, quarum plures dispositiones favent separationi ab Ecclesia Romana.

6° In Occidente, duæ collectiones principales fuerunt editæ. Prima est cujusdam *Dionysii Exigui*. Hic Dionysius cognomento *Exiguus*, quia probabiliter statura pusillus erat, collegit in unum codicem canones Apostolorum, omnia decreta disciplinaria conciliorum et epistolas decretales Romanorum Pontificum a Sto Siricio, anno 381, ad Anastasium II. Hæc collectio omnibus aliis præstat sive documentorum ordine, sive monumentorum sinceritate, nihil apocryphum continens præter canones Apostolorum.

7° Collectio canonum, quæ vulgo dicidur *Isidori Mercatoris*, prodiit ineunte sæculo IX. Hæc collectio continet canones Apostolorum, decreta conciliorum et litteras decretales Summorum Pontificum usque ad Stum Gregorium Magnum. Hæc collectio, cujus olim summa fuit auctoritas, multa documenta apocrypha continet ab ipso Isidoro fabricata ; nunquam fuit ab Ecclesia approbata.

19. **Jus novum, quod continetur in corpore juris canonici,** sex partibus constat : sunt Decretum Gratiani, Decretales Gregorii IX, liber Sextus Decretalium, Clementinæ, Extravagantes Joannis XXII, Extravagantes communes.

1° *Decretum Gratiani*, monachi Benedictini, editum fuit anno 1151. Nulla constitutio Supremi legislatoris authenticum reddidit Decretum Gratiani : unde tota ejus auctoritas est intrinseca, et tanti faciendi sunt hi canones quanti valuissent per se si in collectione Gratiani non fuissent inserti. *Bened. XIV, de Syn. Diœc., lib. VII, c.* 15.

2° *Decretales Gregorii IX.* Cum a tempore Gratiani prodiissent tum canones conciliorum, tum decretales pontificum,

jussit Gregorius IX eorum fieri compilationem. In hoc opere conficiendo usus est opera Sti Raymundi de Pennafort, e familia Sti Dominici; is intra triennium confecit opus, quod Gregorius IX in constitutione *Rex pacificus* suum fecit, volens ut " hac tantum compilatione universi utantur in judiciis et in scholis " et prohibens ne " quis præsumat aliam facere absque auctoritate Sedis Apostolicæ speciali." Ex hac summi pontificis constitutione infertur hanc compilationem vim legis habere, et quidquid in ea reperiri, jus definire, nisi subsequenti tempore ei derogatum fuerit; quod est probandum. B. Raymundus in quinque libros opus suum dividit, scilicet de personis quæ in Ecclesia aliquod munus exercent, de judiciis, de rebus, de matrimonio, de pœnis, quam divisionem explicat sequens versiculus:

Judex, judicium, clerus, sponsalia, crimen.

Singuli libri dividuntur in tutulos, et tituli in capita.

3⁰ *Sextus liber Decretalium Bonifacii VIII.* A Gregorio IX ad Bonifacium VIII, duo habita sunt concilia generalia, scilicet I Lugdunense, anno 1245, II Lugdunense, anno 1274, et novæ prodierunt constitutiones. Bonifacius VIII, ad exemplum Gregorii IX, curavit ut ex illis documentis nova fieret compilatio legum, quam auctoritate sua probavit, et sic exiit *liber Sextus Decretalium.*

4⁰ *Clementinæ*, a Clemente V redactæ, continent decretales post Sextum decretalium vulgatas et decreta concilii Viennensis, celebrati anno 1311; hic liber fuit approbatus a Joanne XXII, successore Clementis V.

5⁰ *Extravagantes communes* et *Extravagantes Joannis XXII*, sic appellatæ quia vagabantur extra collectiones ceterarum decretalium, studio privatorum collectæ sunt et nunquam auctoritate pontificia fuerunt munitæ; verum patet eas esse genuinas ex nomine pontificis unicuique inscripto et ex agnitione Romanorum Pontificum, qui eas authenticas

semper habuerunt; unde non immerito in corpore juris includuntur.

20. **Corpus Juris Canonici triplici volumine constare solet:** primum volumen continet *Decretum Gratiani*, et ad ejus calcem adjici solent *canones pœnitentiales* et *canones Apostolorum;* secundum volumen *Decretales Gregorii IX* complectitur; tertium habet *Sextum, Clementinas, Extravagantes.*

In corpore juris, præter canones occurrunt *rubricæ, summaria* et *glossa.*

Rubricæ sunt titulorum inscriptiones, ducto nomine a litteris rubris quibus olim scribebantur. Distinguendum est inter rubricas *Decreti* et rubricas *Decretalium;* rubricæ *Decreti*, auctoritate privata confectæ, auctoritatem non habent; non item de rubricis *Decretalium* quas confirmavit Legislator. Harum posteriorum duplex est genus: aliæ orationem perfectam exprimunt, v. g. " Ne, sede vacante, aliquid innovetur", et ipsis competit vis legis in quantum legislatoris voluntatem manifestant; aliæ sensum perfectum non habent et nihil præcipiunt aut vetant, v. g. De rescriptis. *Summaria* sunt breves periodi quibus canones summatim rediguntur. A privatis scriptoribus confecta, vim legis non habent, sed inserviunt canonibus interpretandis.

Glossa est uberior legum explanatio in corpore juris ad marginem textus collocata. Jus non facit et habetur uti interpretatio privata, licet magnæ auctoritatis, ob usum scholarum. *Makee, Inst. Juris Can., vol. I, num.* 270 *et seq.*

21. **Jus novissimum complectitur Summorum Pontificum constitutiones** a Sixto IV (1484) ad nostra tempora, decreta et canones Concilii Tridentini et decisiones Sacrarum Congregationum. Partem præcipuam juris novissimi constituunt decreta Concilii Tridentini.

En sunt potissima monumenta ecclesiasticæ legislationis a tempore Apostolorum usque ad nostra tempora. Locuti non

sumus de *jure nationali,* de quo in sequenti capite, neque de *regulis Cancellariæ Apostolicæ* in concessione beneficiorum et in dispensationum expeditione. Illud singulare præ se ferunt quod vim obligandi non habent nisi vivente pontifice, sed a singulis pontificibus, statim post suam electionem, confirmantur cum effectu retroactivo; hoc modo assimilantur legibus perpetuis.

CAPUT IV

DE JURE CANONICO NATIONALI

22. **Jus particulare est complexus legum quæ alicui ecclesiæ propriæ sunt.** Singulæ ecclesiæ particulares habent relativam jurisdictionem unde possint leges condere pro suo ordinato regimine.

Jus particulare alicujus ecclesiæ efformant:

1° decreta conciliorum nationalium et provincialium, episcoporum statuta tum intra, tum extra synodum diœcesanam habita;

2° speciales constitutiones quas supremus legislator, vel ejus delegatus, tulerit pro determinato territorio;

3° exemptiones a jure communi, sive principis expresso privilegio, sive præscripta consuetudine firmatæ;

4° tandem concordata, seu pactiones conventæ inter Ecclesiam et societatem civilem. Unde ecclesiæ particulares suas libertates et consuetudines, sua privilegia merito vindicare possunt et ea servare.

23. **Instante Sacra Congregatione de Propaganda Fide,** Excellentissimus Delegatus Apostolicus aperuit mentem suam convocandi omnes episcopos hujus Dominii ad aliquod concilium nationale, ut iidem episcopi, collatis consiliis, quæ ad evellendos funditusque tollendos, si qui irrep-

serint, abusus, ad ecclesiasticam disciplinam confirmandam, ad diœcesium statum ita ordinandum ut propius ad jus commune Ecclesiæ accedat et ad catholicam religionem latius propagandam opportuna in Domino judicaverint, proponant.

24. **Provinciæ ecclesiasticæ Quebecensis septem fuerunt concilia.**

Ex bulla diei 12 Julii 1844, ecclesia Quebecensis ad dignitatem ecclesiæ metropolitanæ fuit evecta et diœceses Marianopolitana, Regiopolitanensis et Torontina fuerunt ejus ecclesiæ suffraganeæ. Ex nova bulla, die 4 Junii 1847 edita, placuit S. Sedi dictæ provinciæ unire diœceses Terræ-Novæ et Districtus Nord-Ouest; ex prima bulla die 12 Julii data, anno 1844, diœceses Carolipolitanensis, Neo-Brunopolitanensis, Halifaxiensis et Arichatensis ad provinciam Quebecensem fuerant unitæ *ad finem concilii provincialis celebrandi.*

Ad I concilium provinciale Quebecense, habitum anno 1851, præside Illmo Archiepiscopo Turgeon, convenerunt episcopi Kingstoniensis, Marianopolitanus, Bypolitanensis, Torontinus et tres episcopi titulares.

Potissima decreta referuntur ad liturgiam, ad casus reservatos, ad catecheses sive ante sive post primam communionem faciendas, ad relationes a parochis et missionariis episcopo faciendas circa statum parochiæ vel missionis, ad societates secretas et scholas mixtas.

Decreta fuerunt revisa et recognita die 6^{a} Julii, anno 1852.

Ad II Concilium Quebecense, habitum anno 1854, præside eodem archiepiscopo Quebecensi, præter episcopos qui primo concilio intervenerunt, fuerunt convocati episcopi Sti Hyacinthi et Trifluvianus, quorum diœceses nuper fuerant erectæ; ejus decreta circa sacramenta in genere et in specie, de vita et honestate clericorum, etc., Sacra Congregatio de Propaganda Fide recognovit et vulgari permisit anno 1855.

III Concilium Quebecense fuit habitum, anno 1863, præ-

side Illmo archiepiscopo Baillargeon, administratore diœcesis Quebecensis; convenerunt cum aliis novi episcopi Ottawiensis, Hamiltoniensis, Sandovicensis. Decreta fuerunt revisa et recognita anno 1865. S. Sedes, annuens voto III concilii, præscripsit certam methodum circa electionem episcoporum.

IV Concilium fuit habitum, anno 1868, præside archiepiscopo Quebecensi, intervenientibus eisdem episcopis. Decreta fuerunt revisa et recognita die 20 Januarii 1870. Edita fuerunt decreta circa ephemerides improbas et circa electiones politicas et administrativas. Decreto XIV quæsitum est a S. Sede ut erigerentur provinciæ ecclesiasticæ Torontina et Sti Bonifacii; Sancta Sedes indulsit huic voto, et die 17 Martii 1870, provincia Torontina, die 22 Sept. 1871, provincia Sti Bonifacii fuerunt erectæ.

V Concilium fuit habitum, anno 1873, præside Illmo archiepiscopo Taschereau. Potissimum decretum respicit modum providendi sedi episcopali vacanti; hoc decretum, quod jacet inter acta sub numero XVI, fuit approbatum in *forma speciali*, et alia decreta fuerunt revisa et recognita anno 1874.

VI Concilium fuit habitum, anno 1878, præside eodem archiepiscopo Taschereau. Notantur decreta circa obligationem emittendi fidei professionem, circa munus cleri in electionibus politicis, circa nonnulla fidei pericula vitanda. Anno 1881, S. C. de Prop. Fide permisit decretorum vulgationem.

VII Concilium fuit habitum, anno 1886, præside Eminentissimo Cardinali Taschereau. Notantur decreta circa statum clericalem, circa testamentum a viris ecclesiasticis condendum, circa jurisdictionem, de scholis puerorum, de scriptoribus catholicis. Omnia decreta fuerunt revisa et recognita anno 1888.

25. **Quædam concilia in aliis provinciis ecclesiasticis fuerunt coadunata.**

In provincia Halifaxiensi erecta die 4 Maii 1852, episcopi

concilium habuerunt anno 1857; in provincia Sti Bonifacii erecta die 22 Sept. 1871, episcopi primum concilium habuerunt anno 1889, cujus decreta fuerunt recognita anno 1892.

Die 8 Junii 1886, sedes episcopales Marianopolitana et Ottawiensis ad dignitatem sedium archiepiscopalium fuerunt elevatæ. Anno 1895, episcopi provinciæ Marianopolitanæ primum concilium habuerunt, cujus acta fuerunt typis mandata anno 1901.

Acta concilii in quatuordecim distribuuntur titulos, quibus adjiciuntur plures constitutiones S. Sedis.

26. **Anno 1859, prodiit opus cui titulus: "Recueil d'ordonnances synodales et épiscopales du diocèse de Québec."** Referuntur dispositiones synodales quatuor synodorum diœcesanarum Quebecensium et duorum conciliorum provincialium.

Serius typis fuit mandatum opus; "*Discipline du diocèse de Québec,*" quod novas refert et antiquas renovat dispositiones.

Tandem a quibusdam annis invaluit laudabilis consuetudo omnes litteras episcopales cujuscumque diœcesis in volumina colligere et publicare: hæ collectiones sunt fontes tum juris particularis, tum historiæ.

27. **Paucæ sunt constitutiones speciales,** seu decreta S. Sedis, quæ aliquam regionem particularem respiciunt. In *Collectanea S. C. de Propaganda Fide,* inter documenta quæ vim legis obtinent in locis Missionum, notantur: Instructio S. C. circa titulum ordinationis, data anno 1877, instructio ejusdem Congregationis circa dispensationes matrimoniales, data anno 1877, instructio ejusdem congregationis circa suspensiones *ex informata conscientia.* Plura sunt alia documenta quæ in decursu prælectionum memorabimus suo loco.

28. **Episcopi Canadenses amplissimas facultates receperunt a Sancta Sede,** unde possint providere suis ecclesiis: has recenset et explicat auctor Putzer, in opere:

" *Commentarium in facultates apostolicas episcopis per modum formularum concedi solitas.*" " Cum a Sancta Sede, ait Benedictus XIV ad Vicarios Apostolicos Angliæ, animadversum sit plurima sæpe contingere in regionibus longe dissitis, quibus, ut consulatur, peculiares dispensationes et privilegia quandoque opportuna, quandoque ad animarum regimen necessaria requiruntur, ad quæ obtinenda difficile est Romam confugere, eadem Sancta Sedes in more habuit, habetque in præsenti, episcopis in remotioribus provinciis commorantibus, quasdam facultates impertiri, quibus uti possint vel immediate vel per superiores sacerdotes a se designatos."

Facultates quas Sancta Sedes indulget, continentur in certis pagellis quæ vocantur *Formulæ*, seu *catalogi facultatum.* Cum potestates delegatæ *modo generali vel modo speciali* committantur, unde habentur *Formulæ ordinariæ* et *Formulæ extraordinariæ.*

Ordinariæ facultates in decem schematibus ex antiquo fere fixis continentur, et ante verba : " Facultates concessæ a Sanctissimo Domino Nostro Papa N." legitur: F. I, id est, Formula prima, vel F. II, i. e. Formula secunda, et ita porro usque ad F. X.

Episcopis Dominii Canadensis conceduntur facultates ordinariæ F. I.

Facultates extraordinariæ continentur in quibusdam formulis quæ denominantur litteris majusculis alphabeti A. B. C., etc.

Episcopis hujus regionis conferuntur facultates extraordinariæ sub formula T.

Plures sunt aliæ facultates extraordinariæ apud curias episcopales diœcesium, quæ juris publici non sunt.

29. **Facultates formulæ I.**

1. Conferendi ordines extra tempora et non servatis inter-

stitiis usque ad presbyteratum inclusive, si sacerdotum necessitas ibi fuerit.

2. Dispensandi in quibuscumque irregularitatibus, exceptis illis, quæ vel ex bigamia vera, vel ex homicidio voluntario proveniunt; et in his etiam duobus casibus, si præcisa necessitas operariorum ibi fuerit, si tamen, quoad homicidium voluntarium, ex hujusmodi dispensatione scandalum non oriatur.

3. Dispensandi super defectu ætatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad sacerdotium, si alias idonei fuerint.

4. Dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera et dispensandi ex rationabili causa in votis simplicibus castitatis et religionis.

5. Dispensandi et absolvendi in quacumque simonia; et in reali, dimissis beneficiis, et super fructibus male perceptis, injuncta aliqua eleemosyna vel pœnitentia salutari arbitrio dispensantis, vel etiam retentis beneficiis, si fuerint parochialia et non sint qui parochiis præfici possint.

6. Dispensandi in 3^0 et 4^0 consanguinitatis et affinitatis gradu simplici et mixto tantum, et in 2^0, 3^0 et 4^0 mixtis, non tamen in 2^0 solo quoad futura matrimonia; quod vero ad præterita etiam in 2^0 solo, dummodo nullo modo attingat primum gradum, cum his qui ab hæresi vel infidelitate convertuntur ad fidem catholicam, et in præfatis casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

7. Dispensandi super impedimento publicæ honestatis justis ex sponsalibus proveniente.

8. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, et restituendi jus amissum petendi debitum.

9. Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, præterquam inter levantem et levatum, necnon inter baptizantem et baptizatum.

10. Hæ vero dispensationes matrimoniales, videlicet 6ª, 7ª, 8ª et 9ª non concedantur, nisi cum clausula : dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat : et in dispensatione tenor hujusmodi facultatum inseratur, cum expressione temporis ad quod fuerint concessæ.

11. Dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti.

12. Conficiendi olea sacra cum sacerdotibus, quos potuerint habere ; et, si necessitas urgeat, etiam extra diem Cœnæ Domini.

13. Delegandi simplicibus sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta et alia utensilia ad sacrificium missæ necessaria, ubi non intervenit sacra unctio ; et reconciliandi ecclesias pollutas aqua ab episcopo benedicta, et, in casu necessitatis, etiam aqua non benedicta ab episcopo.

14. Largiendi ter in anno indulgentiam plenariam contritis, confessis ac sacra communione refectis.

15. Absolvendi ab hæresi et apostasia a fide et a schismate quoscumque etiam ecclesiasticos tam sæculares quam regulares ; non tamen eos qui ex locis fuerint ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis missionum, in quibus impugne gressantur hæreses, deliquerint, nec illos qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint ubi impugne grassantur hæreses, et post judicialem abjurationem illuc reversi in hæresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientiæ tantum.

16. Absolvendi ab omnibus censuris in constitutione *Apostolicæ Sedis moderationi*, 12 Oct. 1869, Romano Pontifici, etiam speciali modo reservatis, excepta absolutione complicis in peccato turpi.

17. Concedendi indulgentiam plenariam primo conversis

ab hæresi atque etiam fidelibus quibuscumque in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterint.

18. Concedendi indulgentiam plenariam in oratione 40 horarum ter in anno indicenda, diebus episcopo bene visis, contritis et confessis et sacra communione refectis, si tamen ex concursu populi et expositione S^mi Sacramenti nulla probabilis suspicio sit sacrilegii ab hæreticis et infidelibus aut offensionis a magistratibus.

19. Lucrandi sibi easdem indulgentias.

20. Singulis feriis secundis non impeditis officio IX lectionum, vel eis impeditis, die immediate sequenti, celebrandi missam de requie in quocumque altari, etiam portatili, et liberandi animas secundum eorum intentionem a purgatorii pœnis per modum suffragii.

21. Tenendi et legendi, non tamen aliis concedendi, præterquam ad tempus tamen iis sacerdotibus quos præcipue idoneos atque honestos esse sciat, libros prohibitos, exceptis operibus Dupuy, Volney, M. Righellini, Pigault, le Brun, De Potter, Bentham, J. A. Dulaure, Fêtes et courtisanes de la Grèce, Novelle di Casti, et aliis operibus de obscœnis et contra religionem ex professo tractantibus.

22. Præficiendi parochiis regulares, eisque suos deputandi vicarios in defectu sæcularium, de consensu tamen suorum superiorum.

23. Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima missa non sumpserit ablutionem — per unam horam ante auroram et aliam post meridiem — sine ministro — et sub dio et sub terra, in loco tamen decenti — etiamsi altare sit fractum vel sine reliquiis sanctorum — et præsentibus hæreticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, si aliter celebrari non possit. Caveat vero, ne prædicta facultate seu dispensatione celebrandi bis in die aliter quam gravissimis causis et rarissime utatur, in quo graviter ipsius

conscientia oneratur. Quod si hanc eamdem facultatem alteri sacerdoti juxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas utendi alicui, qui a Sancta Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, serio ipsius conscientiæ injungitur ut paucis dumtaxat, iisque maturioris prudentiæ ac zeli et qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, et ad breve tempus eamdem communicet aut respective causas approbet.

24. Deferendi S^mum^ Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab hæreticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii.

25. Induendi se vestibus sæcularibus, si aliter vel transire ad loca eorum curæ commissa vel in eis permanere non poterunt.

26. Recitandi rosarium vel alias preces, si breviarium secum deferre non poterunt, vel divinum officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant.

27. Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnium, ovorum et lacticiniorum tempore jejuniorum et quadragesimæ, non tamen per generale indultum, sed in casibus particularibus.

28. Prædictas facultates communicandi, non tamen illas quæ requirunt ordinem episcopalem, vel non sine sacrorum oleorum usu exercentur, sacerdotibus idoneis qui in eorum diœcesibus laborabunt, et præsertim tempore sui obitus, ut, sede vacante, sit qui possit supplere, donec Sedes Apostolica certior facta, quod quamprimum fieri debebit, per delegatos vel per unum ex iis alio modo provideat, quibus delegatis auctoritate apostolica facultas conceditur, sede vacante, et in casu necessitatis, consecrandi calices, patenas et altaria portatilia sacris oleis ab episcopo tamen benedictis.

29. Et prædictæ facultates gratis et sine ulla mercede

exerceantur et ad quinquennium tantum concessæ intelligantur, nec illis uti possit extra fines suæ diœcesis.

30. **Facultates extraordinariæ concessæ in formula T.**

1. Dispensandi cum quindecim utriusque cleri diaconis suæ jurisdictioni subjectis super defectu ætatis octodecim mensium, ut eo non obstante ad sacrum presbyteratus ordinem promoveri possint, dummodo idonei sint et nullum aliud obstet canonicum impedimentum.

2. Promovendi ad sacros ordines titulo missionis clericos suæ diœcesis dummodo pariter idonei sint, ac præstito ab eis prius juramento missionibus diœcesis ejusdem perpetuo inserviendi.

3. Dispensandi super impedimento primi gradus affinitatis in linea collaterali ex copula licita proveniente.

4. Dispensandi super impedimento secundi gradus consanguinitatis vel affinitatis admixti cum primo in linea transversali.

5. Dispensandi super impedimento secundi gradus consanguinitatis vel affinitatis in linea transversali æquali.

6. Dispensandi super impedimento publico primi gradus affinitatis ex copula illicita provenientis in linea sive collaterali, sive recta, dummodo, si de linea recta agatur, nullum subsit dubium quod conjux sit proles ab altero contrahentium genita.

7. Dispensandi in casibus occultis et in foro conscientiæ tantum super primo et secundo gradu simplici et mixto affinitatis ex copula illicita provenientis in linea sive collaterali, sive etiam recta, dummodo, si de linea recta agatur, nullum subsit dubium quod conjux possit esse proles ab altero contrahentium genita in matrimoniis scienter vel ignoranter contractis quam contrahendis.

8. Dispensandi super impedimento cognationis spiritualis inter levantem et levatum.

9. Dispensandi cum suis subditis super impedimento disparitis cultus, quatenus sine contumelia Creatoris fieri possit, et dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia præscriptis ac præsertim de amovendo a catholico conjuge perversionis periculo, deque conversione conjugis infidelis pro viribus curanda, ac de universa prole utriusque sexus in catholicæ religionis sanctitate omnino educanda: servata in reliquis adjecta instructione typis impressa ; excepto tamen casu matrimonii cum viris vel muliere Judæis, nisi adsit periculum in mora ; tum vero singulis trienniis referat quot in casibus dispensaverit.

10. Dispensandi cum suis subditis super impedimento impediente mixtæ religionis dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia præscriptis, prout in superiori numero 9.

11. Dispensandi in matrimoniis mixtis, non item in contrahendis, super gradibus consanguinitatis et affinitatis super quibus apostolicam facultatem pro catholicis jam obtinuit, quatenus pars catholica, prævia absolutione ab incestus reatu et censuris, cum parte acatholica rite et legitime matrimonium contrahere de novo possit, prolemque susceptam ac suscipiendam legitimam declarandi, dummodo cautum omnio sit conditionibus ab Ecclesia præscriptis, prout in priori numero 9.

12. Sanandi in radice matrimonia contracta, quando comperitur adfuisse impedimentum dirimens, super quo ex Apostolicæ Sedis indulto dispensare ipse possit, magnumque fore incommodum requirendi a parte innoxia renovationem consensus, monita tamen parte conscia impedimenti de effectu hujus sanationis.

13. Dispensandi intra fines suæ diœcesis conjugem fidelem super interpellatione conjugis in infidelitate relicti, dummodo adhibitis antea omnibus deligentiis etiam per publicas ephemerides, ad reperiendum locum ubi conjux infidelis habitat,

iisque in irritum cessis, constet saltem summarie et extrajudicialiter, dictum conjugem infidelem moneri legitime non posse, aut monitum, intra tempus in monitione præfixum, suam voluntatem non significasse.

14. Convalidandi litteras dispensationis ab Apostolica Sede expeditas super quovis canonico impedimento, quæ nullæ factæ sunt ob errorem nominis vel cognominis contrahentium in matrimoniis tam contrahendis quam contractis.

15. Exigendi modicas mulctas tam a divitibus quam a pauperibus juxta vires in elargiendis dispensationibus matrimonialibus, exceptis tamen ab hoc mendicis, et dummodo mulctæ sic exactæ in pios usus fideliter omnino erogentur.

16. Assignandi pensiones parochis vel missionariis ex infirmitate resignantibus parœcias seu missiones, in quas per decem annos incubuerint, solvendam annuatim a successore, non excedentem tertiam partem fructuum quolibet anno provenientium ex parœciis vel missionibus, necnon permittendi parochis sibi subjectis, dummodo justa et legitima causa concurrat, ut in iis diebus festis quibus fideles apostolica auctoritate soluti sunt ab obligatione missam audiendi, ab applicanda missa pro populo abstinere valeant, dummodo pro eodem populo in ejusmodi missa specialiter orent.

17. Impertiendi quater in anno intra fines suæ diœcesis in solemnioribus festis benedictionem papalem juxta formulam typis impressam atque insertam cum indulgentia plenaria ab iis lucranda, qui vere pœnitentes, confessi et sacra communione refecti eidem benedictioni interfuerint, Deumque pro S. Fidei propagatione et S. R. Ecclesiæ exaltatione oraverint.

18. Impertiendi indulgentiam plenariam singulis ex clero, qui per quinque saltem dies sacris exercitiis interfuerint, ac sacrosanctum missæ sacrificium celebrantes vel saltem sacram synaxim recipientes pias ad Deum preces effuderint pro S. Fidei propagatione et juxta mentem Sanctitatis Suæ, et ejus-

dem indulgentiæ applicationem per modum suffragii animabus in purgatorio detentis permittendi.

19. Impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria omnibus Christi fidelibus in articulo mortis constitutis juxta formam præscriptam, et permittendi ut, grassantibus epidemicis vel contagiosis morbis, prædicti fideles eamdem indulgentiam lucrari possint Christi crucifixi imaginem vel crucem ad hoc benedictam osculando.

20. Ut in actu visitationis parochiarum et missionum, et etiam communitatum tum sæcularium quam regularium lucrari possint episcopus et ejus coadjutor, necnon totus clerus ac Christi fideles omnes indulgentiam plenariam pro una vice tantum in qualibet parochia seu missione aut districtu, dummodo ii qui presbyteri sunt celebrent S. missæ sacrificium, et alii contriti, confessi ac sacra communione refecti pias ad Deum preces fuderint pro sanctæ Fidei propagatione et juxta mentem Sanctitatis Suæ.

21. Benedicendi coronas precatorias, cruces et sacra numismata, iisque applicandi indulgentias juxta folium typis impressum atque insertum, necnon erigendi confraternitates a S. Sede approbatas, confraternitate SS^mi Rosarii excepta, iisque adscribendi Christi fideles cum applicatione omnium indulgentiarum et privilegiorum quæ Summi Pontifices iisdem confraternitatibus impertiti sunt, addita insuper potestate has facultates communicandi presbyteris sacro ministerio fungentibus, dummodo pro benedictione coronarum, sint ad excipiendas sacramentales confessiones approbati.

22. Erigendi pium exercitium Viæ Crucis in locis suæ jurisdictioni spirituali subjectis, dummodo non adsint Franciscales, cum applicatione omnium indulgentiarum quæ hujusmodi exercitium peragentibus a Summis Pontificibus impertitæ sunt, et applicandi easdem indulgentias Christi crucifixi imaginibus et crucibus, quibusdam in casibus prudentia et judicio episcopi seligendis.

23. Permittendi ut sylvicolis ad fidem conversis et aliis fidelibus apud illos degentibus licite valideque confirmationis sacramentum administrare possit unus ex missionariis in quamcumque regionem longe ab episcopo dissitam missis, servata instructione.

24. Concedendi missionariis facultatem benedicendi aquam baptismalem ea breviori formula qua missionariis Peruanis apud Indos Summus Pontifex Paulus III uti concessit, pro casu tamen necessitatis.

25. Delegandi benedictionem campanarum quandocumque eam ipse absque gravi incommodo perficere nequeat, sacerdotibus sibi bene visis, servato ritu Ritualis Romani, atque adhibitis oleis et aqua ab episcopo benedictis, necnon etiam sine aqua ab episcopo benedicta, si gravis causa concurrat.

26. Deputandi aliquem sacerdotem in locis sibi subjectis cum facultate consecrandi juxta formam in Pontificali Romano præscriptam, calices, patenas et altarium lapides, adhibitis tamen sacris oleis ab episcopo benedictis.

27. Declarandi privilegiatum in qualibet ecclesia suæ diœcesis unum altare, dummodo aliud privilegiatum non adsit, pro cunctis missæ sacrificiis quæ in eodem altari celebrabuntur a quocumque presbytero sæculari vel cujusvis ordinis regulari.

28. Recitandi privatim, legitima concurrente causa, matutinum cum laudibus diei sequentis statim elapsis duabus horis post meridiem, eamdemque facultatem ecclesiasticis viris sive sæcularibus sive regularibus communicandi.

29. Retinendi ac legendi libros ab Apostolica Sede prohibitos etiam contra religionem ex professo agentes ad effectum eos impugnandi, quos tamen diligenter custodiat ne ad aliorum manus perveniant, exceptis astrologicis, judiciariis, superstitiosis ac obscœnis ex professo; eamdemque facultatem etiam aliis communicandi, parce tamen et dummodo pruden-

ter præsumere possit nullum eos ex hujusmodi lectione detrimentum esse passuros.

30. Permittendi catholicis sibi subjectis ut feriis sextis, sabbatis, aliisque diebus quibus carnium esus vetatur, acatholicis, si in eorum mensa esse contigerit, carnes præbere valeant, dummodo tamen absit ecclesiasticæ legis contemptus et ejusmodi facultate sobrie multaque circumspectione utantur, ne scandalum in catholicos vel heterodoxos ingeratur.

Voluit autem Sanctitas Sua ut episcopi prædictas facultates gratis et sine ulla mercede exerceant, ut illis uti nequeant extra fines suæ diœcesis, et in iis exercendis expressam mentionem facere debeant apostolicæ delegationis, necnon epocham adjungere factæ sibi concessionis.

31. **Omnes illæ facultates erant olim delegationes personales et aliis non delegabiles,** nisi potestas eas communicandi fuisset concessa. Pluribus responsionibus Sancti Officii immutata fuit disciplina Sanctæ Sedis circa usum prædictarum facultatum.

1° Die 24 Novembris 1897, S. Congregatio Sancti Officii declaravit facultates omnes speciales habitualiter a S. Sede episcopis, aliisque locorum Ordinariis concessas, non suspendi vel desinere ob eorum mortem, vel a munere cessationem, sed ad successores Ordinarios transire ad formam et in terminis decreti ejusdem S. Officii, editi die 20 Februarii 1888 quoad dispensationes matrimoniales.

2° Die 14 Decembris 1898, idem S. Officium, ad quæsitum: " An possit episcopus diœcesanus subdelegare, absque speciali concessione, suis Vicariis Generalibus, aut aliis ecclesiasticis viris modo generali, vel saltem pro casu particulari, facultates ab Apostolica Sede sibi ad tempus delegatas "? respondit: " Affirmative, dummodo id in facultatibus non prohibeatur, neque subdelegandi jus pro aliquibus tantum coarctetur; in hoc enim casu servanda erit adamussim forma rescripti."

3° Die 20 Aprilis 1898, eadam S. Congregatio S. Officii declaravit : 1° Facultates omnes habituales in posterum concedendas esse Ordinariis locorum ; 2° appellatione Ordinariorum venire Episcopos, Administratores seu Vicarios Apostolicos, Prælatos seu Præfectos habentes jurisdictionem cum territorio separato, eorumque Officiales seu Vicarios in spiritualibus generales et, sede vacante, Vicarium Capitularem vel legitimum Administratorem.

4° Demum eadem Suprema S. Congregatio, die 3 Maii 1899, declaravit verba decreti diei 24 Nov. 1897 : " facultates speciales habitualiter a S. Sede Episcopis concessas," comprehendere etiam 1° illas quibus utuntur (Episcopi) quotiescumque voluerint, licet ad præfinitum tempus, cujusmodi sunt facultates de *Pœnitentiaria* dictæ, reductionis missarum, etc ; 2° facultatem benedicendi et delegandi ad sacra paramenta benedicenda, eamque transire ad Vicarium Capitularem quamvis episcopali dignitate non insignitum ; 3° facultates quibus dumtaxat uti valent pro determinato numero casuum, ut sunt facultates dispensandi a sacræ ordinationis titulo pro definito ordinandorum numero.

32. **Ex illis decretis concluditur :** 1° has facultates in posterum concedi *non intuitu personæ sed officii, non Episcopo* sed *Ordinario loci ;* 2° nomine Ordinarii venire Episcopos, Vicarios et Præfectos Apostolicos, Vicarios Generales et Capitulares, Administratores, quibus omnibus competunt facultates spirituales a S. Sede Episcopis habitualiter concessæ ; 3° has facultates non cessare per mortem Episcopi aut ejus amotionem ab officio, sed transire ad alios Ordinarios, sicut facultas exequendi dispensationes matrimoniales, juxta decretum 20 Feb. 1888 ; 4° Ordinarios locorum posse has facultates subdelegare vel modo generali, vel in casu particulari, modo id non prohibeatur, aut facultas subdelegandi non limitetur quibusdam personis, quo in ultimo casu, servanda est strictissime forma rescripti.

33. **Nullum exstat concordatum inter Sanctam Sedem et potestatem politicam:** Rex Majoris Britanniæ, qua hæreticus, relationes officiales non habet cum Sede Apostolica.

Attamen religio catholica libere exercetur, et Ecclesia in pluribus majori pollet libertate quam apud quasdam pseudocatholicas gentes, quæ nuntios detinent apud Aulam Apostolicam.

Ecclesia Catholica vindicat suam libertatem ex pactis internationalibus quæ intervenerunt quando hæc regio Majori Britanniæ fuit cessa.

1⁰ Articulus VI capitulationis Quebecencis habet: " Que l'exercice de la religion catholique sera conservé, et que l'on donnera des sauvegardes aux maisons ecclésiastiques de religieux et religieuses, ainsi qu'à M. l'évêque, qui pourra exercer librement les fonctions de son état."

2⁰ Articulus XVII capitulationis Marianopolitanæ statuit: " Que le libre exercice de la religion catholique subsistera en sorte que tous les états et le peuple pourront continuer de s'assembler dans les églises, de fréquenter les sacrements, comme ci-devant, sans être inquiétés."

3⁰ In pacto solemni Parisiensi, 10 Feb. 1763, inter Georgium III, regem Britanniæ Majoris et Ludovicum XV, regem Galliæ, " Sa Majesté Britannique consent d'accorder la liberté de la religion catholique aux habitants du Canada. Elle donnera en conséquence les ordres les plus efficaces pour que ses nouveaux sujets catholiques romains puissent professer le culte de leur religion, selon les rites de l'Eglise romaine, *autant que les lois d'Angleterre le permettent.*"

4⁰ Decretum imperiale, vulgo " *Acte de Québec,*" 1774, confirmavit jura catholicorum libere profitendi suam religionem.

34. **Occasione verborum:** " *Autant que les lois d'Angleterre le permettent,*" plures juristæ quæsierunt an religio

catholica esset subjicienda legibus in Britannia tunc temporis vigentibus. Cum juxta leges tunc temporis vigentes professio religionis catholicæ esset crimen læsæ Majestatis, actum fuisset de hac libertate religionis promissa in capitulatione Quebecensi et Marianopolitana.

Hæc interpretatio est omnino rejicienda, nam juxta verba Lord North : " Leges pœnales Britanniæ non debent applicari in coloniis, ideoque non valent pro regione Canadensi."

Legati Britanniæ qui interfuerunt pacto Parisiensi noluerunt ut religio catholica esset *religio Status,* aliis religionibus simpliciter toleratis. Quod confirmatur sententia juristarum Britanniæ ; ipse Lord North sic hanc clausulam interpretatur : " Quant à l'exercice de la religion catholique, l'acte de 1774 n'a accordé rien de plus que ce qui était garanti par le traité, autant que les lois de la Grande-Bretagne peuvent le leur garantir. *Or il n'y a aucun doute que les lois de la Grande-Bretagne permettent l'exercice libre de la religion catholique dans les colonies.*"

Cum post cessionem regionis plures libertatem religionis catholicæ impugnarent, episcopo catholico Quebecensi titulum et jura denegarent et dominationem regis Britanniæ in re religiosa propugnarent, catholici pluries recursum habuerunt ad supremum tribunal Britanniæ, et, anno 1807, Lord Castlereagh edidit sequentem instructionem : " La suprématie du roi se borne à empêcher les étrangers d'exercer aucune juridiction spirituelle dans les possessions de la couronne. Or l'évêque de Québec n'est pas un étranger, il est le chef d'une religion qui peut être pratiquée librement sur la foi du Parlement impérial. Il peut réclamer et recevoir des catholiques les dîmes et les droits ordinaires et exercer à leur égard les pouvoirs dont il a toujours joui. Ce serait donc une entreprise fort délicate que d'intervenir dans les affaires de la religion catholique à Québec, ou de forcer l'évêque titulaire à

abandonner ses titres." Cf. *Etudes sur la liberté religieuse au Canada, S. Pagnuelo.*

Hinc cœtus legislatorum Canadensium, anno 1851, proclamavit quænam essent principia constitutionis hujus regionis relate ad religionem, cujus edictum legitur in art. 3439, *Statuts Refondus de la Prov. de Québec:*

" La jouissance et le libre exercice du culte de toute profession religieuse, sans distinction ni préférence, mais de manière à ne pas servir d'excuse à la licence, ni à autoriser des pratiques incompatibles avec la paix et la sûreté de la province, sont permis par la constitution et les lois de cette province à tous les sujets de Sa Majesté qui y vivent."

35. **Ex illis principiis constitutionis civilis, sequitur :**

1⁰ Quilibet potest eligere et profiteri religionem quam vult.

2⁰ Professio cujuscumque religionis est licita, et quæcumque Ecclesia potest leges et regulas edere ad sui et suorum regimen. Ecclesia Catholica Romana habet suum jus canonicum et sua dogmata, et Status non potest intervenire ut aliquid immutet.

3⁰ Status debet videre ut auctoritas religiosa libere exerceatur et protegatur.

4⁰ Sancta Sedes nominat episcopos quin habeat prævium assensum Status civilis; episcopi libere communicant cum Sancta Sede, promulgant decreta Sedis Apostolicæ et sua, in rebus religiosis, absque ullo impedimento ex parte Status civilis; episcopus solus nominat ad parochias, parochos revocat ad nutum, erigit missiones et parochias canonicas, concedit dispensationes matrimoniales inter catholicos.

36. **Omnes vident quantum distet constitutio civilis hujus regionis** a principiis quæ luculentissime exposuit Leo XIII, in suis litteris encyclicis *Immortale Dei opus,* 1 Nov. 1885, circa christianam constitutionem statuum. In

memorabili instructione Summi Pontificis referuntur et evolvuntur sequentia principia:

1° Nemini licet sua adversus Deum officia negligere, et officium maximum est amplecti et animo et moribus religionem, non quam quisque maluerit sed quam Deus jusserit.

2° Ipsa societas, qua talis, debet Deo cultum publicum exhibere, eo modo quo Deus ipse demonstravit velle se coli. "Sanctum igitur oportet apud principes esse Dei nomen; ponendumque in præcipuis illorum officiis religionem gratia complecti, benevolentia tueri, auctoritate nutuque legum tegere, nec quidquam instituere aut decernere quod sit ejus incolumitati contrarium."

3° Utraque societas religiosa et civilis est perfecta et independens in suo genere; "unde aliquis velut orbis circumscribitur in quo sua cujusque actio jure proprio versetur." Societas civilis, licet independens et suprema in suo genere, subordinatur tamen societati ecclesiasticæ; hæc subordinatio non ita intelligenda est ut Ecclesia possit sese in administrandis negotiis societatis civilis ingerere, quia sic læderet ejus independentiam, sed duo importat:

a) Non oppositionem, nempe ut media a societate civili proposita non opponantur assecutioni finis societatis ecclesiasticæ;

b) Favorem, nempe ut media a societate civili adhibita faciliorem reddant assecutionem finis societatis religiosæ; sæculares enim principes "Deus Sanctæ fidei, Ecclesiæque protectores esse voluit." *Conc. Trid., sess. XXV, cap.* 20, *De Ref.*

4° Status, ut Status, atheus esse nequit, sed tenetur inquirere veram religionem, eique adhærere. Attamen "si divini cultus varia genera eodem jure esse, quo veram religionem, Ecclesia judicat non licere, non ideo tamen damnat eos rerum publicarum moderatores, qui magni alicujus adipiscendi boni,

aut prohibendi causa mali, moribus atque usu patienter ferunt ut ea habeant singula in civitate locum. Atque illud quoque magnopere cavere Ecclesia solet ut ad amplexandam fidem nemo invitus cogatur, quia, quod sapienter Augustinus monet, *credere non potest homo nisi volens*."

37. **Gubernium non profitetur atheismum,** nam Deum publice invocat quando coadunantur legislatores, Deo Omnipotenti semel in anno gratias agit pro beneficiis collatis, tandem favet religioni. Hinc non habetur absoluta separatio Ecclesiæ a Statu, in quo regimine Status de Ecclesia non curat et in praxi ei adversatur. Omnes tamen cultus æqualem a lege protectionem recipiunt, et constitutio favet huic tolerantiæ. Religio catholica libere exercetur, ejus ministri ad officia ecclesiastica promoventur absque ullo Status interventu, matrimonium est actus religiosus et coram ministro religionis necessario contrahendus.

38. **Major est libertas in provincia Quebecensi :** lex civilis recognoscit omnia impedimenta matrimonii ab Ecclesia statuta, et episcopus debet judicare de matrimonii validitate inter catholicos ; parochiæ sunt corporationes civiles quæ possunt acquirere ; judices debent urgere executionem decretorum auctoritatis ecclesiasticæ ; decimæ parochis debentur, etiam invocato brachio sæculari, etc. Ergo si constitutio civilis hujus regionis in pluribus recedat a principiis catholicæ gentis, fatendum est in multis Ecclesiam debita sibi libertate pollere.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS

39. **Tota materia canonica,** in compendiis quæ ordinem Decretalium non sequuntur, in tribus partibus solet distribui, quarum prima de personis, secunda de rebus, tertia de judiciis et pœnis disserit. In hoc primo volumine *de personis ecclesiasticis* sermo erit instituendus.

Persona, si *philosophice* sumatur, est suppositum naturæ rationalis, *juridice* est subjectum jurium. Jurium autem in Ecclesia sunt capaces qui in ea fuerunt baptizati, fidem exterius profitentur, sacramentis participant et legitimis pastoribus subjiciuntur.

40. **Christiani omnes, quatenus ad Ecclesiam pertinent, in clericos et in laicos dividuntur.** Clerici, a voce græca *Kleros*, id est, sors et hæreditas, proprie dicuntur, qui ordine aliquo, aut potestate donati, in Ecclesia præsunt, vel ministrant; laici, a græca voce *laos*, plebs, populus dicuntur, qui nullo ordine, nullaque potestate sacra decorantur. Idem discrimen viget in omni societate bene ordinata, quæ duabus partibus constat, magistratu nempe et populo.

“ Duo sunt genera Christianorum. Est autem unum genus, quod mancipatum divino officio et deditum contemplationi et orationi ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut sunt clerici et Deo devoti, videlicet conversi. *Kleros* enim græce, latine *sors*. Inde hujusmodi homines vocantur *clerici*, idest, sorte electi. Omnes enim Deus in suos eligit. Hi namque sunt reges, idest, se et alios in virtutibus regentes: et ita in Deo regnum habent... Aliud vero est genus Christianorum, ut sunt *laici*. *Laos* enim græce est *populus* latine... His concessum est uxorem ducere, terram colere,

inter virum et virum judicare, causas agere, oblationes super altaria apponere, decimas reddere : et ita salvari poterunt, si vitia tamen benefaciendo evitaverint." *Can. Duo sunt*, 7, *Caus.* 12, *q.* 1, *in Decreto Gratiani.*

41. **Clerici distinguuntur a laicis ratione ordinis et potestatis spiritualis**; et hæc distinctio est de jure divino. Distinguuntur ratione ordinis, quia sacramentum ordinationis quo confertur potestas spiritualis ordinis ad ministeria ecclesiastica obeunda indelebilem characterem imprimit, quo potestas collata nunquam adimitur. Distinguuntur ratione spiritualis potestatis, quia Christus potestatem ipsam non omnibus indiscriminatim fidelibus, sed certis tantum et designatis personis tradidit. Hinc legitur apud Lucam, cap. VI, v. 18 : " Vocavit discipulos suos et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit," et in Actibus Apost. XX, 28 : " Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei."

Religiosi viam mediam tenent inter clericos et laicos : quatenus ad ordines non fuerunt promoti, assimilantur laicis ; quatenus participant privilegiis clericalibus comparantur clericis.

Separatim agendum erit de clericis, de regularibus et de laicis.

PARS PRIMA

DE CLERICIS

42. **Ut quis adscribatur ordini clericali debet initiari ritu illo ecclesiastico qui dicitur prima tonsura.** Non est denegandum primis Ecclesiæ sæculis tonsuram non separatim, sed simul cum aliquo ordine collatam fuisse. Adscripti cœtui clericali per sacram tonsuram vocantur clerici et participant privilegiis clericalibus, ut constat verbis Pontificalis : " Filii carissimi, animadvertere debetis quod hodie de foro Ecclesiæ facti estis et privilegia clericalia sortiti."

43. **Clerici non sunt æquales inter se, sed ita distribuuntur ut duplicem hierarchiam constituant.** Cum Ecclesiæ finis proximus, id est sanctificatio animarum, habeatur per gratiam sanctificantem quam Christus confert per sacramenta, accedente cooperatione hominis sive per idoneas dispositiones ad illam acquirendam, sive per bona opera ad eam conservandam et augendam, clericis duplex potestas a Christo fuit commissa : 1° ad efficienda sacramenta, 2° ad fideles recte et efficaciter dirigendos, tum quoad intellectum, tum quoad voluntatem, ut divinæ gratiæ, quæ per sacramenta confertur, cooperentur. Unde Christus in Ecclesia duas potestates constituit : unam ordinis, alteram jurisdictionis. Utraque potestas diversimode participatur a clericis, ita ut sedulo distinguatur hierarchia ordinis ab hierarchia jurisdictionis.

Ut cum ordine procedamus, exponemus principia generalia circa potestatem ordinis et jurisdictionis, circa jura, officia et privilegia communia clericorum ; postea assumentes hierarchiam jurisdictionis, de juribus et officiis diversorum graduum disserendum erit.

Tota materia in tredecim titulis distribuetur.

TITULUS I

DE POTESTATE ORDINIS

44. **Potestas ordinis definitur:** Potestas sacrificium offerendi, sacramenta conficiendi et conferendi et sacras functiones peragendi.

Potestas ordinis non æqualiter a ministris participatur sed plures gradus admittit; de fide est in Ecclesia haberi hierarchiam ordinis: " Si quis dixerit non esse in Ecclesia catholica hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit." *Conc. Trid., sess. XXIII, can.* 6.

45. **Plures sunt ordines quibus coalescit hierarchia ordinis.**

1. Aliquis adscribitur statui clericali per sacram tonsuram, quæ definitur a S. Alph., lib. VI, n. 735: "Ritus solemnis ecclesiasticus consistens in levi detonsione capillorum cum certis verbis per ministrum idoneum celebratus, ex institutione Ecclesiæ, significans masculum baptizatum a statu laicali in sortem Domini et statum clericalem transferri." Tonsura communiter non habetur ut ordo sed præambulum ad ordines.

2° In Ecclesia *latina* quatuor sunt ordines minores et tres majores, scilicet: ostiariatus, lectoratus, exorcistatus, acolythatus, subdiaconatus, diaconatus, presbyteratus. Dixi in Ecclesia *latina,* quia græca Ecclesia post traditam primam tonsuram recenset duos tantum ordines minores, scilicet lectoratum et subdiaconatum, qui græco ritu collatus acolythatum et ostiariatum includit.

Ostiariatus est ordo quo confertur alicui specialis potestas aperiendi et claudendi januam ecclesiæ, admittendi dignos et excludendi indignos.

Lectoratus est ordo quo confertur alicui specialis potestas legendi psalmos et lectiones ex pulpito in ecclesia ac populum catechizandi in rebus fidei.

Exorcistatus est ordo quo traditur potestas specialis alicui ejiciendi dæmones per exorcismos ab Ecclesia institutos.

Acolythatus est ordo quo clerico traditur specialis potestas spiritualis inter missæ solemnia subdiacono inserviendi, accendendi cereos, præparandi et porrigendi ampullas vini et aquæ.

Subdiaconatus est ordo major et sacer, quo spiritualis potestas traditur ordinato præparandi et deferendi calicem vacuum cum patena, eaque porrigendi diacono ad sacrificium missæ, ipsique inserviendi, necnon solemniter legendi epistolam in eadem missa.

Diaconatus est ordo quo confertur spiritualis potestas immediate adsistendi sacerdoti in missa solemni, solemniter canendi Evangelium et prædicandi.

Presbyteratus est ordo quo confertur specialis potestas consecrandi corpus et sanguinem Christi, atque absolvendi fideles a peccatis.

3° Quatuor primi ordines vocantur *minores* relate ad tres ultimos qui dicuntur *sacri* et *majores*. Dicuntur *sacri*, non solum quia eorum collatio est sacramentum, sed quia reddunt homines sacratos: ad omnes enim qui illos recipiunt, episcopus inter cætera precatoriam solemniter effundit formulam: *Ut hos electos benedicere, consecrare et sanctificare digneris.* Dicuntur *majores*, quia qui ad eos promoventur, sacrosanctæ Eucharistiæ confectioni inserviunt et ad altare ascendunt.

46. **Quæritur an episcopatus sit ordo.** Huic quæstioni respondet Stus Thomas, quæst. XL, a. 5, in supplemento: " Ordo potest accipi dupliciter: uno modo secundum quod est sacramentum et sic omnis ordo ad Eucharistiæ sacramentum ordinatur. Unde cum episcopus non habeat potestatem superiorem sacerdote, quantum ad hoc episcopa-

tus non erit ordo. Alio modo potest considerari ordo, secundum quod est officium quoddam respectu quarumdam actionum sacrarum: et sic cum episcopus habeat potestatem in actionibus hierarchicis respectu corporis mystici supra sacerdotem, episcopatus erit ordo."

Quamvis omnibus non constet episcopatum et presbyteratum esse duos ordines diversos, de fide est episcopos esse superiores presbyteris, dicente Trid., sess. XXIII, can. 7: "Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem ordinandi et confirmandi, vel eam quam habent esse cum presbyteris communem, anathema sit." Item de fide est episcopatum et presbyteratum esse duos diversos gradus hierarchiæ, dicente Trid., can. 6: "Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit."

CAPUT I

DE ORDINATIONE CLERICORUM

Potestas ordinis duobus modis acquiritur: ordinatione et consecratione; ordinatio ad sacerdotes et clericos inferiores pertinet, consecratio vero ad episcopos. De ordinatione agendum erit in sequentibus articulis.

ARTICULUS I.

De ministro ordinationis.

47. **Minister ordinarius sacræ ordinationis, ut valide conferatur, est omnis et solus episcopus.** Proprium est officii episcopalis ut ministros ordinet, quam

potestatem non habent communem sacerdotes et ministri inferiores. *Conc. Trid., sess. XXIII, can.* 7.

Episcopi hæretici aut schismatici, degradati aut quacumque censura irretiti, valide ordines ministrant, modo utantur debita materia et forma cum debita intentione; ratio est, quia character episcopalis, a quo procedit validitas ordinationis, nec deleri, nec amitti potest.

Eorum vero ordinationes sunt sacrilegæ et " suspensionem ab ordine suscepto *ipso jure* incurrunt quicumque ordinem recipere præsumpserunt ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto nominatim denuntiatis, aut ab hæretico vel schismatico notorio." Cf. const. *Apostolicæ Sedis,* tit. 5, n. 6.

48. **Ex delegatione Summi Pontificis,** simplices quoque sacerdotes possunt primam tonsuram et ordines minores conferre. Quoad presbyteratum, semper receptum est ut nonnisi ab episcopo conferretur; quoad diaconatum, sententia communis tenet ejus collationem delegari non posse presbytero; de ordine subdiaconatus, certum est antiquitus illum fuisse inter ordines minores computatum, etiam in Ecclesia Latina: unde simplex sacerdos delegari posset a Summo Pontifice ad ejus collationem. *Santi, Prælectiones Juris canonici, lib. I, tit. XI, n.* 22.

49. **Ante Conc. Trid. plures prælati inferiores gaudebant privilegio conferendi tonsuram et ordines minores.** Verum Patres Tridentini abrogarunt privilegia sive a pontificibus, sive a conciliis concessa prælatis sæcularibus; *Cap.* 10, *sess. XXIII, De Ref.* Hinc hodie prædictis prælatis non competit potestas ordinandi, nisi privilegium a Sede Apostolica post Concilium Tridentinum, cum expressa derogatione dicti capitis, obtinuerint.

Mitius egerunt patres cum prælatis regularibus, quibus concesserunt privilegium conferendi primam tonsuram et ordines minores *subditis regularibus.* Nomine autem *subdi-*

torum veniunt tantum illi qui emiserunt tria vota solemnia.

Ut abbas possit tonsuram et ordines minores conferre, quædam requiruntur ad validitatem et ad honestatem. Ad validitatem necessarium est ut abbas sit benedictus, vel si talis non sit, habeat peculiare privilegium ab Apostolica Sede; ad honestatem requiritur ut ordinandus sit regularis et abbati subditus per tria vota solemnia. *De Luca, De Personis, n.* 42.

Probabiliter nulla est ordinatio, si sacerdos conferat ordines minores cum sola delegatione episcopali; quamvis enim ordinare sit actus ordinis episcopalis, cujus firmitas et validitas a pontificis nutu non pendet, delegare tamen simplici presbytero potestatem exercendi ejusmodi actum potius ad jurisdictionem quam ad ordinem pertinet, et hanc delegationem sibi reservavit Summus Pontifex.

50. **Ut ordinatio sit licita, oportet ut unusquisque a proprio episcopo ordinetur.** Aliquis subjicitur episcopo, unde licite ab eo ordinari possit, ratione *originis, domicilii, beneficii* et *familiaritatis.* Constitutio *Speculatores* Innocentii XII.

51. **Subditus ratione originis** is dicitur qui in diœcesi natus est in qua desiderat ad ordines promoveri. Non sufficit autem ut quis nascatur in aliquo loco ut illius loci episcopus possit eidem ordines conferre, sed requiritur ut natus non fuerit *accidentaliter*, e. g. occasione itineris, officii, mercaturæ vel alterius temporalis moræ parentum in eodem loco. Posita accidentali filii nativitate, investigandum est an pater in aliqua diœcesi domicilium habeat vel non. Si primum, episcopus proprius ratione originis est episcopus domicilii patris; si alterum, est episcopus illius loci in quo pater vere et naturaliter ortus est. Quod dicitur de patre, cujus domicilium sequitur semper filius, dicendum est de matre, cujus domicilium sequitur filius, quando pater tempore nativitatis filii jam defunctus est. Si pater fixerit suum domicilium in loco

accidentalis nativitatis filii, tunc attenditur ad actuale domicilium patris ut determinetur episcopus originis.

Pro ordinandis filiis illegitimis, obtenta dispensatione super impedimento irregularitatis, attenditur origo vel domicilium matris, cujus conditionem sequuntur.

Quoad expositos, quorum parentes non cognoscuntur, originis episcopus est ille episcopus ubi reperitur hospitale in quo expositi aluntur et educantur, etiamsi in alia diœcesi ad tempus expositi fuerint et in eadem sacramentum baptismi receperint.

Quoad derelictos, qui parentum nomen et patriam ignorant, episcopus originis est episcopus illius diœcesis in qua contraxerunt domicilium.

Quoad neophytos, attenditur ad locum in quo fuerunt regenerati ; const. *Cupientes* Pauli III, 21 Martii 1542.

52. **Ratione domicilii,** quis potest recipere ordines ab episcopo illius diœcesis in qua domicilium contraxit. Cum domicilium sit commoratio in aliquo loco cum animo perpetuo ibidem manendi, sequitur ad domicilium contrahendum duo requiri, factum commorationis et animum perpetuo in loco commorationis manendi. De facto materialis commorationis nulla potest adesse quæstio ; quoad animum manendi, recurrendum est ad conjecturas et indicia quæ indicantur in constitutione *Speculatores* Innocentii XII : Episcopus est proprius ratione domicilii pro gradibus clericalibus conferendis, si candidatus, " licet alibi natus fuerit, illud (domicilium) tamen adeo stabiliter constituerit in alio loco, ut, vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet."

Proinde ad tramitem hujus constitutionis :

1° Episcopus potest primam tonsuram et ordines, ratione domicilii, conferre ei qui in aliqua parochia suæ diœcesis commoratur cum animo ibidem perpetuo manendi, dummodo hunc animum probet, *vel* per decennalem habitationem, *vel* per translationem majoris rerum ac bonorum suorum partis cum permanentia per aliquod considerabile tempus, et insuper has probationes confirmet jurejurando, affirmans se vere ac realiter illum animum habere. *Gasparri, De Sacra ordinatione, t. II, num.* 830.

2° Illud *vel* satis indicat ad contrahendum domicilium pro ordinibus suscipiendis non requiri utramque probationem simul, sed alterutram sufficere una cum juramento. Hinc qui nulla bona immobilia vel mobilia habet, prima tantum probatione animum suum demonstrat, addito juramento ; alii vero, prima vel secunda, addito juramento.

Prima semiplena probatio est commoratio decennalis in parochia. Hoc decennium debet esse completum et continuum ; attamen discessus breves cum animo redeundi non nocent.

Altera semiplena probatio est translatio in diœcesim majoris partis rerum ac bonorum cum instructis ædibus, ac permanentia per aliquod considerabile tempus Igitur in primis necesse est ut in diœcesi domus propria, vel locata, habeatur, cum omnibus necessariis ad habitationem.

3° Non conveniunt auctores quale sit illud *considerabile tempus*, sed certum est triennium completum et continuum sufficere. Præterea requiritur permanentia personalis filii, si sit sui juris; secus sufficit permanentia illius sub cujus potestate filius est. *Gasparri, De Sacra Ordinatione, num.* 832.

4° Quoad juramentum, sufficit illud emittere semel ante primam tonsuram, nec requiritur ante susceptionem singulorum ordinum illud repetere.

5⁰ Non prohibetur quominus filius sui juris, aut pater, vel alius sub cujus potestate filius est, ea præcise mente domicilium in diœcesi figat ut filius ab episcopo promoveri possit : utitur enim juro suo. Sufficit ut acquirat domicilium ad tramitem constitutionis *Speculatores.*

53. **Incardinatus novæ diœcesi potest, servatis servandis, immediate ordinari.**

Casus est cujusdam alumni, qui, habitis litteris excardinationis, incardinatus est ad novam diœcesim ; num poterit ordinari immediate, vel post *considerabile tempus*, ad tramites constitutionis *Speculatores ?*

Incardinatio debet fieri in scriptis et absolute ; incardinandus debet præstare juramentum quod habet animum perpetuo manendi in diœcesi cui adscribitur, ad tramitem const. *Speculatores.* Ad hanc incardinationem deveniri non potest quin prius ex legitimo documento constet alienum clericum a sua diœcesi fuisse in perpetuum dimissum, et obtenta fuerint ab episcopo dimittente, sub secreto si opus sit, de ejus natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia. Hac ratione adscripti possunt immediate ordinari, servatis de jure servandis circa scrutinia. *Decretum S. Congregationis Concilii die* 10 *Junii* 1898 *editum.*

54. **Episcopus proprius ratione beneficii** est episcopus illius diœcesis in qua clericus beneficium jam habet et pacifice possidet, et quod sufficiens est ad honestam sustentationem. Nomine autem beneficii venit quodvis beneficium sive simplex, sive curatum ; non vero pensiones, licet perpetuæ et ecclesiasticæ ; hæ enim nequeunt dici beneficia sensu proprio.

55. **Episcopus fit proprius ratione familiaritatis,** respectu ejus quem per triennium habuit ut familiarem et e suis sumptibus aluit.

Quando episcopus ordines confert jure beneficii et familiaritatis, necessariæ sunt litteræ testimoniales episcopi originis

et domicilii, quibus comperta sit vita clerici ordines suscepturi. *De Luca, De Personis, num.* 42.

56. **Si quis habeat plures episcopos proprios,** alium nempe ratione originis, alium ratione domicilii, a quolibet horum episcoporum ordinari potest. Imo licet variare in ordinibus suscipiendis ita ut unus ab episcopo originis, alius ab episcopo domicilii recipiatur, dummodo in fraudem non fiat.

Recepto autem presbyteratu, sacerdos ita diœcesi ad quam pertinet incardinatur ut discedere nequeat sine litteris excardinationis sui episcopi. *Gasparri, De Sacra Ordinatione, vol. II, n.* 853 *et seq.*

57. **Quis erit minister ordinationis regularium?** 1° Abbates regulares delegantur a Concilio Tridentino, sess. XXIII, cap. 10, De Ref., unde valeant suis subditis regularibus solemniter professis tonsuram et ordines minores conferre. Hoc privilegium non conceditur superioribus regularibus, quorum professi debent ordinari ab episcopo in cujus diœcesi situm est monasterium.

Relate ad ordines sacros, episcopus proprius regularium non est episcopus originis, sed ille in cujus diœcesi situm est monasterium, vel domus religiosa. Ad hunc solum episcopum litteræ dimissoriales mitti debent ut ab eo regulares suscipiant ordines. Const. *Impositi nobis* Benedicti XIV. Si tamen episcopus iste sit absens, vel legitimo detineatur impedimento, tunc superior regularis potest dimissorias dare ad quemcumque alium episcopum, ut ab eo regularis subditus ordines suscipere possit. Sed ut episcopus ordinans et regularis ordinatus non incurrant pœnas canonicas statutas contra ordinantes alienum subditum, aut accipientes ordines ab episcopo non suo, necesse est ut habeatur documentum curiæ episcopalis quo constet episcopum, in cujus diœcesi situm est monasterium, ordines conferre non posse.

Quidam ordines obtinuerunt, post Concilium Tridentinum, speciale privilegium mittendi suos subditos ordinandos ad

quemcumque episcopum habentem communionem cum Sede Apostolica.

Hæ leges latæ fuerunt pro regularibus qui emittunt vota solemnia.

2° Religiosi votorum simplicium, nisi institutum habeat speciale privilegium apostolicum, debent ordinari ab episcopo originis vel domicilii. *Regulariter* superiores Congregationum obtinent indultum concedendi suis subditis litteras dimissoriales ad ordines suscipiendos, modo litteras dirigant ad episcopum in cujus diœcesi sita est domus religiosa. Quoad alumnos Congregationum qui post votorum professionem ad seminarium sæculare mittuntur, litteræ dimissoriales sunt dirigendæ ad episcopum diœcesis, in cujus seminario præfati alumni studiis dant operam, modo ipsi per integrum annum ibidem commorati fuerint. *S. Cong. EE. et RR.*, 7 *Junii* 1899.

ARTICULUS II.

De litteris dimissorialibus et testimonialibus.

58. **Nulli episcopo licet subditum alienum ordinare, nisi ipsi subjiciatur titulo originis, domicilii, beneficii vel familiaritatis.** Hac in re, valet regula juris 68 : " Potest quis per alium quod potest facere per seipsum." Quamvis maxime deceat ut episcopus per seipsum ordinet suos clericos, tamen ex causa potest eorum ordinationem committere episcopo extraneo. Ad hoc sufficit licentia in scriptis data per litteras quæ vocantur *dimissoriales* aut *reverendæ* ; *dimissoriales*, quia per eas clerici dimittuntur ad episcopum alienum, *reverendæ*, quia a Reverendissimo Antistite conceduntur. *Conc. Trid.*, *sess. XXIII*, *c.* 3.

59. **Quis potest litteras dimissoriales concedere ?**

1° *Episcopus, qui aliquem ordinare potest* ratione origi-

nis, domicilii, beneficii et familiaritatis, valet eidem concedere epistolas dimissoriales ut ab alio episcopo ordinetur. Cum autem concessio litterarum dimissorialium sit actus jurisdictionis, non ordinis, episcopus electus et confirmatus, nondum consecratus, potest dare prædictas litteras.

2⁰ *Jus concedendi dimissoriales transit in capitulum et in vicarium capitularem;* verum hoc jure uti nequit vicarius capitularis infra annum a die vacationis, nisi quoad clericos qui, occasione beneficii ecclesiastici suscepti vel suscipiendi, dicuntur arctati ad ordines. Elapso anno a die vacationis, hoc jure uti potest. *Conc. Trid., sess. VII, c.* 10, *De Ref.*

3⁰ *Administratores* qui deputantur a Vicariis Apostolicis ut, sede vacante, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, regimen vicariatus assumant, concedere possunt dimissoriales eodem modo ac vicarii capitulares. Constitutio *Ex sublimi* Benedicti XIV, apud *Zitelli, Apparatus Juris Ecclesiastici, pag.* 163. Eadem videtur esse potestas Administratoris qui, in provincia Quebecensi, deputatur ex decreto XVI concilii V.

4⁰ *Vicarius generalis* non potest litteras concedere, nisi habeat speciale mandatum, vel nisi " episcopus in remotis agat". *Gasparri, De Sacra Ordinatione, vol. II, n.* 867.

5⁰ *Superiores regulares* possunt litteras dimissoriales concedere suis subditis, servato decreto *Auctis admodum* S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 4 Nov. 1892 edito:

" I⁰ Firmis remanentibus constitutione S. Pii V diei 14 Octobris anni 1568, incipiente *Romanus Pontifex,* et declaratione Pii IX, edita die 12 mensis Junii anni 1858, quibus Superioribus Ordinum regularium prohibetur ne litteras dimissoriales concedant novitiis aut professis votorum simplicium triennalium, ad hoc ut titulo paupertatis ad sacros ordines promoveri valeant, eædem dispositiones extenduntur etiam ad

Instituta votorum simplicium, ita ut horum Institutorum superiores non possint in posterum litteras dimissoriales concedere pro sacris ordinibus, vel quomodocumque ad sacros ordines alumnos promovere titulo mensæ communis, vel missionis, nisi illis tantum alumnis qui vota quidem simplicia, sed perpetua jam emiserint, et proprio Instituto stabiliter aggregati fuerint; vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea Instituta quæ ultra triennium perpetuam differunt professionem. Revocatis ad hunc effectum omnibus indultis ac privilegiis jam obtentis a S. Sede, necnon dispositionibus contrariis in respectivis constitutionibus contentis, etsi tales constitutiones fuerint a S. Sede approbatæ.

II° Hinc notum sit oportet de regula generali haud in posterum dispensatum iri, ut ad majores ordines alumnus Congregationis votorum solemnium promoveatur, quin prius solemnem professionem emiserit, vel per integrum triennium in votis simplicibus perseveraverit, si alumnus Instituto votorum simplicium sit addictus.

III° Quod si interdum causa legitima occurrat, cur quisquam sacros ordines suscipiat, triennio nondum expleto, peti poterit ab Apostolica Sede dispensatio, ut clericus vota solemnia nuncupare possit quamvis non expleverit triennium; quoad Instituta vero votorum simplicium, ut vota simplicia perpetua emittere possit, quamvis non expleto tempore a respectivi Instituti constitutionibus præscripto pro professione votorum simplicium perpetuorum."

60. **Litteræ dimissoriales non solum dimittunt clericum** ad episcopum alienum, sed testari debent de ejus dotibus ad ordinem requisitis. Episcopus proprius, ut utamur verbis concilii Mediolanensis III, " hæc adscribat et testata faciat: vitæ in primis probitatem, doctrinam qua idoneus, examine habito, judicatus est, ecclesiasticum ordinem quo est proxime initiatus, tum præterea natales, aut dispensationem,

si quam super illis obtinuerit. Si vere majori ordini adscribendus est, ætatem et titulum quem ille habet. "Quicumque clericus hujusmodi litteras non attulerit quibus ea omnia adscripta, testataque fiant, ne adscribatur, perinde ac si nullas episcopi sui litteras dimissorias impetravit."

61. **Litteræ dimissoriales non expirant morte concedentis,** vel ejus amotione ab officio, quia habent naturam *gratiæ factæ;* sicut ab episcopo qui eas dedit, ita et ab ejus successore revocari possunt. *D'Annibale, Summula, vol. III, n.* 153.

62. **Litteræ testimoniales sunt illæ quæ testantur** de vita, moribus, legitimitate natalium, atque de carentia cujuscumque impedimenti plenum faciunt testimonium. Hæ litteræ testimoniales requiruntur præsertim in casibus sequentibus:

1º Quando clericus relinquens episcopum *originis*, vult ordinari ab episcopo *domicilii*, oportet ut habeat litteras testimoniales episcopi *originis*, si in ea ætate discesserit qua potuerit aliquo impedimento canonico innodari.

2º Quando subditus episcopi alibi tamdiu commoratus fuerit, ut ibi contrahere potuerit aliquod impedimentum canonicum. Const. *Speculatores.*

Tempus commorationis necessarium ut testimoniales litteræ requirantur non est a jure determinatum, verum sententia communis inter auctores est sufficere semestre, juxta regulam vigentem in materia conjugiorum quoad litteras exhibendas ad probandum statum libertatis. Quod tamen non prohibet Sanctam Sedem quominus exigat testimoniales pro absentia trium mensium; ita dispositum habetur in epistola S. Congregationis super Disciplina regulari 27 Nov. 1892, in qua cavetur quod religiosi, qui debent relinquere monasterium causa explendæ militiæ, si velint postea ingredi monasterium, exhibeant litteras testimoniales episcoporum in quorum diœcesibus ultra tres menses fuerint commorati.

Hoc decretum extensum est ad clericos etiam sæculares in iisdem circumstantiis positos. *S. Congregatio Concilii, in Firmana,* 9 *Sept.* 1893.

3° Jure particulari, quicumque ad statum clericalem admitti desiderat sequentia documenta et testimonia exhibeat :

a) Testimonium de baptismo et confirmatione susceptis;

b) De bona vita ;

c) De consueti patrimonii sibi opportuno tempore constituendi possibilitate vel impossibilitate ;

d) Promissum propria manu scriptum quod refundet omnes expensas quas episcopus pro eo insumpserit : a qua obligatione solvetur si in ordine religioso fuerit professus ;

e) Testimonia a singulis episcopis in quorum diœcesibus versatus fuit ;

f) Testimoniales litteras a moderatoribus Collegii in quo studia perfecit. *Conc. Marian., tit. VII.*

63. **Episcopus ordinans alienum subditum** absque litteris dimissorialibus vel proprium absque testimonialibus, si ordinandus tanto tempore alibi commoratus fuerit ut impedimentum contrahere potuerit, incurrit suspensionem per annum a collatione ordinum. Const. *Apostolicæ Sedis, tit. V, num.* 3.

ARTICULUS III.

De qualitatibus ordinandorum.

Quamvis episcopus sit minister ordinarius sacræ ordinationis, non est putandum eum posse valide et licite omnibus indiscriminatim ordines conferre.

64. **Ad validitatem ordinationis, tria requiruntur :**

1° Ut ordines conferantur *mari,* quia ordo secumfert aliquam eminentiam potestatis et officii in Ecclesia, cujus inca-

paces sunt fœminæ, quæ in Ecclesia tacere debent, ex *cap.* 14, *I Epist. ad Corinth.*

2° Ut ordinetur *baptizatus*, quia baptismus est janua sacramentorum Novæ Legis ; ideo " si quis presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur et iterum ordinetur." *Cap.* 1, *tit. XLIII, De presbytero non ordinato, L. III Decret.*

3° Ut ordinandus sit *capax rationis* et habeat intentionem saltem habitualem suscipiendi ordines ; nam agitur de novo statu suscipiendo, ad quem non admittitur nisi volens. Unde invalida esset ordinatio illius qui, animo prorsus reluctante, ordines recipere cogeretur. Quoad ordinem infantibus collatum, juxta Constitutionem Benedicti XIV, *Eo quamvis*, 4 Maii 1755, dicendum est ordinationem validam esse, dummodo nullo laboret substantiali defectu materiæ, formæ et intentionis in episcopo ordinante. Ordinati in infantili ætate interrogandi sunt, quando excesserunt XVI ætatis annum, an ratam habeant ordinationem vel non ; in primo casu, adstringuntur omnibus obligationibus sacris ordinibus annexis ; in secundo casu, possunt contrahere nuptias, nec tenentur ad officii recitationem et ad alia officia status clericalis. Quoad illos qui metu susceperunt ordines, distinguendum erit inter ordinationem et obligationes ei annexas ; ordinatio est certe valida, quia coacta voluntas est semper voluntas ; aliter res se habet respectu obligationum. Certum est ordinatum teneri ad obligationes, si metus fuerit levis, vel juste incussus, vel ratam habuerit suam ordinationem ; in aliis casibus, ordinatus non tenetur ad obligationes ordini suscepto annexas, sed debet expectare judicium Ecclesiæ. Praxis S. Cong. Concilii hæc est, ut potiusquam ordinati per metum declarentur immunes ab obligationibus ordinis suscepti, preces fiant Summo Pontifici pro dispensatione ab eisdem obligationibus.

65. **Ad licitam ordinationem necessarius est status gratiæ sanctificantis,** non solum pro susceptione

ordinum hierarchicorum qui totidem vivorum sacramenta sunt, sed etiam pro susceptione aliorum ordinum qui sacramentalia constituunt.

Illis qui ad gradus clericales aspirant requiritur vitæ bonitas habitualis major quam in laicis, justa illud Hieronymi: "Non solum episcopi et presbyteri et diaconi debent magnopere providere ut cunctum populum cui præsident, sermone et conversatione præcedant, verum etiam inferiores gradus et omnes qui Domini oraculo deserviunt."

66. **Ordinandus debet esse confirmatus,** ex cap. 4, sess. XXIII, De Ref. in Tridentino: "Prima tonsura non initientur qui sacramentum confirmationis non susceperint." Initiati prima tonsura, vel recipientes ordines minores ante confirmationem, præter peccatum mortale, fiunt irregulares; hinc nisi a S. Sede fuerint dispensati, non possunt promoveri ad ordines majores, et si provisi fuerint ad beneficium, indigent nova provisione.

67. **Ordinandus debet esse cœlebs,** quia in Ecclesia latina status conjugalis est incompatibilis cum statu clericali. Attamen, constante matrimonio, vir potest ordines sacros suscipere, modo ejus uxor consentiat et emittat votum castitatis in manibus episcopi; si juvenis sit vel suspecta incontinentiæ, tenetur ingredi monasterium; si sit in senili ætate et extra omnem suspicionem incontinentiæ, sufficit ut emittat votum castitatis simplex. Hoc votum simplex habet vim voti solemnis, nam, mortuo viro, ipsa non poterit convolare ad novas nuptias, obstante voti impedimento. *Bened. XIV, De Synodo diœc., lib. XIII, c.* 12, *n.* 16.

68. **Ordinandus debet habere scientiam competentem.** "Illitteratos, ait S. Gelasius, nullus præsumat ad clericatus ordinem promovere." Gradus scientiæ necessariæ clericis, ex jure canonico, varius est pro ratione ordinis suscipiendi, et determinatur a Conc. Trid., sess. XXIII, c. 4,

11, 12, 14, De Ref. Concilium requirit ut initiandi prima tonsura legere et scribere sciant et cognoscant rudimenta fidei; ut ad minores ordines promovendi linguam latinam intelligant; ut ordinandi in subdiaconos et diaconos instructi sint in eis quæ ad ordinem exercendum pertinent; tandem ut promovendi ad sacerdotium idonei sint ad docendum et ad ministrandum.

"Professi, tum votorum solemnium, tum simplicium, ab Ordinariis locorum ad sacros ordines non admittantur nisi testimoniales litteras exhibeant quod saltem per annum sacræ theologiæ operam dederint, si agatur de subdiaconatu; ad minus per biennium, si de diaconatu; et quoad presbyteratum, saltem per triennium, præmisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo." *S. C. Episc. et Reg. decretum,* 4 *nov.* 1892.

Illud decretum *præceptivum* pro clericis regularibus, est *directivum* pro sæcularibus. Non minor scientia requiritur in clericis sæcularibus qui debent ministrare et populum sibi commissum edocere.

69. **Ordinandus debet habere ætatem canonicam.** Si agatur de prima tonsura, conferri nequit ante septennium; quoad ordines minores, nihil in jure reperitur definitum, et conferri possunt a septennio ad decimum quartum ætatis annum, concurrentibus qualitatibus descriptis a patribus Conc. Trid., in cap. 5 et 11 sess. XXIII. Quoad ordines majores, Conc. Trid., in cap. 12 sess. XXIII, decrevit ut nullus in posterum ordinetur subdiaconus ante 22, diaconus ante 23, presbyter ante 25 ætatis annum. Sufficit ut anni fuerint inchoati, et in hoc differunt ordines majores ab episcopatu, pro quo assequendo requiritur annus 30 completus. Qui non attigerit ætatem a jure requisitam indiget dispensatione. Dispensationes generatim conceduntur pro solo presbyteratus ordine.

Inter facultates episcopis Canadensibus a S. C. de Prop. Fide concessas, in Formula I, sub numero tertio, habetur

facultas: " dispensandi super defectu ætatis unius anni, ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad sacerdotium, si alias idonei fuerint." Unde semel ac diaconus excesserit 23 ætatis annum, extante ratione, licite ordinari potest. In formula T ejusdem Congregationis, sub numero primo, habetur facultas: " dispensandi cum quindecim utriusque cleri diaconis suæ jurisdictioni subjectis super defectu octodecim mensium, ut, eo non obstante, ad sacrum presbyteratus ordinem promoveri possint, dummodo idonei sint et nullum aliud eis obstet canonicum inpedimentum." *Putzer, Commentarium in Apost. Facultates, Ed.* 4ª, *pag.* 158.

70. **Ordinandus debet habere titulum honestæ sustentationis,** ne in dedecus totius ordinis clericalis mendicare aut artes viles et negotia sæcularia exercere cogatur; *Conc. Trid., sess. XXI, c.* 2. In antiqua Ecclesiæ disciplina, titulus requirebatur, sive pro suscipiendis ordinibus majoribus, sive pro minoribus, et titulus erat ecclesia in qua clerici *intitulati* vel *incardinati* erant. Discissa vita communi et institutis beneficiis, clerici ordinati fuerunt ad aliquod beneficium. Seculo XII, cum plures episcopi ordinarent clericos sine titulo sustentationis, Alexander III, in Conc. Later. III, statuit episcopos ordinantes diaconos et presbyteros absque titulo teneri eisdem providere; Innocentius III extendit illud decretum ad subdiaconos; unde a tempore Innocentii III, titulus exigitur pro solis ordinibus majoribus. In presenti Ecclesiæ disciplina, clerici ordinari debent cum uno ex titulis quos refert S. C. de Prop. Fide in Instructione 27 Ap. 1871, cujus summarium referimus.

71. **Duplex distinguitur titulus, ecclesiasticus et patrimonialis.** Hic postremus obtinet, quando ordinandus talibus bonis certis, stabilibus et frugiferis, aliunde quam ab Ecclesia provenientibus, est instructus, quæ ad congruam ejus sustentationem, judicio episcopi, sufficere videantur. Ad

præfatum accedit titulus *pensionis.* Hi duo tituli sunt extraordinarii et ex dispensatione admittuntur, si nempe episcopus pro ecclesiæ necessitate aut commodo aliquem ita ordinandum esse judicaverit; *Conc. Trid., sess. XXI, c.* 2. Titulus *ecclesiasticus* subdividitur in *beneficialem* et *paupertatis,* cui accedunt tituli *mensæ communis* et *missionis.*

72. **Titulus beneficii** est jus perpetuum percipiendi fructus in bonis Ecclesiæ propter officium aliquod spirituale, ecclesiastica auctoritate constitutum. Hic titulus ordinationis est proprius et ordinarius. *Conc. Trid., sess. XXI, c. 2.*

73. **Titulus paupertatis** est ille cum quo ordinantur regulares qui emiserunt vota solemnia in religione approbata. Vi hujus tituli, ordinati honestam sustentationem reportant ex redditibus monasterii, si ordo bona possideat, vel ex piis fidelium oblationibus.

Qui vota tantum simplicia emittunt, debent ordinari titulo beneficii, patrimonii aut pensionis, nisi Institutum habeat speciale privilegium S. Sedis, quo professi votorum simplicium ordinentur *titulo paupertatis,* vel titulo *mensæ communis,* aut *missionis.*

74. **Titulus missionis** eis conceditur qui sacris ordinibus ordinari cupiunt ut apostolicarum missionum servitio sese devoveant. Ordinarii non possunt clericum ad hunc titulum ordinare nisi speciali indulto S. Sedis muniti sint, quia agitur de titulo qui derogat juri communi; ideo S. Sedes hortatur Ordinarios ut, quantum fieri potest, alii quoque legitimi tituli pro sacra ordinatione introducantur, nempe tituli patrimonii et pensionis.

75. **Titulus missionis acquiritur ante subdiaconatum** ab illis qui vovent, postquam promoti fuerunt ad ordines sacros, nullam religionem aut congregationem religiosam, sine S. Sedis licentia, ingressuros et in diœcesi cui destinati sunt, vel destinabuntur, perpetuo permansuros, et in divinis

administrandis laborem et operam sub omnimoda directione et jurisdictione Ordinarii in salutem animarum impensuros. Cf. formulam juramenti in *Discipline du diocèse de Québec*, v. *titre clérical.*

76. **Ordinati ad titulum missionis ita incardinantur diœcesi ut non possint ab ea exire sine indulto apostolico ;** antequam incandinentur novæ debent emittere novum juramentum. Ex decreto 30 nov. 1885, juramentum clericorum Americæ Fœderatæ valet pro tota provincia ecclesiastica, ita ut de consensu utriusque Ordinarii transire possint de una diœcesi ad aliam ejusdem provinciæ, quin emittant novum juramentum, et quin exquirant indultum apostolicum. *Collectanea S. C. de P. F., num.* 1182.

77. **Ordinati ad titulum missionis tenentur ad obligationes quæ adhærent juramento.** Ex apostolico ministerio in missione cui fuerunt addicti, necessaria ad victum consequuntur, i. e. diœcesis vel vicariatus apostolicus in cujus bonum sese obligarunt eorum necessitatibus, etiam in casu quo ad operandum sine sua culpa inhabiles evaserunt, providere tenetur ; *Ins. S. C. de P. F.* Obligatio ex juramento huic titulo annexo minime efficit ut episcopus in clericum majus jus acquirat ac illud quod ei competit ex jure communi. Unde privatio et remotio ab officio rectoris, si in pœnam delicti vel reatus disciplinaris fit, fieri non potest nisi confecto processu canonico ; translatio autem de una missione ad aliam, aut ad aliud officium, fieri debet ab episcopo ex causis gravibus et habita meritorum ratione. *Collect. S. C. de P. F., num.* 2153. Remotis et translatis recursus ad S. C. de P. F. *in devolutivo* conceditur. Juramentum die anniversaria, vel alio statuto die, præmissa confessione et communione, pie renovantes, lucrantur indulgentiam plenariam defunctis applicabilem. *Putzer, Commentarium in facultates apostolicas, num.* 211.

78. **Amittitur titulus missionis,** 1⁰ per privationem ab Ordinario factam, postquam hic paternis ac repetitis monitis sacerdotem ad resipiscendum frustra invitavit, atque de ejus criminibus certas probationes sibi comparavit, quas in casu recursus valeat exhibere Sacræ Congregationi; 2⁰ per dimissionem officii missionarii; 3⁰ per voluntariam substitutionem tituli patrimonii factam cum consensu Ordinarii et S. C. de Propaganda Fide, quo in casu datur dispensatio a juramento; 4⁰ tandem per professionem in religioso instituto, servatis de jure servandis. *Putzer, loco citato.*

79. **Quando sacerdos, suo titulo missionis privatus, nullum signum resipiscentiæ dedit** et in sua consuetudine perseverat, episcopus non tenetur ad sustentationem illi præbendam. Eos qui tutulum missionis amiserunt, Ordinarii tenentur compellere ad alterius tituli subrogationem, sed non sunt ipso facto suspensi, et consequenter ministrare possunt.

80. **Quoad pœnas contra episcopum latas propter ordinationem clerici de titulo non provisi:**

1⁰ Si episcopus clericum sine titulo ordinaverit, debet suo sumptu alere clericum ordinatum, modo conscius fuerit defectus tituli et clericus non habeat unde sustentetur.

2⁰ Suspensionem per annum a collatione ordinum R. Pontifici reservatam ipso jure incurrunt qui, excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerint absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua congregatione viventi in qua solemnis professio non emittitur, vel religioso nondum professo. Const. *Apost. Sedis.*

3⁰ Suspensionem per triennium R. P. reservatam a collatione ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta. Const. *Apost. Sedis.*

81. **Oportet ut ordinandus nulla censura sit irretitus.** In cap. 32, *De sententia excommunicationis,* Inno-

centius III agit præcise de excommunicatis ex violenta clericorum percussione, qui ecclesiasticam sententiam negligentes, in excommunicatione positi, ecclesiasticos ordines accipere non formidant; et respondet eos, si scienter id fecerint, a susceptis ordinibus in perpetuum esse deponendos. Per *ecclesiasticos ordines* intelliguntur ordines minores et majores, non vero tonsura.

Hæc suspensio a constitutione *Apostolicæ Sedis* censetur abrogata. Hinc excommunicatus primam tonsuram aut ordines recipiens hodie peccat graviter, sed pœnas latæ sententiæ non contrahit et nominatim non est irregularis. *Gasparri, De Sacra Ordinatione, n.* 142.

ARTICULUS IV.

De examine ordinandorum.

82. **Nullus ad ordines promoveri debet nisi habeatur idoneus et probatus.** Clericus reputatur *idoneus,* quando caret impedimentis ad ordines suscipiendos; dicitur *probatus,* quando, facta inquisitione de persona, ætate, moribus, fide et doctrina, certis argumentis constat eum non esse indignum.

Necessitas hujus probationis patet ex natura ipsa sublimis gradus quem ordinandus scandere debet; quanto autem clericale munus est sublimius, tanto exactior sit oportet personarum inquisitio; *Can.* 5, *dist.* 51. Hæc inquisitio facienda est non solum in conferendo presbyteratu, sed et in admissione ad infimum clericatus gradum, nam " vires regni in prima delectorum examinatione consistunt." *De Luca, Prælectiones Juris Canonici, De Personis, n.* 44.

Qui præsumit ad ordines accedere non probatus, obnoxius

est excommunicationi ferendæ sententiæ. *Cap.* 1 *et* 2, *De eo qui furtive ordines suscipit.*

83. **Ordinationi triplex præmittitur examen, seu scrutinium.**

1⁰ *Primum* est illud de quo loquitur Tridentinum, sess. XXIII, cap. 5:

a) " Ad ordines minores promovendi bonum a parocho et a magistro scholæ in qua educantur testimonium habeant."

b) " Hi vero qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem episcopum adeant, qui parocho, aut alteri cui magis expedire videbitur, committat ut, nominibus ac desiderio eorum qui volunt promoveri publice in ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus et vita a fide dignis diligenter inquirat, et litteras testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum episcopum quamprimum transmittat."

Publicationes ordinandorum debent fieri intra missarum solemnia in ecclesia cathedrali et in ecclesia parochiali. Hæ publicationes sunt vestigium antiquæ disciplinæ, et ad instar publicationum pro matrimonio ineundo; sed Concilium hic non præcipit, sicut pro matrimonio, has publicationes esse faciendas ter, tribus continuis festivis diebus, sed episcopus lege particulari ad hoc obligare posset. *Gasparri, De Sacra Ordinatione, vol. II, n.* 698.

2⁰ *Secundum scrutinium* describitur in cap. 7 ejusdem sessionis: " Synodus decernit ut, quando episcopus ordinationem facere disposuerit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria IV ante ordinationem, vel quando episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Episcopus autem, sacerdotibus et aliis prudentibus viris, peritis legis divinæ, et in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet."

Materia examinis versatur *a)* circa natales: quibus paren-

tibus natus sit, quo loco, an baptizatus sit; *b)* circa personam: an sit confirmatus, an irregularitate aliqua, aut censura sit impeditus; *c)* circa aetatem: an illam habeat quæ in ordine de quo agitur, requiritur; *d)* de moribus atque de fide: an quidquam ei de hac materia opponi possit; *e)* de doctrina quæ propria sit ordinis qui ab eo postulatur.

3° *Tertium scrutinium* verificatur in ordinatione diaconorum et presbyterorum, et est pars liturgiæ. Archidiaconus, pontificem alloquens, ait: " Postulat Sancta Mater Ecclesia... "; et episcopo sciscitanti utrum archidiaconus eos dignos agnoscat, hic testificatur eos dignos esse, quantum humana fragilitas nosse sinit. Postea episcopus populum rogat ut si quis aliquid habeat contra ordinandos, cum fiducia exeat et dicat.

Hic ritus hodie mere cœremonialis est, ad memoriam enim antiquæ disciplinæ. Unde Archidiaconus, licet ordinandum non agnoscat, tuta conscientia respondere potest eum dignum esse, quia episcopo jam constat de dignitate.

84. **Episcopus qui per se non ordinat** suos clericos, eos ad alium episcopum examinatos et probatos dimittere tenetur, sed episcopus ordinans non obligatur attestationi proprii episcopi deferre, et eosdem novo examini subjicere posset.

Ipsi regulares, non sine diligenti episcopi examine, ordinandi sunt, nisi speciali privilegio post Tridentinum concesso eximantur. Hoc privilegio aliis non communicabili pollent clerici Societatis Jesu, ex const. *Pium et utile* Gregorii XIII.

Clerici regulares, ab episcopo diœcesano in examine reprobati, non possunt a suis superioribus ad alios episcopos mitti pro ordinibus suscipiendis, sed debent vel studio incumbere, vel recurrere per viam appellationis ad legitimum superiorem.

85. **Episcopus potest suspendere clericum ab ordinibus suscipiendis ex informata conscientia.** *Conc.*

Trid., sess. XIV, cap. 1, *De Ref.* Huic clerico datur recursus ad Sanctam Sedem, cui episcopus manifestare tenetur causam hujus denegationis. Hic recursus, si fiat, non habet vim suspensivam, sed devolutivam tantum. *Cf. vol. II, n.* 1035 *et seq.*

ARTICULUS V.

De legibus ordinationis.

Leges quæ ordinationem ipsam respiciunt referuntur ad tempus, locum et legitimum intervallum.

86. **Ordines debent conferri debito tempore.**

1° *Quoad primam tonsuram*, in ordinatione generali confertur intra solemnia missæ pontificalis et præcise post *Kyrie Eleison ;* attamen conferri etiam potest extra missarum solemnia, quocumque die, hora et loco, ut fert consuetudo generalis. *Pontificale Romanum.*

2° *Minores ordines* dari possunt extra missarum solemnia, diebus dominicis et festivis duplicibus, ubicumque, sed mane tantum. Per dies festivos intelliguntur dies qui a populo servantur, ita *S. C. Concilii apud Fagnanum.* S. C. Rituum, 16 Martii 1833, statuit minores ordines conferri posse in festis de præcepto, vel in festis duplicibus quæ erant de præcepto ante reductionem.

3° *Majores ordines* nonnisi in sabbatis quatuor temporum, aut sabbato sancto, vel sabbato ante diem dominicam Passionis, ab ullo episcopo, præter Romanum Pontificem, licite conferuntur ; *Conc. Trid., sess. XXIII, c.* 8. Tunc temporis speciales preces a fidelibus impetrantur ut dignetur Deus ministros sanctos et doctos Ecclesiæ largiri.

87. **Summus Pontifex facultatem ordinandi extra tempora a jure statuta concedit episcopis missio-**

num : In Formula I, sub numero 1⁰, indulgetur facultas "conferendi ordines extra tempora et non servatis interstitiis usque ad presbyteratum inclusive, si sacerdotum necessitas ibi fuerit."

Circa usum illius facultatis, refertur illa responsio S. C. Rituum, 18 Maii 1883 : Episcopus Marianopolitanns sequentia dubia solvenda proposuit : " 1⁰ Utrum facultas limitetur, nisi specialissimum adsit indultum, ad solos dies quibus de jure communi conferre licet ordines minores, scilicet dies festivos de præcepto, etiam in fidelium favorem abrogatos ? 2⁰ An saltem ad omnes dies in quibus recitatur officium ritus duplicis ? " S. C. R. respondit affirm. ad 1am partem, neg. ad 2am. Attamen Kenrick, tr. 20, num. 34, Sabetti, num. 835, docent in Statibus Fœderatis et alibi, vi consuetudinis diuturnæ, ordines conferri posse quolibet die, pro æquo episcopi arbitrio. *Cf. Konings, num.* 1523, *q.* 3⁰.

88. **Relate ad usum hujus facultatis,** notandum est episcopum dispensantem esse episcopum proprium clerici ordinandi.

Hinc ordinandi, qui educantur in seminario diœcesis non suæ, ibique de consensu suorum Ordinariorum ordinantur, ab episcopo loci dispensari non possunt in temporibus ordinationum, neque in irregularitate, neque in ætate. Hæc dispensatio obtinenda est ab Ordinario clerici ordinandi. *Cf. Putzer, Commentarium, n.* 49.

89. **Ordines debent conferri in loco debito.**

1⁰ *Quoad tonsuram et ordines minores*, possunt conferri in quocumque honesto loco diœcesis.

2⁰ *Ordines majores* conferri debent in cathedrali, vocatis et præsentibus canonicis. Si non fuerit ordinatio generalis, sed tantum aliquarum personarum, potest ubique episcopus eam habere, et etiam in capella sua privata ; *S. C. Concilii, 20 nov.* 1592. Quia nulli episcopo licet pontificalia in alterius

diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, concludunt auctores ordines esse conferendos in propria diœcesi episcopi ordinantis. *Conc. Trid., sess. VI, cap.* 5.

90. **Inter ordines servari debet debitum intervallum,** ut ordinandi " eo accuratius quantum sit hujus disciplinæ pondus possint edoceri, ac in unoquoque munere, juxta præscriptum episcopi, se exerceant...... atque ita de gradu ad gradum ascendant." *Conc. Trid., sess. XXIII, cap.* 11, *De Ref.*

Quantum esse debeat interstitium inter unius et alterius minoris ordinis susceptionem, nulla lege est definitum. Ab ultimo gradu minorum ordinum ad subdiaconatum annus debet intercedere; idem temporis spatium inter singulos ordines majores. Hic annus non naturalis, sed ecclesiasticus esse debet. *Cf. Zitelli, Apparatus juris, p.* 359.

91. **A lege interstitiorum episcopus dispensare potest.** Si agitur de interstitiis inter acolythatum et subdiaconatum, inter diaconatum et presbyteratum, episcopus dispensare potest ob necessitatem aut utilitatem Ecclesiæ, id est, si necessitas aut utilitas Ecclesiæ exigit hanc celeriorem candidati promotionem. Si vero agitur de interstitiis pro minoribus inter se, aut de interstitiis inter subdiaconatum et diaconatum, episcopus potestatem dispensandi habet pure et simpliciter, etiam citra necessitatem aut utilitatem Ecclesiæ, cum Conc. Trid. dicat: " nisi aliud episcopo expedire magis videretur."

92. **Præter hanc potestatem dispensandi a jure communi concessam,** Episcopis hujus regionis datur facultas conferendi ordines *extra tempora et non servatis interstitiis.* Stante hac facultate, non licet clerico, eodem die, recipere quatuor ordines minores et subdiaconatum. Eadem ratione, non liceret duos ordines sacros eodem die recipere, nisi haberetur speciale indultum S. Sedis.

93. **Ordines majores debent conferri diebus festivis non continuis, sed interpolatis,** nisi habeatur specialissimum indultum. Hoc tamen non est intelligendum, quasi inter unum et alterum ordinem deberent intercedere tres vel quatuor menses, sed inter unum et alterum tempus ordinationis, aliquis omnibus sacris initiari potest, data tamen prudenti interpolatione inter unum et aliud festum, attento tamen commodo Ordinantis; *Putzer, Commentarium in facultates Apostolicas, editio* 5ª, *n.* 99. Potest probabiliter unus ordo conferri die a jure statuto, v. g. sabbato sancto, et alter die festivo immediate sequenti, in hypothesi nostra, in Dom. Resurrectionis, quia tunc non suscipiuntur ordines diebus continuis *virtute facultatis.* Imo, juxta *Gasparri, vol. I, num.* 509, si episcopus obtinuit indultum super interstitiis et temporibus, potest, nisi aliud ex verbis indulti constet, conferre unum ordinem sacrum die sabbati et alium die dominica.

94. **Tandem ordines gradatim conferendi sunt,** et ordinationes per *saltum*, id est, uno prætermisso ordine, prohibentur a jure; *Conc. Trid., sess. XXIII, cap.* 14. Attamen ordinatio hujusmodi valida est, licet illicita, quia, ut ait S. Thomas : " potestates sunt distinctæ, et una, quantum est de sui ratione, non requirit aliam in eodem subjecto." Excipitur episcopatus, cujus collatio, ex probabiliori sententia, omisso presbyteratu, non consistit. Bened. XIV, Const. *In postremo.*

Clericus ordinatus per saltum eo ipso suspensus est ab ordine suscepto; ideoque fieret irregularis, si in ordine per saltum suscepto ministraret.

95. **Clerici debent præmittere exercitia spiritualia sacræ ordinationi.** Licet præscripta Alexandri VII et Innocentii XI non respiciant nisi diœceses Italiæ et insularum adjacentium, tamen S. C. Concilii, in suis responsionibus ad catholici orbis episcopos, numquam eosdem omittit hortari

ut neminem ad sacros ordines admittant, qui spiritualia exercitia antea non peregerit. *Bargilliat, vol. I, num.* 299.

ARTICULUS VI.

De impedimentis ordinis.

96. **Irregularitas communiter definitur:** Impedimentum canonicum quo quis arcetur a susceptione ordinum et ab illorum exercitio, si jam recepti fuerint.

1° Cum clerus sit pars electa et venerabilior societatis christianæ, non omnes ad hunc statum promoveri possunt. Ecclesia arcet qui carent certis dotibus et qui ob delicta indignos sese reddiderunt tanta dignitate. Igitur irregularitas est ratio providendi decori status clericalis.

2° Locus proprius irregularitatis est tractatus de ordine, sicut locus proprius impedimentorum matrimonialium est in tractatu de matrimonio.

97. **Irregularitas sic dividitur:**

1° *Ratione causæ,* alia est irregularitas *ex defectu,* alia *ex delicto.* Irregularitas dicitur *ex defectu,* quoties causa quæ illi originem dedit nullam culpam supponit in subjecto, v. g. cœcitas, defectus natalium ; dicitur *ex delicto,* quoties ortum habuit ex crimine, v. g. ab homicidio voluntario et injusto, a violatione censurarum. Nemo incidit in irregularitatem *ex delicto,* nisi perpetraverit peccatum *mortale, externum, in sua specie consummatum,* quia perpetua inhabilitas ad statum clericalem est pœna gravissima. Quando quis excusatur a culpa, excusatur ab irregularitate ; sed pœnitentia, quæ delet peccatum et hominem reconciliat cum Deo et Ecclesia, non tollit irregularitatem.

2° *Ratione temporis,* alia est *perpetua,* alia est *temporanea.* Irregularitas *ex delicto* est perpetua, et cessat per dispen-

sationem; irregularitas *ex defectu* sæpe est transitoria, e. g. defectus scientiæ vel ætatis. *Icard, Prælect. Jur. Can., vol. III, n.* 799.

3⁰ *Ratione effectuum*, alia est *totalis*, alia *partialis*, prout impedit ab omni ordine et officio, vel a quibusdam functionibus sacri ministerii.

98. **Plures sunt effectus irregularitatis.**

1⁰ Primus effectus irregularitatis est prohibere ordinum susceptionem. Afficit omnes clericales gradus; licet irregularitas respiciat præsertim presbyteratum, tamen cum omnes alii gradus infra presbyteratum sint gradus ad illum, hinc irregularitas ab omnibus removet, et multo magis ab episcopatu. Imo prohibet etiam a prima tonsura, quæ est tantum præparatio ad ordines; revera frustra quis ad ordines præparatur qui ab ordinibus repellitur.

2⁰ Irregularitas quæ vetat quoscumque gradus clericales conferre et suscipere, prohibet quominus irregularis *actus ordinis ordinatis reservatos* exerceat: et hic est secundus actus irregularitatis procedens a primo. Dicitur 1⁰: actus ordinis *ordinatis reservatos*, quia *a)* quidam sunt actus ordinis ita proprii alicujus ordinis ut numquam poni possint ab illis qui illo ordine non sunt insigniti, v. g. consecratio Eucharistiæ, absolutio sacramentalis, quæ ordinem sacerdotalem omnino requirunt. *b)* Sunt alii actus alicujus ordinis qui ex officio et cum quadam solemnitate seu apparatu ponuntur a constitutis in eo ordine, sed poni valent sine solemnitate a clericis inferioribus et a laicis, v. g. cantare epistolam est officium subdiaconi, sicut cantare evangelium est officium diaconi, sed cantare epistolam sine manipulo, aut evangelium sine stola alii quoque possunt, non adhibitis illis indumentis. *c)* Sunt alii actus alicujus ordinis quos cum eisdem indumentis ac solemnitatibus ponere possunt et insigniti eo ordine, et clerici inferiores, et etiam laici, v. g. actus omnium ordinum minorum in genere, ex consuetudine; *Gasparri, De*

Sacra Ordinatione, vol. I, n. 150. Jamvero irregularitas non prohibet actus ordinatis non reservatos, qui scilicet, sive in se, sive propter defectum solemnitatis, poni possunt a laicis; irregularis illos actus ponens non videtur ordinem exercere.

Dicitur 2°: *actus ordinis*, quia irregularitas non tollit jurisdictionem sive interni, sive externi fori.

3° Tertius effectus irregularitatis est prohibere quominus irregularis possit promoveri ad officium proprie dictum, neque ad beneficium, quia beneficium datur propter officium. Omnes admittunt collationem beneficii factam irregulari esse illicitam; an vero invalida sit? controvertitur. Nonnulli, quorum opinionem satis probabilem dicit S. Alphonsus, asserunt collationem non esse irritam, sed a judice irritandam. Ceteri communissime propugnant collationem esse jure nullam, et hæc opinio visa est S. Alphonso communior et probabilior. Revera Conc. Trid., sess. VII, cap. 3, jubet ut " beneficia ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis et habilibus conferantur. Aliter autem facta collatio, sive provisio, *omnino irritetur*."

99. **Irregularitas superveniens post beneficii possessionem non privat per se beneficio et jure percipiendi fructus:** e. g. parochus irregularitatem contrahens ex violatione censuræ parochiam retinet et fructus percipit. Diximus *per se*, quia fieri potest ut delictum producens irregularitatem secumferat privationem beneficii *ipso jure*, aut cogat irregularem ad illud dimittendum.

Pariter irregularitas non impedit jurisdictionem sive fori interni, sive fori externi: proinde valide et licite parochus irregularis assistit matrimoniis, quod est actus jurisdictionis, valide et licite episcopus irregularis confert beneficia, irrogat censuras, dispensat in votis, in impedimentis matrimonialibus, etc. Irregularitas prohibet actus ordinis et non jurisdictionis. *Gasparri, loco citato.*

100. **Irregularitas differt a censura.** Censura est pœna medicinalis ob culpam inflicta et ad emendationem delinquentis ordinata; irregularitas vero non est, primario, ad punitionem vel emendationem delinquentis, sed ad honorem sacri ministerii, quod postulat ut qui ad altaris ministerium assumuntur, sint integri corpore et mente puri. Fertur tamen aliquando per modum pœnæ vindicativæ, sed secundario, quatenus aliquis ob culpam indignus factus est sacro ministerio.

101. **Tandem circa irregularitatem, hæc notentur:**

1° Nulla est irregularitas *ab homine*, sed omnis irregularitas est a jure communi, ut eruitur ex capite *Is qui*, 18, *De sententia excommunicationis, in 6°*, ubi Bonifacius VIII declarat per celebrationem in ecclesia polluta non fuisse contractam irregularitatem, *cum id non sit expressum in jure communi.*

2° Irregularitas contrahitur ante omnem sententiam et non tollitur per absolutionem, sed per dispensationem. Irregularitas *ex defectu* semper incurritur, stante defectu in jure expresso; ratio est, quia hujusmodi irregularitas non habet naturam pœnæ, sed solius impedimenti; proinde ignorantia et inculpabilitas ab ea incurrenda non excusant.

3° Irregularitas *ex delicto* incurritur per solam culpam gravem, externam et consummatam. Ratio est, quia pœna gravis gravem culpam requirit; hinc circumstantia quæ excusat a peccato gravi, excusat ab irregularitate. Juxta sententiam communem, ad incurrendam irregularitatem *ex delicto*, requiritur scientia legis ecclesiasticæ prohibentis; imo probabiliter sola ignorantia pœnæ excusat ab irregularitate, cum sit pœna, et quidem extraordinaria, quæ non censetur ab ignorante incurri. *Stus Alphonsus, lib. VII, num.* 350.

102. **Irregularitates ex defectu** proveniunt ex defectu 1° animi, 2° corporis, 3° natalium, 4° ætatis, 5° sacramenti, 6° bonæ famæ, 7° libertatis, 8° lenitatis. Exprimuntur his versiculis:

Natales, animus, libertas, corpus et ætas,
Non bigamus, lenis, nec mala fama notet.

103. **Ex defectu animi sunt irregulares:**

1° Qui carent quandoque usu rationis, ut amentes, lunatici, furiosi, epileptici et energumeni, etsi lucida intervalla habeant. Facilius tamen permittitur susceptorum ordinum exercitium quam novorum susceptio.

2° Qui carent scientia necessaria, sive *actualiter*, quia sunt illitterati, sive *radicaliter*, quia propter mentis imbecillitatem impediuntur quominus scientia sufficienti imbuantur.

3° Qui carent fide satis probata, quales sunt recenter ad fidem conversi. Filii hæreticorum per paternam lineam usque ad secundum gradum, per maternam usque ad primum sunt irregulares. *Cap.* 2 *et* 15, *De Hæreticis, in* 6° *Decretalium.*

104. **Ex defectu corporis irregulares sunt** qui, nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri, ministrare possunt.

1° *Ex primo capite* sunt irregulares : *a)* Cæci, visu totaliter carentes; item carentes *oculo canonico,* id est, sinistro, nisi oculo dextero, sine deformitate, canonem legere possint. Possunt cæci, sacerdotio jam initiati, dispensari a Pontifice ad celebrandum, si constet eos in celebratione non errare, et sacerdotem assistentem habeant. *b)* Surdi, qui penitus non audiunt. *c)* Muti, qui non possunt loqui, vel nonnisi cum magna difficultate. *d)* Claudi, qui nequeunt sine baculo consistere, vel qui utuntur pede ligneo. *e)* Carentes manu, vel digitis omnibus, vel tribus digitis posterioribus, vel pollice. *f)* Omnes qui habitualiter tali morbo laborant, ut nequeant celebrare sine periculo proximo deficiendi, vel notabiliter errandi.

2° *Ex secundo capite* irregulares sunt : *a)* Carentes naso, vel aliquo corporis membro, ita ut horrorem vel risum moveant. *b)* Leprosi, qui habent faciem deformiter maculatam.

c) Monstruosi, quales sunt gibbosi, gigantes, pygmæi, hermaphroditi, et in genere omnes qui non possunt ministrare quin horrorem aut risum moveant.

Quando dubitatur utrum defectus constituat impedimentum, judicium ferendum est ab episcopo, præsente magistro cœremoniarum. Quando constat de impedimento, recurrendum est ad Summum Pontificem. Facilius dispensatur ut quis exerceat ordines susceptos quam ut ad ordines majores promoveatur, juxta caput 25, *De Jurejurando :* " Turpius ejicitur quam non admittitur hospes."

105. **Ex defectu natalium sunt irregulares** omnes qui extra thorum legitimum sunt nati. Et quidem si orti sint ex viro et muliere, inter quos tempore conceptionis vel saltem nativitatis poterat consistere matrimonium, jure canonico *naturales* dicuntur ; secus vocantur filii *spurii.* Filii spurii dicuntur *adulterini, sacrilegi, incestuosi,* prouti nati sunt ex parentibus, vel uno eorum, conjugatis, aut obstrictis voto religionis solemni vel ordine sacro, aut ligatis impedimento consanguinitatis vel affinitatis.

1⁰ Hæc irregularitas statuta est in Ecclesia tum propter periculum incontinentiæ ex imitatione paterna, tum propter odium paterni criminis, tum ut paternæ incontinentiæ memoria a locis Deo consecratis longissime arceatur ; *Conc. Trid., sess. XXV, c.* 15. Illegitimi reputantur non solum illi qui nati sunt ex fornicatione, incestu, adulterio, sacrilegio, sed etiam nati ex matrimonio quod, omissis absque dispensatione proclamationibus, celebratum est cum impedimento dirimente, licet a sponsis ignorato.

2⁰ Non sunt irregulares : *a)* qui sunt nati ex matrimonio publico, sed invalido ob impedimentum occultum ab uno saltem ignoratum, dummodo matrimonium fuerit contractum *bona fide,* saltem ex parte unius conjugis, coram Ecclesia et præmissis denuntiationibus ; *b)* nati ex infidelibus, quorum

matrimonium validum fuit secundum naturam, quamvis initum cum impedimento quod jure canonico matrimonium fidelium dirimit; *c)* expositi, de quorum parentibus non certo constat.

3⁰ In dubio de legitimitate, nemo censetur irregularis, sed in praxi solet peti dispensatio *ad cautelam.*

4⁰ Irregularitas ex defectu natalium tollitur: *a) per legitimationem,* quæ fit per rescriptum Pontificis; *b) per subsequens matrimonium parentum,* quando, tempore conceptionis aut nativitatis, potuissent valide contrahere, nullo obstante impedimento dirimente; *c) per professionem religiosam*; *d) per legitimam dispensationem* Summi Pontificis pro sacris ordinibus et dignitatibus, episcopi pro ordinibus minoribus et beneficio simplici.

Ex defectu ætatis irregulares sunt qui ætatem canonicam pro singulis ordinibus non attigerunt. *Cf. art.* 3 *hujus tit., num.* 69.

106. **Ex defectu sacramenti, seu ex bigamia,** oritur irregularitas. Ratio assignatur quia is qui duas duxit uxores non potest apte significare unionem Christi cum Ecclesia, unica ejus sponsa. Triplex distinguitur bigamia: vera, similitudinaria et interpretativa.

1⁰ *Vera* existit in eo qui cum duabus matrimonium contraxit quod consummavit.

2⁰ *Similitudinaria* locum habet, quum quis, obligatus voto solemni, vel constitutus in aliquo ordine majori, attentat et consummat matrimonium; censetur duo matrimonia contraxisse, unum spirituale, aliud carnale.

3⁰ *Interpretativa* habetur, quando quis cum duabus non contraxit, sed interpretatione juris censetur contraxisse; hic casus verificatur quando quis duxerit viduam, aut mulierem ab alio corruptam.

107. **Ex defectu bonæ famæ** contrahitur irregularitas,

juxta illud juris : " Infamibus non pateant portæ dignitatum." Ex *can. Infames, caus.* 6, *quæst.* 1.

Duplex infamia distinguitur, *juris* nempe et *facti.*

1° Sunt infames *infamia juris* filii et nepotes eorum qui violentas manus in cardinalem injiciunt; filii eorum qui in hæresi decesserunt, usque ad secundam generationem in linea paterna, ad primam in linea materna, ut constat ex S. Congregatione Concilii, 20 Aug. 1678. Hæc irregularitas viget in locis in quibus hæreses impune grassantur, ex decretis S. Officii 11 Julii 1884 et 4 Dec. 1890.

2° Infamia facti contrahitur ob vile officium quod quis inculpabiliter exercuit.

Ex defectus libertatis, declarantur irregulares :

1° Servi proprie dicti, donec consequantur plenam libertatem ; 2° Uxorati, ob conjugii vinculum, *cf. huj. tit. n.* 67 ; 3° Obligati ad reddendas rationes, ut tutores et curatores, nisi redditis rationibus et deposito officio.

108. **Ex defectu lenitatis** sunt irregulares quicumque post baptismum voluntarie, active, efficaciter et proxime, ad alicujus mortem vel mutilationem, licet juste et ex auctoritate publica, concurrunt per actionem natura sua ad id ordinatam. " Quod ideo statuit Ecclesia, quia sacerdos gerit personam Christi, qui, utpote lenissimus, neminem unquam læsit ;" *Stus Alph., lib. VII, n.* 457. Hæc irregularitas contrahitur tum in judicio, tum in bello, tum in exercitio medicinæ.

1° *In judicio,* fiunt irregulares, effectu secuto, *judices* proferentes sententiam, licet justam, mortis vel mutilationis; *consiliarii et assessores,* qui consilio aut suffragio suo cooperantur; *accusatores* vel *denuntiatores* petentes vindictam criminis capitalis, licet protestentur se nolle pœnam mortis, cum protestatio sit contraria facto; *testes voluntarii, carnifices, lictores* et *omnes ministri* eamdem mortis aut mutila-

tionis pœnam exequentes. Controvertitur an *jurati* et *testes coacti* irregularitatem incurrant. *Bargilliat, vol. I, n.* 322.

2° *In bello injusto*, fiunt irregulares omnes milites, etiamsi unus tantum homo occidatur aut mutiletur. *In bello justo defensivo*, nemo fit irregularis in occidendo aut mutilando, modo non excedat moderamen inculpatæ tutelæ. *In bello justo offensivo*, fiunt irregulares omnes qui propria manu vel mutilant, vel interficiunt.

3° *In exercitio artis medicinæ*, irregularitatem incurrunt clerici in sacris et monachi, medentes, extra casum veræ necessitatis, cum adustione vel incisione, si inde mors notabiliter acceleretur, vel mutilatio sequatur, quamvis sint in arte periti et omnem diligentiam adhibeant.

109. **Irregularitates ex delicto contrahuntur :** 1° Ex abusu sacramenti baptismi ; 2° ex abusu ordinis ; 3° ex violatione censuræ ; 4° ex delicto infamante ; 5° ex homicidio vel mutilatione. Continentur in hoc versiculo :

Fonte reus, sacris, censura, crimine, leto.

Ex decreto S. Congregationis Concilii 25 Maii 1893, irregularitatem incurrunt clerici nondum sacerdotio initiati ob turpe missarum mercimonium, ita ut inhabiles fiant ad superiores ordines recipiendos. Quæ dispositio renovatur in decreto *Ut debita sollicitudine* 11 Maii 1904, de observandis et evitandis in missarum manualium satisfactione, art. 12 : " Qui statuta in præcedentibus articulis perfringere ausus fuerit,... si clericus sacerdotio nondum initiatus, suspensioni a susceptis ordinibus pariter subjacebit, et insuper *inhabilis fiet ad superiores ordines assequendos.*"

110. **Ex abusu sacramenti baptismi** irregulares sunt : 1° qui in adulta ætate ab hæretico notorio baptismum suscipiunt, extra casum necessitatis ; 2° adultus *scienter* rebaptizans, rebaptizatus et clericus rebaptizanti ministrans.

Ad eam irregularitatem incurrendam requiritur, 1° ut reba-

ptizatio sit *publica.* Ut autem rebaptizatio censeatur publica, etiam primum baptisma debet esse publicum ; 2º ut adsit *gravis culpa.* Hinc non contrahitur irregularitas, quando justa de causa secundum baptisma confertur. Utrum incurratur si absque justa causa fiat, disputatur ; quædam responsio S. Cong. Officii, 24 Feb. 1883, data pro Anglia, sententiæ negativæ favet. *Haine, Theol. Moralis, vol. IV, pag.* 360.

111. **Ex abusu ordinis irregularitas incurritur,** 1º ob ordinum usurpationem, 2º ob illicitam susceptionem.

1º Ob ordinum usurpationem, irregulares sunt clerici exercentes ordinem sacrum quem non habent, dummodo serio, scienter et solemniter ministrent. Constat ex cap. 1 et 2, *De clerico non ordinato ministrante.*

Dicitur : *a) clerici,* quare laicus si celebret, non fit irregularis. Dicitur : *b) ordinem,* non jurisdictionem ; hinc sacerdos qui sine jurisdictione excipit confessiones non fit irregularis. Dicitur : *c) sacrum ;* quia ministrans in minoribus quos non habet non fit irregularis. Dicitur : *d) serio ;* quare si per jocum fit, irregularitas non incurritur. Dicitur : *e) scienter ;* quia si quis ex ignorantia etiam crassa ministret in ordine quem non habet, credens se illum habere, non fit irregularis. Dicitur : *f) solemniter,* i. e. cum ornamentis ordinis propriis ; quare clericus non subdiaconus qui cantat epistolam sine manipulo non fit irregularis.

2º Ob vetitam ordinum susceptionem, irregularis est qui post matrimonium initum etsi non consummatum, uxore invita, in sacris ordinatur. Non est irregularis qui ordinatur ab episcopo non suo, aut excommunicato, aut hæretico, aut qui furtive ordinatur. *Haine, loco citato.*

112. **Ex violatione censuræ est irregularis :** 1º clericus ligatus excommunicatione majori, suspensione vel interdicto, si serio, scienter ac solemniter ordinem sacrum quem

habet, exercet, nisi excusetur ratione necessitatis proximi, vel infamiæ vitandæ, vel metus gravis ; 2° sacerdos celebrans in loco interdicto sine conditionibus requisitis. Ex cap. 18, *De sententia excommunicationis, in* 6°.

113. **Ex delicto infamante sunt irregulares** qui committunt delictum cui a jure annexa est infamia, ut constat ex cap. *Infames, caus.* 6, *q.* 1.

1° Tales sunt sodomitæ, perjuri, adulteri, apostatæ a fide, hæretici formales, schimatici, insequentes hostiliter cardinales, raptores mulierum, duellantes et eorum patrini.

2° Si excipias homicidium et probabiliter crimen hæresis, hæc delicta non inducunt irregularitatem nisi sint publica ; revera non datur famæ diminutio quamdiu delicta sunt occulta, sed si revelentur statim irregularitas incurritur.

114. **Ex delicto homicidii vel mutilationis sunt irregulares :** 1° qui hominem, adeoque et fœtum animatum, injuste occidunt, sive crimen publice, sive clam patratum sit, dummodo occisio fuerit voluntaria sive in se, sive in causa, ita ut sit peccatum mortale ; 2° qui *injuste* sive alium, sive seipsos, *voluntarie* mutilant, etiamsi id fecerint *occulte.*

Tunc habetur mutilatio proprie dicta, non quando quis vulneratur, sed quando membrum abscinditur, i. e. quando realiter separatur a corpore membrum proprie dictum, ut pes, manus, oculus, etc. *Haine, loco citato.*

115. **Irregularitates triplici modo cessare possunt,** scilicet *cessatione causæ, professione religiosa et dispensatione.*

1° *Per cessationem causæ* tolluntur quædam irregularitates quæ proveniunt *ex defectu*, v. g irregularitates *ex defectu ætatis et scientiæ*, irregularitates *ex defectu bonæ famæ*, in casu pœnitentiæ salutaris vel rehabilitationis, irregularitates *ex defectu natalium*, si proles legitimetur per subsequens matrimonium.

2° *Per professionem religiosam* tollitur irregularitas quæ

sac 119

oritur *ex defectu natalium* in via ad ordines sacros suscipiendos, non ad dignitates in monasterio obtinendas.

3° *Per dispensationem* tolluntur omnes irregularitates quæ non sunt juris naturalis.

a) Summus Pontifex super omnibus dispensat. *b)* Episcopi possunt dispensare : I° super irregularitatibus *ex defectu natalium* ad effectum suscipiendi tonsuram, ordines minores et beneficium simplex; II° super irregularitate ex bigamia similitudinaria, cum illo qui post peractam pœnitentiam laudabiliter vixit; III° ex capite *Liceat* 6, *sess. XXIV Conc. Trid.*, in irregularitatibus omnibus ex occulto delicto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contensiosum; " IV° *ex speciali Sanctæ Sedis delegatione,* (Form. I, art. 2, n. 29) in " quibuscumque irregularitatibus, exceptis illis quæ vel ex bigamia vera vel homicidio voluntario proveniunt; et in his etiam duobus casibus, si præcisa necessitas operariorum ibi fuerit, si tamen, quoad homicidium voluntarium ex hujusmodi dispensatione, scandalum non oriatur." *Cf. Putzer, Commentarium, num.* 102.

CAPUT II

DE CONSECRATIONE EPISCOPORUM

Ordinatione clerici acquirunt potestatem ordinis; consecratione, episcopi acquirunt complementum potestatis ordinis, quo conferant sacramenta confirmationis et ordinis.

116. **Plenitudo potestatis acquiritur consecratione.** 1° Jure Decretalium, quando confirmatio suffraganeorum ad metropolitanum pertinebat, ad hunc etiam spectabat eorum consecratio. Sed ex quo Sedes Apostolica sibi reservavit provisiones episcopatuum, eidem Sedi Apostolicæ reservata fuit facultas consecrandi; Bened. XIV, Const. *In postremo.*

Unde in præsenti Ecclesiæ disciplina, nullus licite consecrari potest nisi a R. Pontifice, aut de ejus speciali mandato; ideo consecrator ante omnia quærit: " Habetis mandatum apostolicum? " *Bargilliat, vol. I, num.* 548.

2⁰ Ante suam consecrationem, tenetur novus episcopus præstare R. Pontifici juramentum fidelitatis et obedientiæ quo simul se obligat ad tractandum honorifice, et in suis necessitatibus adjuvandum Legatum Apostolicum, ad servanda decreta, ordinationes, reservationes et mandata apostolica, ad visitanda limina Apostolorum, temporibus a jure determinatis, etc.

3⁰ Ritus consecrationis peragitur a tribus episcopis, quorum unus vocatur consecrator, alii duo adsistentes; valida tamen foret, et aliquando licita, consecratio ab uno tantum episcopo peracta.

Facienda est die dominica vel natali Apostolorum, manuum impositione, annuli et baculi traditione, unctione chrismatis, et ritibus descriptis quos habet Pontificale Romanum.

Si consecratio extra Curiam fiat, optat Trid., sess. XXIII, cap. 2, ut celebretur in ecclesia ad quam promotus fuerit episcopus, aut in provincia, si commode fieri poterit.

4⁰ Potior effectus consecrationis est character episcopalis, vi cujus consecratus obtinet plenitudinem sacerdotii et conferre potest sacramenta confirmationis et ordinis.

Nomen episcopi, si sit Ordinarius loci, recitari debet in canone missæ.

5⁰ Dies electionis et consecrationis quotannis recolitur. Dies electionis est ille quo provisio ecclesiæ episcopalis publicatur in consistorio; *S. C. R.*, 16 *Ap.* 1896. Illud decretum S. C. R. servari debet ab episcopis a S. C. de Prop. Fide institutis; *Decretum S. C. R.*, 13 *Dec.* 1895. Quod si electio nunquam fuit in consistorio proclamata, tunc celebrandum erit anniversarium diei quo datum est Breve Apostolicum.

TITULUS II

DE POTESTATE JURISDICTIONIS

117. **Jurisdictio definitur :** Potestas regendi Ecclesiam tum quoad intellectum per doctrinam rectæ fidei, tum quoad voluntatem per verum et proprie dictum imperium. *Tarquini, Jus Publicum, cap.* 1, *n.* 5.

Jurisdictio complectitur potestatem docendi, cum fides sit fundamentum societatis christianæ ; potestatem mittendi ministros qui conferant sacramenta ; potestatem condendi leges et in eis dispensandi ; potestatem administrandi res temporales quæ ad Ecclesiam pertinent, judicandi causas tum reales, tum personales, atque contumaces coercendi.

118. **Potestas jurisdictionis differt a potestate ordinis :**

1° *Ratione modi* quo utraque confertur, una per ordinationem, alia per missionem ;

2° *Ratione objecti ;* potestas ordinis ordinatur ad sanctificationem per sacramenta et sacramentalia, potestas jurisdictionis ordinatur ad regimen societatis ;

3° *Ratione subjecti ;* ii soli participant potestatem ordinis, qui fuerunt clero cooptati sacra ordinatione, dum potestas jurisdictionis competit quandoque iis qui non habent ordinem, imo conferri potest a S. Pontifice ipsis laicis ;

4° *Ratione durationis ;* potestas ordinis semel collata est indelebilis, sicut character sacramenti, dum potestas jurisdictionis restringi vel amitti potest.

119. **Adest tamen inter ordinem et jurisdictionem mutua et intima relatio.** Jurisdictio refertur ad ordinem, et vicissim ordo ad jurisdictionem ; quia ea est œconomia

divinæ Providentiæ ut per quos in fide erudiuntur fideles et informantur disciplina christiana, per eosdem dona spiritualia pro sui sanctificatione suscipere possint. Unde jurisdictio refertur ad ordinem, eo sensu quod resideat regulariter in personis sacra ordinatione initiatis, veluti in suo proprio subjecto; vicissim ordo refertur ad jurisdictionem, quatenus dat aptitudinem ad illam, et simul confert gratiam ad sancte et fructuose obeundum ministerium in Ecclesia commissum. *Icard, Prælectiones Sti Sulpicii, vol. I, n.* 291.

120. **Jurisdictio dividitur diversimode:**

1° *Ratione fori, in internam et externam.* Jurisdictio *interna*, seu *fori interni*, ea est quæ directe et primario refertur ad privatam utilitatem uniuscujusque. Ad illam pertinent administratio sacramentorum, concessio indulgentiarum, commutationes votorum. Hæc jurisdictio est *fori pœnitentialis,* si intra sacrum tribunal pœnitentiæ exerceatur, ut absolutio a peccatis; est *extrapœnitentialis fori,* si exerceatur extra tribunal pœnitentiæ, ut si quis extra confessionem dispensetur super aliqua irregularitate occulta. Jurisdictio *fori externi,* ea est quæ directe et primario refertur ad publicam societatis utilitatem. Ad illam pertinent definitiones dogmaticæ, legislatio, institutio ministrorum, concessiones facultatis absolvendi, dispensandi. Jurisdictio fori externi dicitur *administratio,* quando non respicit personas, sed res aut munera explenda.

2° *Ratione modi, in voluntariam et contentiosam. Voluntaria,* quæ etiam vocatur *extrajudicialis,* illa est quam superior exercere potest, etiam erga invitos, absque formis pro judiciis a jure præscriptis. Hæc jurisdictio dicitur *gratiosa,* quando superior largitur favores, indulgentias, privilegia; *legislativa et administrativa,* quando leges condit, ministros instituit; *correctiva,* quando subditos emendat per modum paternæ correctionis, ad illorum utilitatem potiusquam per modum pœnæ in vindictam delicti. Jurisdictio

contentiosa versatur circa ea quæ in controversia veniunt et quæ judicari debent, servatis regulis a jure præscriptis. Tales sunt causæ matrimoniales, beneficiales, criminales.

3° Ratione *tituli, in ordinariam et delegatam.* Jurisdictio *ordinaria* est ea quæ alicui competit ratione officii vel dignitatis. Confertur per legem vel per consuetudinem quæ constituit officium publicum ; et ille qui hoc officium possidet, potestatem in subditos exercet nomine proprio, non quasi vicem alterius gerens. Jurisdictio *delegata* ea est quam quis habet non jure proprio, neque ratione officii, sed ex nuda commissione alterius, cujus vice fungitur.

4° *Ratione extensionis, in universalem et particularem.* Jurisdictio *universalis* illa est quæ nullo arctatur limite, nec quoad personas, nec quoad loca, nec quoad materias : talis fuit jurisdictio Apostolorum, et talis est hodie jurisdictio S. Pontificis. Jurisdictio *particularis* est illa quæ restringitur, vel ad certas personas, qualis est jurisdictio prælatorum regularium in suos monachos ; vel ad certum locum, qualis est jurisdictio episcopi in diœcesi ; vel ad certas materias, qualis est jurisdictio inferioris. *Cf. Icard, vol. I, num.* 276, 77, 79.

5° *Ratione exercitii, in immediatam et mediatam.* Jurisdictio *immediata* ea est quam superior in suos subditos exercet independenter a casu appellationis et a casu devolutionis, in quo prælatus major deberet supplere negligentiam inferioris, vel illius actus corrigere. *Mediata* est illa quam superior exercet in casu appellationis, vel negligentiæ supplendæ. Talis est jurisdictio quam habet archiepiscopus in subditos suffraganeorum.

CAPUT I

DE JURISDICTIONE ORDINARIA

121. **Jurisdictio ordinaria acquiritur mediante officio ecclesiastico,** ita ut qui ad officium promovetur, jurisdictionem ei annexam *ipso facto* obtineat. Revera officium definitur: Munus auctoritate publica constitutum, quod dignitatem, vel *jurisdictionem,* vel præeminentiam, aut aliquam administrationem confert, et simul aliquam obligationem imponit in ordine spirituali. *Icard, vol. I, num.* 293.

122. **Officium multiplex distinguitur, tum ratione originis, tum ratione jurium et obligationum.**

1° *Ratione originis,* quædam sunt officia ecclesiastica divina ordinatione instituta, v. g. summus pontificatus, episcopatus; alia sunt officia ab Ecclesia instituta, v. g. officia metropolitani, vicarii generalis, parochi, etc.

2° *Ratione jurium et obligationum,* officium vocatur *duplex* quando annexam habet curam animarum; aliter vocatur *simplex.* Officium communiter confertur in perpetuum, et annexum habet bonum temporale, ut provideatur sustentationi clerici qui illud obtinuit. Qui ad officium promovetur, jurisdictionem officio annexam adipiscitur.

ARTICULUS I.

De adeptione jurisdictionis ordinariæ.

123. **Ut quis vere adipiscatur jurisdictionem ordinariam, requiritur voluntas superioris instituentis in officio aut dignitate.** Nullus, propria voluntate, aut potestate sæculari, sese ingerat in aliquod ministerium eccle-

siasticum alioquin reus erit intrusionis; hinc deducitur 1ª regula juris: " Beneficium ecclesiasticum non potest sine canonica institutione possideri." " Si quis, ait *Concilium Tridentinum, sess. XXIII, can.* 7, dixerit eos qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros, anathema sit."

Eadem sessione, cap. 4, concilium decrevit " eos qui tantummodo a populo, aut a sæculari potestate ac magistratu vocati et instituti, ad hæc ministeria exercenda ascendunt, et qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes, non Ecclesiæ ministros, sed fures et latrones per ostium ingressos habendos esse."

124. **Voluntas superioris instituentis clericum ad aliquod officium intervenire potest explicite, vel implicite:** hinc institutio canonica est *ab homine* vel *a jure.*

1º Institutio canonica datur *ab homine,* quando superior promovet clericum ad aliquod officium aut dignitatem, ita ut clericus semel promotus possit exercere jurisdictionem officio aut dignitati congruentem. Hæc institutio est *libera,* quando superior, pro suo arbitrio, eligit clericum quem idoneum reputat; erit *necessaria,* si superior teneatur dare institutionem canonicam iis qui fuerunt electi aut præsentati, modo reperiantur idonei.

2º Institutio canonica datur *a jure,* quando, peracta electione, clericus electus potest exercere immediate officium ad quod, voto suffragantium, vocatus fuit, quin ad confirmationem electionis recurrat. Hoc modo eliguntur prælati quorumdam ordinum religiosorum et vicarii capitulares.

125. **Actus quo superior confert clerico institutionem canonicam dicitur titulus.**

1º Titulus definitur: Manifesta superioris voluntas clericum ad aliquod officium ecclesiasticum promoventis. Mani-

festa fit superioris voluntas per documentum sub sigillo curiæ emissum et quod vocamus *litteras nominationis.*

2⁰ Titulus quo quis jurisdictionem exercet est *verus,* in quo nullus est defectus sive ex parte superioris, sive ex parte clerici promoti, sive ex parte actus concessionis.

3⁰ *Falsus titulus* est ille in quo, vel deest ipsa collatio, vel adest quidem actus collationis, sed ex parte superioris ex se incompetentis, vel adest actus collationis et ex parte superioris competentis, sed simul cum aliquo vitio quo impeditur tituli efficacia. Unde triplex est falsus titulus jurisdictionis : *putativus, invalidus, coloratus.*

a) Titulus putativus, seu fictus, est ille qui a nullo superiore fuit concessus, sed adesse existimatur a communitate cujus interest ; id contingit quando quis fraude dicit se missum fuisse a superiore, dum nulla ipsi facta est concessio, vel si exhibeat titulum non sibi, sed alteri concessum.

b) Titulus invalidus est ille qui revera concessus fuit, sed a superiore inçompetente, e. g. si capitulum, sede vacante, officium inamovibile alicui confert, vel si archiepiscopus, extra casus a jure determinatos, nominat ad officia in diœcesibus suffraganeorum.

c) Titulus coloratus est ille qui revera concessus fuit, et quidem a superiore per se et ipso jure competente, sed qui, ob vitium aliquod accidentale, effectum suum sortiri nequit. Hoc vitium accidentale potest esse : 1⁰ *ex parte concedentis,* si nempe eo tempore quo gratiam confert, sit spoliatus sua auctoritate per aliquod judicium canonicum quod ignoratur, vel per mortem adhuc ignoratam illius quem repræsentat, v. g. episcopi respectu vicarii generalis officium aliquod conferentis ; 2⁰ *ex parte recipientis,* quatenus aliqua censura aut irregularitate occulta ligatur ; 3⁰ *ex parte collationis,* si intercesserit vis aut simonia. *Craisson, Manuale Jur. Can., n.* 293.

126. **Ecclesia supplet jurisdictionem, posito titulo colorato cum errore communi, modo non obstet impedimentum juris divini.**

1° Omnes canonistæ testantur admissam fuisse in foro ecclesiastico legem Romanorum *Barbarius*, quæ sanabat vitium servilis conditionis: *cap. Infamis, quæst.* 7: "Si servus, (qui est incapax jurisdictionis) dum putaretur liber, ex delegatione sententiam daret,......sententia ab eo dicta rei judicatæ firmitatem tenet. Ratio quia, ex benigna interpretatione, præsumitur eo casu pia Mater Ecclesia ad bonum animarum supplere jurisdictionem."

Ecclesia sanat defectum tituli, sive in casu jurisdictionis ordinariæ, sive in casu jurisdictionis delegatæ. Quidam putarunt titulum coloratum sufficere cum errore communi ad exercendam jurisdictionem ordinariam, non vero delegatam, quia bonum commune non exigit, inquiunt, quod suppleatur jurisdictio in casu delegationis, quæ non respicit nisi unum vel alterum casum; sed, inquit *Sanchez, De Matrimonio, disp.* 22, *n.* 16: "Sententia multo probabilior docet valere gesta, sive judex sit ordinarius, sive delegatus. Probatur ex capite *Infamis* modo relato, ubi aperte sermo est de judice delegato."

Hæc sanatio valet tum pro foro externo, tum pro foro interno. Quidam dubitarunt de foro interno, sed merito innumeri auctores tenent sanationem valere in utroque foro, quia, ut loco citato ait Sanchez, "eadem et majora inconvenientia et scandala sequuntur, si gesta in foro interno nulla essent, ac si gesta in foro externo." Præterea quod valet pro foro externo valet etiam pro interno, nisi alia sit ratio decidendi.

2° Requiritur *a) ut error sit communis* circa vitium tituli. Revera Jus Canonicum vult utilitati communi providere; atqui error paucorum parvi refert ad bonum commune, nec censetur ratio sufficiens cur recedendum esset a regulis generalibus, ut sanetur defectus tituli.

Sufficit quod error sit communis in loco ubi actus gestus fuit, etsi defectus in alio notorius esset, modo ita sit distans hic locus, ut verisimiliter notitia non potuerit venire ad locum ubi actus peractus fuit. Imo etiamsi notorius fuisset olim in loco ubi peractus fuit, si tantum temporis spatium intercessisset ut jam ab hominum memoria lapsus esset, talis error communis sufficiens esset. *Craisson, Manuale, vol. I, n.* 300.

Requiritur *b) titulus coloratus*, id est, ut jurisdictio fuerit collata a superiore, et hæc collatio non sortiatur suum effectum ob aliquod vitium occultum.

Requiritur *c)* ut vitium *ejus naturæ sit cui Ecclesia mederi possit :* nam Ecclesia supplet defectum jurisdictionis, non autem ordinis ; unde invalidæ erunt absolutiones collatæ a laico, qui finxit se esse sacerdotem ; item invalidi erunt actus jurisdictionis positi a muliere evecta ad officium ecclesiasticum. In utroque casu, agitur de defectibus qui *jure divino* irritant actus jurisdictionis.

127. **Quæritur inter auctores utrum Ecclesia suppleat jurisdictionem in casu tituli invalidi vel putativi.** Certum est Ecclesiam non supplere in casu erroris paucorum, quia non est ratio cur recedat a legibus suis ; si vero error sit communis, controvertitur. Rationes utriusque sententiæ referuntur apud *Bargilliat, vol.* 1, *num.* 205, 206.

Non obstante speculativa controversia circa efficaciam tituli invalidi aut putativi, in praxi, moraliter certum est validos esse actus, si minister, stante errore communi et vere probabili, habeat alterutrum titulum. Etenim cum istis titulis, stante errore communi circa vitium tituli, jurisdictio est vere probabilis. Atqui, ex una parte, superiores et ministri, in foro sive interno sive externo, non dubitant suo munere fungi, quoties, juxta probabilem opinionem, jurisdictionem se habere existimant; et, ex altera parte, Ecclesia nec hujusmodi universalem et constantem praxim ignorat, nec contra

eam reclamat. Ergo concludendum est Ecclesiam supplere jurisdictionem, aliter toleraret gravissimum detrimentum sine ratione.

128. **Quæri potest utrum licitum sit uti titulo colorato, vel invalido, vel putativo.** Quæstio expendi potest, vel ex parte superioris qui non ignorat defectum tituli, vel ex parte privati qui cognoscit hunc defectum.

1° Superior qui cognoscit privatim se titulo falso muniri, *valide* et *licite* eo uti potest, stante errore communi, in casu necessitatis ; extra casum necessitatis, *valide* sed *illicite* titulo falso utitur : *valide,* quia Ecclesia supplet propter errorem communem, *illicite,* quia Ecclesia vult ut ministri habeant titulos veros.

2° Privatus autem fidelis qui non ignorat defectum tituli in ministro, *valide* utitur ejus ministerio, stante errore communi, imo etiam *licite*, in casu necessitatis, aut specialis utilitatis. *Cf. Icard, vol. I, num.* 288 ; *Bargilliat, vol. I, n.* 208.

129. **Non omnia officia ecclesiastica sunt liberæ collationis;** quædam conferuntur post electionem, quædam post præsentationem. In his officiis conferendis, alia sunt jura electorum et patronorum, alia jura superioris, qui ad institutionem canonicam devenire non potest, quin persona ecclesiastica fuerit electa vel præsentata. De actibus qui institutionem canonicam præcedunt agendum erit.

130. **De electione.** 1° Electio definitur : "Personæ idoneæ ad vacantem ecclesiam per vota eorum quibus competit jus eligendi, vocatio, per legitimum superiorem confirmanda." *Reiffenstuel, lib. I, tit. VI, num.* 4.

2° Electio perficitur triplici modo : per modum scrutinii, vel inspirationis, vel compromissi.

a) Electio fit per scrutinium, quando, " præsentibus omnibus qui debent et volunt et possunt commode interesse, assumuntur tres de collegio fide digni, qui secreto et singilla-

tim vota cunctorum exquirant, et in scriptis redacta mox publicent in communi, ut is, collatione habita, eligatur in quem omnes, vel major et sanior pars consentiat." *Innoc. III, cap. De electione.* Major numerus dicitur respectu omnium qui suffragia emiserunt, non respectu candidatorum ; e. g. si sint decem et octo electores, major numerus erit decem, et donec quis hunc numerum assecutus non fuerit, iterandum est scrutinium.

b) Electio fit per inspirationem, quando, nullo præcedente tractatu, omnes electores simul congregati ad electionem peragendam, communiter et quasi uno corde et ore, in unum et eumdem consentiunt. Qui sic eligitur, dicitur electus quasi per inspirationem Spiritus Sancti.

c) Electio fit per compromissum, quando electores in unum congregati ad electionem faciendam, communi consensu, eligendi jus committunt nonnullis, sive ex ipsorum cœtu, sive etiam extraneis, ut omnium electorum nomine electionem peragant.

3⁰ *Electione, electus acquirit jus ad rem,* et intra mensem debet dignitatem acceptare vel non ; confirmatione facta a superiore, acquirit jus *in re,* seu jurisdictionem officio annexam.

4⁰ In electione, distinguere est actus inferioris et actus superioris ; electores eligunt personam quam dignam reputant, superior videt an servatæ fuerint leges electionis, an persona electa sit digna. Superior confirmat electionem et electo dat institutionem canonicam. Litteræ superioris, quibus clericus jam electus instituitur in officium, sunt *titulus* quo exercet jurisdictionem huic officio annexam ; imo jurisdictionem exercere nequit ante harum litterarum expeditionem.

Juxta antiquam disciplinam, canonici ecclesiæ viduatæ eligebant novum pastorem, sed a pluribus sæculis Sancta Sedes sibi reservavit provisiones ecclesiarum cathedralium, et

disciplina de electione servatur tantum in quibusdam diœcesibus Germaniæ.

131. **De præsentatione.** 1° Præsentatio est designatio alicujus idoneæ personæ, facta per patronum, superiori cui competit jus instituendi, ut eam de officio vacante provideat.

2° Ex gratitudine Ecclesiæ erga eos qui se liberales exhibuerunt in ædificandis et dotandis ecclesiis, ipsis concessum est jus præsentandi ad beneficium vacans clericum a superiore instituendum. Superior tenetur institutionem canonicam conferre clerico præsentato, modo reperiatur dignus. Hinc, sola præsentatione, clericus obtinet *jus ad officium;* institutione canonica, obtinet *jus in re,* seu jurisdictionem officio annexam.

3° Jus præsentationis fuit concessum ab Ecclesia his laicis qui aliquam ecclesiam ædificarent, vel dotarent, vel fundum pro ejus ædificatione donarent, juxta versiculum:

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

4° Jus patronatus nunquam viguit in hac regione; benefactores ecclesiarum numquam obtinuerunt jus præsentandi ad ecclesias vacantes.

132. **Præsentationis potestas, ex apostolicis indultis, aut pactis conventis, conceditur** aliquibus guberniis in Europa, et in America Meridionali. Sic in pacto convento inter Pium VII et Napoleonem, Primum Consulem, anno 1801 inito, legebatur:

Art. IV. Consul primus Gallicanæ Reipublicæ, intra tres menses qui promulgationem constitutionis apostolicæ consequentur, archiepiscopos et episcopos novæ circumscriptionis diœcesibus præficiendos nominabit. Summus Pontifex institutionem canonicam dabit, juxta formas relate ad Gallias ante regiminis commutationem statutas.

Art. V. Item Consul primus ad episcopales sedes quæ

in posterum vacaverint, novos antistites nominabit; eisque Apostolica Sedes dabit institutionem.

Art. X. Episcopi ad parochias nominabunt, nec personas seligent nisi gubernio acceptas.

Clerici præsentati a guberniis ad aliquod officium non acquirunt jurisdictionem nisi quando a legitimis superioribus institutionem canonicam recipiunt: hinc damnata est sequens propositio Syllabi, num. 50: " Laica potestas habet per se jus præsentandi episcopos, et potest ab eis exigere ut ineant diœcesium procurationem antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et apostolicas litteras accipiant." Imo Pius IX, in const. *Romanus Pontifex*, 28 Aug. 1873, prohibuit ne præsentati et nominati a supremis publicarum rerum moderatoribus, jurisdictionem in spiritualibus aut in temporalibus in beneficiis ad quæ fuerant præsentati vel nominati, ante suam confirmationem exercerent. Ergo clericorum qui ad beneficia ecclesiastica præsentantur, titulus quo jurisdictionem exercent, est rescriptum superioris institutionem conferentis.

133. **De libera collatione.** 1° Libera collatio definitur: Vacantis beneficii ecclesiastici, ab eo cui tale jus competit, libere facta idoneæ personæ concessio. Clericus sortitur jurisdictionem quando acceptat officium sibi collatum.

2° Libera collatio differt ab electione et a præsentatione, quatenus superior tenetur institutionem canonicam conferre clerico electo vel præsentato, quando dignus reperitur, dum e contra, in libera collatione, superior ipse officium confert clerico quem digniorem reputat.

3° Aliquando institutio canonica confertur *a jure*, quando scilicet lege scripta vel consuetudine sancitum est electum posse immediate exercere officium ad quod fuit vocatus, quin teneatur recurrere ad superiorem. Hoc modo instituitur vicarius capitularis; ejus electio non est electio proprie dicta, sed potius *deputatio*.

134. **Quocumque modo conferatur canonica institutio, requiritur ut clericus promovendus sequentibus dotibus polleat:**

1° Requiritur status clericalis, juxta regulam statutam in *cap. 2, Decernimus, De Judiciis, lib. II:* "Decernimus ut laici ecclesiastica negotia tractare non præsumant."

Status clericalis per primam tonsuram adeptus sufficit ut aliquis promoveatur ad officium parochiale, et potiatur omni jurisdictione huic officio annexa ; tenetur solummodo ad suscipiendum sacerdotium intra annum a die accepti regiminis et pacificæ possessionis.

Promovendus ad episcopatum debet esse in sacro ordine constitutus saltem a sex mensibus, et tenetur munus consecrationis intra tres menses suscipere, alioquin teneretur ad fructuum perceptorum restitutionem ; quod si præterea intra totidem menses id negligeret, ipso jure sua ecclesia privaretur.

Hæc necessitas status clericalis in subjecto officii ecclesiastici non est relate ad Summum Pontificem, qui ad supremum pontificatum potest promoveri, quamvis sit in statu laicali.

2° Requiritur ætas canonica, ut valida sit collatio officii. Regula generalis statuta in Conc. Trid., sess. XXIII, cap. 6, De Ref., est quod "nullus prima tonsura aut etiam in minoribus ordinibus constitutus, ante decimum quartum annum, beneficium possit obtinere."

Ad episcopatum requiritur annus 30[us] completus ; ad dignitates et beneficia quibus annexa est cura animarum, sufficit annus 25[us] inchoatus. *Conc. Trid., sess. XXIV, cap. 12, De Ref.*

3° Requiritur morum gravitas, quæ consistit in immunitate ab irregularitatibus et censuris : unde excluduntur criminosi, infames, excommunicati, suspensi, interdicti et irregulares.

4° Requiritur scientia debita, i. e. ut promovendus tantam habeat quanta ad officium suum rite obeundum est necessa-

ria. Unde collatio beneficii facta ei qui penitus est illitteratus, nulla est ipso jure, ex *can.* 1, *dist.* 36; ei qui non est omnino illitteratus, collatio est rescindibilis per sententiam judicis.

Imo pro nonnullis dignitatibus, requiritur doctoratus vel licentia in sacra theologia, aut in jure canonico, vel publicum alicujus Academiæ testimonium; *Trid., sess. XXII, cap.* 2, *De Ref.* Quamvis eminens scientia sit desideranda in pastore, in eo tamen competens toleratur. Porro scientia dicitur *eminens*, qua quis potest statim difficultates solvere quæ solent occurrere; scientia dicitur *competens* vel *sufficiens*, qua quis ordinariis difficultatibus respondere potest et in difficilibus scit dubitare et consulere. *Bargilliat, vol. I, n.* 209.

5° Præter illas dotes quæ jure communi in promovendis requiruntur, exigi quandoque possunt aliæ qualitates ex privilegio, statuto vel lege fundationis beneficii, quibus superior attendere debet in conferendo institutionem canonicam, v. g. quod promovendus habeat talem gradum academicum, ut sit nobilis stipitis, etc.

135. **Ad officium præficiendus est qui dignior reputatur.**

Superior tenetur digniorem eligere, quod probatur:

1° *Jure naturali.* Qui provident electioni ministrorum præcavere debent ne sua agendi ratione fides et ipsa Ecclesia detrimentum grave patiantur; atqui si, neglectis dignioribus, promoveant minus dignos, gravi periculo exponunt fideles, quia timendum est ne qui videtur simpliciter dignus, postea reperiatur indignus. Præterea plures pereunt animæ, quarum salutem procurasset minister majori zelo succensus, doctrina et prudentia præ ceteris præditus. Ergo peccant qui, absque ulla necessitate, procurant electionem vel promotionem minus digni.

2° *Auctoritate Conc. Trid.*, quod ita decrevit in cap. 1, sess. XXIV: "Omnes et singulos qui ad promotionem præ-

ficiendorum quodcumque jus, quacumque ratione, a Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant... hortatur et monet ut in primis meminerint nihil se ad Dei gloriam et populorum salutem utilius facere posse, quam si bonos pastores et Ecclesiæ gubernandæ idoneos, promoveri studeant, *eosque peccatis alienis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores et Ecclesiæ magis utiles* ipsi judicaverint, non quidem precibus vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint."

3° *Ex damnatione sequentis propositionis ab Innocentio XI:* " Cum dicit concilium eos peccare mortaliter, nisi quos digniores et Ecclesiæ magis utiles judicaverint, ad ecclesias promovent, concilium, vel *primo* per hoc *digniores* videtur non aliud significare nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo ; vel *secundo,* locutione minus propria, ponit digniores ut excludat indignos ; vel tandem loquitur *tertio,* quando fit concursus."

Porro per *dignos,* respectu beneficii vel officii ecclesiastici, intelligendi sunt qui habent sufficienter omnes qualitates jure requisitas ad munus obeundum. *Digniores* vero censentur qui, comparatione aliorum, majorem sufficientiam et aptitudinem ad ministrandum habere dignoscuntur.

Major dignitas eligendorum, inquit *S. Alph., lib. IV, n.* 92, non accipienda est absolute, sed respective ad utilitatem Ecclesiæ et fidelium. Ceteris paribus, dicunt Salmanticenses censendum esse digniorem, 1° qui est senior; 2° qui de suis bonis fundavit ecclesiam ; 3° sacerdos in concursu non sacerdotis ; 4° originarius respectu extranei ; 5° graduatus in aliqua scientia ; 6° qui præditus est majori sanctitate aut prudentia, præferendus est ei qui sola scientia præeminet; 7° potens et nobilis, quia hæc solent non parum conducere ad Ecclesiæ bonum ; 8° pauper præferendus est diviti. Apud *Craisson, Manuale, vol. I, n.* 483, 484.

136. **Promotio digni, omisso digniore, est valida, sed promotio indigni erit invalida, vel saltem rescindibilis.**

1° Juxta caput *Dudum*, 22, *De electione*, promotio est invalida, si promotus, " electionis tempore, pateretur vel in ordinibus, vel in scientia, vel in ætate defectum," id est, si promotus ordinem clericalem, scientiam et ætatem in jure requisitam non haberet.

2° Nulla est collatio facta excommunicato, nisi in concessione excommunicatus absolvatur ad effectum provisionis consequendum. Juxta veriorem sententiam, hoc etiam de excommunicato tolerato intelligendum est. Ita *Stus Alph., lib. VII, n.* 18.

3° Item, juxta sententiam communiorem, *ipso jure* nulla est collatio beneficii facta irregulari, dicente *Trid., sess.* XXII, *cap.* 4, *De Ref.* : " Nec aliis in posterum fiat provisio, nisi eis qui jam ætatem et ceteras habilitates integre habere dignoscantur, aliter irrita sit provisio." Quæ doctrina confirmatur aliqua responsione S. Congregationis Concilii, 27 Septembris 1601, apud *Gasparri, De Sacra Ordinatione, vol.* I, *num.* 173. Quidquid sit, clericus non obstante irregularitate provisus, nequit sese immittere in possessionem beneficii, quia nemo, cum opinione probabili, potest inchoare possessionem rei alienæ.

137. **Tandem quæri potest an licite ab una parochia ad aliam transferri possint sacerdotes moribus depravati.** Vel dum eorum depravatio est ignota in nova parochia ad quam transferuntur, spes fundata habetur quod ad meliorem frugem redibunt et non amplius scandalizabunt fideles ; et tunc licite transferri possunt ad aliam parochiam quam sunt ædificaturi. Vel hujusmodi spes non habetur, aut eorum perversio toti diœcesi innotescit ; tunc melius est ut non præficiantur curæ animarum. Episcopus, meliori quo potuerit modo, eorum indigentiæ providebit. *Craisson, Manuale, n.* 488.

ARTICULUS II.

De restrictione et cessatione jurisdictionis ordinariæ.

138. **Jurisdictio ordinaria restringitur** quando ei aut subducuntur certi subditi, aut subducitur certa materia, quæ alioquin eidem subjecisset. Jamvero subducuntur subditi per exemptiones, subducitur materia per reservationes.

139. **Exemptio est privilegium quo persona, aut communitas, aut locus a jurisdictione episcoporum** liberantur et subtrahuntur, et Summo Pontifici immediate subjiciuntur. Olim multæ exemptiones competebant regularibus, sed eas minuit Concilium Tridentinum. Episcopi hodie in pluribus casibus jurisdictionem habent in regulares sive ordinariam, sive delegatam, tanquam Sedis Apostolicæ delegati.

Episcopi possunt etiam in suis diœcesibus aliquas personas aut communitates a jurisdictione parochiali eximere; sic capellani hospitiorum munera pastoralia in dictis hospitiis exercent.

140. **Reservatio est actus per quem legislator sibi aut alicui superiori privative attribuit ea quæ ceteroquin inferior potuisset peragere.**

Reservationes aliæ cadunt in forum internum pœnitentiale, aliæ in forum simpliciter internum, aliæ in forum externum gratiosum, aliæ in forum contentiosum.

1° Jurisdictio fori interni pœnitentialis restringitur per reservationem certorum peccatorum a quibus potest absolvere aut solus superior, aut is quem ipse deputaverit.

2° Jurisdictio fori interni simpliciter dicti restringitur per eas leges quæ tribuunt Summo Pontifici dispensationes quæ ad conscientiam privatorum referuntur, puta circa vota, irregularitates et impedimenta matrimonii.

3° Jurisdictio fori externi, quatenus est gratiosa, limitatur per eas leges quæ reservant Summo Pontifici multa negotia majoris momenti ad gubernationem externam pertinentia.

4⁰ Jurisdictio fori externi, quatenus est contentiosa, restringitur per eas leges quæ reservant Summo Pontifici causas graviores contentiosas, v. g. causas criminales episcoporum.

141. **Primus modus quo cessat jurisdictio ordinaria est renuntiatio, quæ definitur:** " Libera cessio officii vel beneficii ecclesiastici, facta ex justa causa et a superiore acceptata." *Bargilliat, Prœl. Juris Can., num.* 216.

Quandoque *dimissio* vel *resignatio* appellatur.

1⁰ Renuntiatio est *expressa*, quando expressis verbis beneficium remittitur in manibus superioris; est *tacita*, quando deducitur ex aliquo facto quod in jure æquivalet dimissioni, v. g. si quis suscipiat beneficium incompatibile, vel emittat vota in religione, vel attentet matrimonium. Renuntiatio *expressa* est *pura*, seu *simplex*, quando fit absolute; est *conditionalis*, quando adjicitur aliqua conditio, v. g. reservatur pensio.

2⁰ Renuntiatio dicitur *libera cessio*: unde ipso jure nulla est resignatio fraude aut dolo obtenta, aut vi extorta, cum deficiat consensus resignantis; valet tamen resignatio ex metu gravi injuste incusso facta, quia coacta voluntas est semper voluntas, sed est rescindibilis ad querelam partis resignantis. Si metus fuerit juste incussus et resignatio facta, v. g. ad evitandas pœnas canonicas, valet hæc resignatio, eo quod admissa fuit ad majora mala vitanda. *S. Congregatio Concilii*, 24 *Ap.* 1880.

3⁰ Requiritur *causa justa et legitima*, alioquin superior non tenetur, neque debet resignationem admittere; nam si quilibet posset pro libitu suo suum beneficium dimittere, talis libertas cederet in detrimentum Ecclesiæ. Causæ propter quas licet officium dimittere sunt sequentes, quas continent duo versiculi:

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possunt.

4° Requiritur ut resignatio *acceptetur a superiore*. Hæc regula fallit in sequentibus casibus : *a)* Summus Pontifex, qui in terris superiorem non habet, libere resignare potest. *b)* Electi, nominati et præsentati, ante suam confirmationem, libere renuntiare possunt, quia nondum habent jus in beneficio. *c)* Ad ingrediendam religionem, episcopi, nisi indulgeat Summus Pontifex, nequeunt ecclesiam deserere ; sed inferiores beneficiati possunt libere ad religionem transire, licet non obtenta episcopi licentia.

Si tamen ex ingressu clerici, Ecclesia grave damnum pateretur, episcopus eum repetere potest, etiam post professionem, juxta constitutionem Bened. XIV, *Eo quo dilectus*. Excipiuntur ordinati ad titulum *missionis*, qui ad religionem nequeunt transire, nisi obtenta S. Congregationis de Prop. Fide licentia.

5° Renuntiatio potest fieri *viva voce, vel per epistolam, vel per procuratorem* qui habeat mandatum speciale. Si procurator, limites sui mandati non excedens, beneficium remittat, hæc renuntiatio impugnari nequit a beneficiato ; sed renuntians potest mandatum semel concessum, re integra, revocare, id est, antequam procurator renuntiationem emittat, eamque superior acceptet.

6° Officium vacat quando ejus dimissio admittitur a superiore ; tunc renuntians solvitur ab omnibus obligationibus officio annexis et amittit omnia sua jura ; si nolit recedere a suo beneficio, ad id compelli potest. *Craisson, Manuale, num.* 513.

142. **Alius modus quo cessat jurisdictio est translatio, quæ est :** Canonica mutatio personæ ecclesiasticæ de uno officio ad aliud. Translatio differt a renuntiatione, quatenus translatione clericus amittit jurisdictionem *relative*, dum renuntiatione vel depositione amittit jurisdictionem *absolute*.

1° Translatio ad alium titulum importat vacationem prioris tituli.

a) Si agatur de translatione episcopi, ecclesia ab eo tempore vacare censetur quo ejusdem ecclesiæ episcopus ab illius vinculo in consistorio a Romano Pontifice absolvitur, etiam ante expeditionem litterarum apostolicarum, vel possessionem secundæ ecclesiæ. *S. Cong. Concilii, 20 Martii* 1625.

b) Alia est disciplina pro beneficiatis minoribus. Beneficiati translati ad aliud beneficium non amittunt jurisdictionem, nisi possessionem secundi beneficii fuerint adepti : hinc parochus translatus ad aliam parochiam, jure communi, potest exercere jurisdictionem in priori titulo, quamdiu possessionem novi tituli non assumpserit. Ex capite *Licet Episcopus, de Præbendis et Dignitatibus, in* 6°.

c) Quando clericus promovetur ad episcopatum, ejus beneficium censetur vacare *ipso facto,* quando consecrationem episcopalem accipit, vel quando decursum est tempus pro consecrandis episcopis a canonibus definitum, nempe elapsis tribus mensibus post confirmationem electionis.

2° Translatio debet fieri *ex justa causa.* In dignitatibus ecclesiasticis non licet descendere, nisi id requirat aliqua necessitas extraordinaria. De translatione episcoporum et parochorum plura sumus dicturi in titulis VIII et XI.

143. **Jurisdictio ordinaria amittitur revocatione et privatione juridica.**

1° *Simplex revocatio* seu *destitutio* locum habet quando clericus ab officio suo removetur absque judicio et sententia juridica.

2° *Privatio juridica* e contra est sententia juridica privans clericum officio suo et beneficio : quod fieri potest dupliciter vel *simplici privatione* vel *depositione proprie dicta.* Inter utramque hoc est discrimen quod *depositus* inhabilis efficiatur ad alia beneficia, non item *simpliciter privatus.*

a) Juxta legem generalem, quæ a pluribus sæculis prævaluit,

officia quibus annexa est jurisdictio ordinaria conferuntur in perpetuum, nonnullis exceptis. Ut quis suo titulo privari possit, requiritur processus canonicus et causa canonica, nisi sponte renuntiaverit, aut adeptus fuerit statum cum suo titulo incompatibilem, aut crimen commiserit quod pleno jure privat jurisdictione.

a) Alia est conditio officiorum quæ vocantur *manualia*, seu *ad nutum superioris revocabilia*. Qui ad hujusmodi officia promoventur possunt eis privari, non servata judiciorum forma solemni. Cf. quæ sumus dicturi circa revocationem parochorum ad nutum amovibilium, tit. XI, cap. V.

144. **Certi eventus, ipso facto et independenter ab actu sive titularis, sive superioris,** privant officio et jurisdictione huic annexa. Jamvero quodcumque officium censetur cessare, 1° *per mortem naturalem titularis*; 2° *per incompatibilitatem novi officii, aut status* quem assumit titularis : sic vacat ipso facto officium per professionem solemnem in religione, per matrimonium attentatum, per adeptionem dignitatis episcopalis, ut supra ; 3° *propter admissionem eorum criminum* quibus leges canonicæ hanc pœnam infligi voluerunt. Præter crimina quæ privant officio et jurisdictione post sententiam judicis *condemnatoriam*, alia sunt graviora quæ privant *ipso facto*, et in quibus requiritur sententia judicis *declaratoria*. Hæc crimina enumerantur apud *Bouix*, *De Parocho*, *p.* 371 ; *Craisson*, *Manuale*, *n.* 558.

CAPUT II

DE JURISDICTIONE DELEGATA

145. **Jurisdictio delegata est illa quam quis exercet nomine alterius, quasi vicem ejus gerens.** Differt a jurisdictione ordinaria quam quis exercet ratione proprii muneris.

Multiplex discrimen intercedit inter jurisdictionem ordinariam et delegatam: 1° Judex ordinarius jurisdictionem suam delegare potest; judex delegatus, sine speciali concessione, aut nisi sit delegatus ad universalitatem causarum, aut nisi sit delegatus a Papa, subdelegare nequit. 2° Citatus a judice ordinario, si dubitetur de jure citantis, tenetur venire et exponere cur jurisdictionem citantis recuset, quia præsumptio judici ordinario favet; e contra citatus a delegato comparere non tenetur, nisi delegatio probetur. Unde recepta est praxis quod delegatus, antequam incipiat exercitium suæ commissionis, soleat se legitimare, id est, exhibere originales litteras suæ delegationis. 3° Jurisdictio ordinaria non extinguitur morte concedentis, si excipiatur jurisdictio vicarii generalis, dum jurisdictio delegata expirat, si delegans, re adhuc integra, moriatur. 4° Jurisdictio ordinaria est favorabilis, dum delegata, utpote derogans jurisdictioni ordinariæ, est odiosa, unde stricte interpretanda. 5° Qui ordinariam jurisdictionem habet ea uti potest in subditis, etiam extra territorium, exceptis actibus jurisdictionis contentiosæ; qui habet jurisdictionem delegatam ea uti nequit extra territorium delegantis. Unde parochus valide audit confessiones suorum subditorum, etiam extra diœcesim, dum vicarius, cujus jurisdictio est delegata, valide confessiones audit solum in territorio suæ delegationis.

146. **Judicum delegatorum variæ sunt species:**

1° Alii sunt delegati *ad universalitatem causarum*, alii *ad causam tantum particularem.*

Delegatus *ad universalitatem causarum* dicitur ille cui vel omnes, vel saltem certum genus causarum, v. g. matrimonialium, sub uno nomine collectivo committuntur, sive illud sit restrictum quoad tempus, puta decem annorum, vel quoad locum, nempe ad causas in tali loco occurrentes, sive non.

Delegatus *ad causam particularem* e contra dicitur ille cui una vel altera tantum causa particularis judicanda et terminanda committitur.

Est notabilis differentia inter utrumque ; nam delegatus ad universalitatem causarum reputatur *quasi Ordinarius*, et potest subdelegare, non quidem totam suam jurisdictionem, sed unam vel aliam causam ; secus est de delegato ad causam particularem, nisi sit delegatus a Papa.

2⁰ Alii sunt delegati *ab homine*, alii *a jure*. Delegati *ab homine* ideo sic dicuntur, quia suam delegationem immediate habent a judice ordinario ; delegati *a jure* sunt illi qui delegatam jurisdictionem habent ex commissione juris communis. Sic in multis casibus, episcopi sunt *a jure* delegati Sanctæ Sedis : v. g. si regularis errores contra fidem spergat, episcopus, *tanquam Sedis Apostolicæ delegatus*, in eum procedere potest, non obstante ejus exemptione a jurisdictione episcopali. *Conc. Trid., sess. V, cap. 2, De Ref.*

Effectus hujus clausulæ est quod si appellatio fiat, non ad superiorem regularem, vel ad metropolitanum, sed ad Summum Pontificem interponi debeat.

Interdum prædictæ clausulæ additur particula *etiam*, v. g. episcopis conceditur ut procedere valeant *etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati*. Et tunc episcopus duplicem habet potestatem, unam scilicet ordinariam, et alteram delegatam qua uti potest ad magis removendum obstaculum appellationis. In dubio, censetur episcopus voluisse procedere cum potestate delegata, quæ est tutior et honorabilior.

3⁰ Alii sunt delegati *ratione dignitatis* quam obtinent, ut si fiat delegatio Episcopo Quebecensi, non expresso nomine personæ delegatæ ; alii e contra sunt delegati *ratione personæ*, non dignitatis, si, expresso nomine proprio, fiat delegatio Petro, vel Paulo. Hæc, cum sit delegatio personalis, mortua persona delegati, expirat ; illa vero, cum sit realis et dignitati annexa, transit ad successorem.

4° Delegatio vel committitur uni delegato, vel pluribus. Quando plures constituuntur, vel debent procedere *in solidum*, vel *collegialiter*. Si fuerint *in solidum* deputati, uno eorum negotium commissum inchoante, alii nequibunt se ulterius intromittere de eodem, nisi vel infirmitate vel alia justa causa illum contingeret impediri, aut nisi nollet, vel malitiose in eo procedere recusaret. *Cap. Quum plures*, 8, *De off. jud. deleg.*, *in* 6°. Hinc qui prior negotium occupaverit, excludit ceteros et potest negotium cognoscere et terminare.

Si fuerint delegati ut procedant *collegialiter*, tunc omnes simul idem negotium debent pertractare ; et uno delegatorum exempto, eorum officium expirat, nisi aliud in delegatione fuerint expressum. *Cap.* 42, *De officio jud. deleg.*

Si dubitetur an plures delegati debeant procedere *in solidum* vel *collegialiter*, videndum est quænam species delegationis fuerit commissa ; si delegatio sit meri ministerii, retinendum est eam factam fuisse ut delegati procedant *in solidum* ; si delegatio referatur ad lites, retinendum est in dubio delegationem plurium factam esse ut *collegialiter* agant, quia melius providetur juribus partium. *De Angelis, lib. 1, tit. XXIX, n.* 7.

ARTICULUS I.

De adeptione jurisdictionis delegatæ.

147. **Jurisdictionem quis sortitur vel a jure, vel ab homine.** Ut quis *ab homine* delegatus habeatur, requiritur mandatum superioris ; delegatio est actus voluntatis positivæ et liberæ superioris, proinde non sufficit simplex tolerantia, qualis est in homine qui non vult quidem jus conferre, sed facile non potest reclamare, nec consensus mere præsumptus, nec ratihabitio sperata in futurum.

Cum omne jus agendi procedat a voluntate delegantis, necesse est ut ab illius libero consensu procedat, alioquin actus erit irritus ob defectum potestatis in delegato.

Insuper delegatio debet manifestari signo sensibili et a delegato acceptari, nam delegatio *ab homine* se habet per modum donationis et contractus. *Prœl. Juris Can. Sti Sulpicii, n.* 295.

148. **Quinam possunt delegare?** 1º In genere omnis qui potestatem ordinariam et propriam habet, potest delegare, nisi agatur de negotio quod ex juris dispositione, vel voluntate principis, a judice ordinario debeat expleri; *cap.* 7, *De officio Judicis Ordinarii, in* 6º. Hoc etiam eruitur ex regula 68ª, in 6º: "Potest quis per alium quod potest facere per seipsum;" cui consonat alia regula 72ª, in 6º: "Qui facit per alium est perinde ac si faciat per seipsum."

Attamen Ordinarius loci non potest totam suam jurisdictionem delegare, quia hoc esset renuntiare suo officio, quod fieri prohibetur absque superioris assensu.

2º Delegatus a Papa potest alteri causam subdelegare, nisi Summus Pontifex elegerit in delegato *industriam personœ*, vel ei commiserit *nudum ministerium.* Præsumitur electam fuisse *industriam personœ,* quando agitur de re ardua et Summus Pontifex attendit ad *fidem, prudentiam et discretionem* delegati potiusquam ad ejus personam, v. g. si dicatur: Titio, cujus prudentia nobis innotescit, commisimus...... Delegatur *nudum ministerium,* quando Superior delegato committit executionem alicujus mandati, v. g. si Summus Pontifex committat episcopo executionem dispensationis matrimonialis: informationes an preces veritate nitantur sunt actus jurisdictionis et proinde delegabiles, sed ipsa fulminatio dispensationis est *nudum ministerium* aliis non delegabile, nisi expresse Summus Pontifex permittat executionem fieri per virum delegandum. *Santi, Prœlectiones,*

lib. I, tit. XXIX, n. 9 ; *Acta S. Sedis, vol. XXXVII, pag.* 164.

3⁰ Delegatus ab episcopo, vel ab inferiore, non potest subdelegare, nisi delegatus fuerit *ad universalitatem causarum*, vel habuerit a delegante *expressam facultatem.* Delegatus ad universalitatem causarum, quamvis proprie ordinarius non sit, tamen æquiparatur judici ordinario, qui potest delegare partem suæ jurisdictionis. *Reiffenstuel, lib. I, tit. XXIX, n.* 62.

149. **In genere illi omnes delegari possunt** qui capaces sunt jurisdictionis ecclesiasticæ exercendæ et qui ad illam exercendam idonei sunt.

1⁰ Quædam vitia reddunt aliquem universaliter inhabilem unde jurisdictionem delegatam exerceat : sic *natura* excluduntur carentes ratione, surdus, mutus, furiosus et impubes ; *lege* excluduntur censuris innodati, mulieres et laici, juxta *caput* 2, *De Judiciis :* " Decernimus ut laici ecclesiastica negotia tractare non præsumant."

2⁰ Quædam dotes requiruntur in delegando : canones commendant ut pro gravitate negotii eligatur *providus, in jure doctus et discretus.*

a) Quamvis Summus Pontifex possit jurisdictionem committere non tantum clerico, sed etiam laico, attamen Bonifacius VIII mandavit delegationes apostolicas committendas fore personis in dignitate constitutis,aut saltem canonicis ecclesiæ cathedralis, propter eorum præsumptam saltem idoneitatem ; quibus personis, ex *Clem.* 2, *De Rescriptis*, adjungendus est vicarius generalis, qui censetur constitutus in dignitate. Concilium Trid., sess. XXV, cap. 10, De Ref., renovavit decretum Bonifacii VIII, et ut S. Sedes tutior esset de scientia et probitate delegatorum, pro causis extra Urbem judicandis, statuit ut in synodis provincialibus aut diœcesanis quatuor saltem personæ eligerentur, quarum nomina ad S. Sedem

essent transmittenda, quibus personis committerentur causæ cognoscendæ et terminandæ.

Juxta præsentem disciplinam, Sancta Sedes, ut certior sit de idoneitate sui delegati, committit executionem rescriptorum quibus dispensatur ab impedimentis matrimonialibus *Ordinario loci*, quo nomine veniunt, sede plena, episcopus et vicarii generales, sede vacante, vicarius capitularis et administrator diœcesis. *Litteræ S. Cong. Sti Officii*, 20 *Feb.* 1888.

b) Episcopus potest delegare simplicem clericum ceteroquin discretum, quamvis sit alterius diœcesis; hic tamen, utpote non subditus, potest delegationem recusare, quod subditus nequit.

150. **Circa objectum delegationis,** notandum est quod Papa, in faciendis delegationibus, potest alteri demandare jurisdictionem quam vult. Una exceptio facienda est quoad causas quæ nonnisi a Summo Pontifice definiri possunt ob dotem infallibilitatis aliis non communicabilem : tales sunt causæ respicientes fidem et mores. Hinc Sixtus V, qui constitutione *Immensa* instituit S. Congregationem Concilii, cui commisit interpretationem decretorum disciplinarium hujus Concilii, sibi reservavit decretorum doctrinalium interpretationem.

Summus Pontifex, derogando privilegio fori, potest committere judicibus laicis ut cognoscant causas civiles et criminales clericorum ; de facto, instructio S. Officii, 23 Jan. 1886, qua, servatis servandis, datur laicis facultas prosequendi jura sua coram tribunalibus civilibus contra clericos, est species delegationis. *Santi, De Foro competenti, n.* 30.

Episcopus potest delegare partem suæ potestatis jurisdictionis et ordinis ; non valet, sine consensu Summi Pontificis, totam suam potestatem alteri in perpetuum committere, quia hoc æquivalet renuntiationi, quæ sine superioris consensu fieri prohibetur.

151. **In delegatis distingui debet officium a potestate.** Officium denotat quid facere debeat; potestas quid facere possit delegatus, vi sui mandati.

1° Delegatus nullo modo sese immiscere potest in negotio vel causa antequam mandatum delegationis receperit, etiamsi ex privata scientia sciat se constitutum fuisse judicem delegatum. Unde patet dispensationes datas vi rescripti apostolici nondum delegato præsentati, esse omnino invalidas, quamvis de concessione et expeditione rescripti certo constet etiam per telegraphum, nisi notitia telegraphica transmissa fuerit *ex officio*, auctoritate S. Sedis. *S. C. Sti Officii*, 14 *Aug.* 1882.

2° Delegatus suam commissionem probare debet, juxta Extravagantem *Injunctæ*: " Asserenti cum mandatis principis se venisse, credendum non est, nisi hoc scriptis probaverit." Delegatio est factum, atqui factum non præsumitur sed probari debet. Hinc est quod delegatus debet ostendere suas litteras, vel copiam earumdem, Ordinario loci et partibus interesse habentibus.

3° Delegatus debet adhærere litteris suæ delegationis:

a) Si agatur de delegato ad lites, non potest pertractare nisi ea negotia quæ in rescripto delegationis committuntur. Debet observare modum a delegante præscriptum in causæ cognitione ac definitione, qui modus formam aut tenorem rescripti delegationis constituit. Delegatus debet attendere ad locum et tempus quo controversia agitari et terminari debet. Quoad locum, si determinatur a Pontifice, sine consensu partium aut etiam sine causa manifesta ac rationabili, delegatus non potest in alio loco causam cognoscere; quoad tempus, delegatus tenetur definire litem intra tempus a delegante determinatum; et si tempus non fuerit determinatum, sententia non potest differri ultra annum computandum a præsentatione litterarum delegationis. Executionem sententiæ delegatus apostolicus potest alteri demandare vel facere per seipsum. Non debet autem delegatus senten-

tiam exequi, quando ab ea appellatum fuit; nemini enim deneganda est facultas appellandi. *Sebastianelli, De Clericis, n.* 103.

b) Delegatus ad concedendam gratiam, absolutionem aut dispensationem, tenetur, sicut delegatus ad lites, adhærere tenori litterarum delegationis. In rescriptis Sacræ Pœnitentiariæ et Datariæ Apostolicæ quibus conceduntur dispensationes matrimoniales, plures occurrunt clausulæ quas delegatus nequit negligere; *Gasparri, De Matrimonio, vol. I, n.* 365 *et seq.* Quando clausulæ non exiguntur jure communi, constituunt rescriptum in forma speciali, et delegatus eas nequit negligere sub pœna nullitatis; si clausulæ jam exigantur jure communi, v. g. proclamatio bannorum, videndum est an jure communi requirantur ad validitatem vel ad liceitatem. Illæ clausulæ non constituunt rescriptum in forma speciali: unde executio rescripti erit nulla aut tantum illicita, secundum quod delegatus neglexerit clausulam quæ jure communi exigitur ad validitatem aut ad liceitatem.

4° Delegatus eo modo mandatum suum debet exequi quo sufficienter indicetur rem peragi auctoritate delegata. In facultatibus extraordinariis episcopis Canadensibus concessis, " vult Sanctitas Sua ut in singulis facultatibus illis exercendis expressam mentionem facere debeant apostolicæ delegationis, necnon epocham adjungere factæ sibi concessionis." Non est tamen de valore gratiæ ut in executione dicatur *ex apostolica auctoritate gratiam impertiri. Putzer, Commentarium in Apostolicas Facultates, num.* 78.

152. **Relate ad potestatem delegati,** notandum est delegatum tantam potestatem habere quantam ei demandavit delegans. *Cf. tit. VI, cap. III, n.* 323.

ARTICULUS II.

De cessatione jurisdictionis delegatæ.

153. **Jurisdictio delegata cessat pluribus modis:**

1° *Morte ipsius delegati;* mors enim solvit omnia. Hic vero modus cessationis locum obtinet cum delegatio fuerit facta personæ, et dicitur *personalis;* secus tenendum est si delegatio facta fuerit dignitati vel officio, e. g. archiepiscopo Quebecensi, quin nomen exprimatur; officium et dignitas perseverant in successore defuncti. Hæc delegatio est *realis*, et non cessat per mortem delegati. Hoc modo conferuntur episcopis missionum facultates, quæ transeunt ad vicarios capitulares vel administratores, sede vacante. *Conc. Queb. V, dec. XVI.*

Quid vero si exprimatur nomen personæ cum ejus dignitate, v. g. Ludovico, Archiep. Quebecenci? Dubitari potest de natura jurisdictionis commissæ; hinc voluntas superioris judicanda est ex subjecta materia et circumstantiis. Si, omnibus perpensis, adhuc dubia est voluntas superioris, præsumitur jurisdictionem esse personalem et cessare, quia jurisdictio delegata, cum deroget ordinariæ, est strictæ interpretationis. *Santi, num.* 33, *tit. XXIX, lib. I.*

2° *Morte delegantis vel amissione ejus potestatis.* Cum judex delegatus auctoritatem in causa non habeat jure proprio, sed ex commissione alterius, ejus jurisdictio censetur adhærens personæ delegantis, quoadusque delegatus non occupaverit negotium. Unde, re integra, cessat jurisdictio delegati; re non amplius integra, delegatus non amittit suam jurisdictionem.

a) Si delegata fuerit jurisdictio contentiosa, facta citatione, res desinit esse integra. *Santi, num.* 35, *loco citato.*

b) Si jurisdictio delegata sit voluntaria, vel delegatus est executor *gratiæ factæ* vel *gratiæ faciendæ.* Gratia dicitur

facta, quando conceditur a superiore qui delegato committit ejus executionem ; gratia dicitur facienda, quando committitur delegato ut ipse gratiam faciat. In primo casu, delegatus est executor *necessarius gratiæ jam factæ* a superiore, versificatis conditionibus a jure vel a delegante determinatis ; in secundo casu, delegatus est executor *voluntarius*, qui ipse gratiam confert.

Si jurisdictio delegata habeat naturam *gratiæ factæ*, non cessat morte delegantis, etiam re integra. Hinc permanent, post mortem superioris, facultates concessæ prædicandi, confessiones audiendi, ordines recipiendi ab alieno episcopo, oratorium privatum habendi, etc. Illæ delegationes factæ ad conferendum favorem alicui determinatæ personæ, habent naturam *gratiæ factæ*, si delegatus, cognita veritate precum, sit executor *necessarius*, quia petens gratiam jam habet jus *ad rem*.

Si jurisdictio delegata habeat naturam *gratiæ faciendæ*, cessat morte delegantis, re adhuc integra ; hinc delegatio alicui collata conferendi aliquam gratiam cessat, re adhuc integra, si est in arbitrio delegati gratiam vel conferre, vel negare.

3° *Revocatione a delegante facta et delegato legitime intimata.* Delegans potest pro arbitrio suo revocare facultates quas concessit, nec tenetur causam allegare ; hoc sequitur ex natura delegationis quæ tota consistit in arbitrio mandantis. Attamen ne communitas detrimentum patiatur ex revocatione, dicendum est revocationem non sortiri suum effectum antequam legitime intimetur delegato.

4° *Lapsu temporis præfixi,* nisi dies præfixus de communi consensu partium prorogetur, quando tempus determinatum est in favorem partium. Delegatio facta *ab beneplacitum delegantis* expirat per mortem ejus, quia cum morte cessat ejus beneplacitum ; secus dicendum est si delegatio facta sit *ad beneplacitum Sanctæ Sedis,* quia non deficit sedes, cessante officio sedentis.

in ministerio etiam altaris; *b)* acolythis et, ex consuetudine, aliis clericis extra ministerium; item regularibus et monialibus sacristis, ex privilegio; *c)* laicis omnibus ex causa rationabili; qua deficiente, peccant, juxta communissimam ac veriorem sententiam, sed non plus quam venialiter, secluso scandalo et contemptu. " Et hodie potest dici ex consuetudine hoc licere omnibus qui in habitu clericali ecclesiis inserviunt; saltem dico hos a culpa excusari, quia dum officium sacristæ exercent, semper adest aliqualis necessitas sacra vasa tangendi." *Marc, Theol. Mor., vol. II, n.* 1632.

157. **Clerici partem sublimiorem tenent in Ecclesia,** dum officiis publicis et processionibus adsistunt. Laici, dum sacra mysteria missæ celebrantur, prope altare stare vel sedere non præsumant, sed ea pars quæ vocatur *sanctuarium* solis clericis pateat. Verum ad orandum et communicandum, etiam laicis, ipsisque fœminis licet intrare in locum qui dicitur sancta sanctorum. *Cap.* 1, *tit. I, De Vita et Honestate Clericorum, lib. III.*

Ex illis verbis, sequitur quod extra tempus quo divina celebrantur officia, laici possunt ingredi sanctuarium orandi causa; imo etiam dum missæ sacrificium celebratur, causa communicandi. Hoc de jure, nam in praxi attendendum erit ad consuetudines locorum, quæ in hac re vim legis habere possunt.

158. **Solis clericis conferuntur beneficia ecclesiastica.** Revera beneficium confertur propter officium; atqui laici non possunt exercere aliquod officium ecclesiasticum, etsi annexam non habeat jurisdictionem: unde invalida esset collatio beneficii in favorem alicujus laici.

Tandem clericis nonnulla jura præ laicis a jure conceduntur in materia judiciali, uti est præstatio juramenti, tacto pectore. *Sebastianelli, De Clericis, tit. I, cap. I.*

159. **Præter jura, clericis in societate ecclesiastica tributa sunt privilegia.** Jura procedunt ab ipsa natura

status clericalis ; privilegia adhærent dignitati clericali ad eam ornandam et augendam.

1° Privilegium est jus stabile in gratiam alicujus personæ vel rei a superiore concessum. Dicitur : *jus stabile*, quo privilegium differt a dispensatione, quæ est relaxatio legis pro uno vel alio casu.

2° Privilegia alia sunt *clausa in corpore juris*, alia procedunt *ex speciali principis rescripto ;* priora concipiuntur ad modum legis. Hinc judex ea ignorare non debet, et quidquid statuit contra ea nullum est ; hinc benignam patiuntur interpretationem. Privilegia *principis rescripto concessa* a judice præsumuntur ignorari, quia sunt facta particularia, et strictam patiuntur interpretationem, quia generaliter derogant legi.

3° Privilegia dividuntur in *realia*, *personalia* et *mixta*. *Reale* privilegium est illud quod concessum est intuitu rei, officii vel dignitatis, ita ut successores in officio vel dignitate, eo ipso privilegium obtineant ; *personale* privilegium est illud quod conceditur intuitu personæ et quod non transit ad successores ; *mixtum* privilegium participat de utroque, et est illud quod conceditur alicui communitati personarum. Privilegium *mixtum* conceditur tum communitati, tum personis communitatis ; unde, deficientibus membris, ad successores transit. *Santi, in tit. XXXIII, lib. V Decretalium.*

4° Quatuor sunt clericorum privilegia in corpore juris clausa, scilicet *canonis*, *fori*, *immunitatis* et *competentiæ*.

160. **De privilegio canonis.**

1° *Ejus origo et evolutio.* Primis Ecclesiæ temporibus, fideles tanta veneratione prosequebantur clericos ut nullus ausus fuisset violentas manus in eos injicere. Frigescente christianorum pietate, laici inceperunt committere excessus in clericos, ad quos refrenandos Patres Concilii Lateranensis II, celebrati anno 1139, sub Innocentio II, condiderunt sequentem canonem : " Si quis, suadente diabolo, hujus sacri-

legii reatum incurrerit, quod in clericum vel in monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, et nullus episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis periculo urgente, donec apostolico conspectui præsentetur et ejus mandatum suscipiat.")

2° *Quibus competit.* Hoc privilegium est latæ interpretationis et conceditur omnibus clericis sive sæcularibus, sive regularibus. Clerici sæculares hoc privilegium adipiscuntur quando suscipiunt tonsuram, eoque pollent nisi degradentur, vel dimittant habitum et tonsuram, vel se enormitatibus immisceant. Unde clerici irregulares, suspensi, interdicti vel excommunicati adhuc gaudent privilegio, cum irregularitas et censura non tollant ordinem cujus ratione inducta est immunitas. Sub nomine clericorum regularium, intelligi debent religiosi utriusque sexus, profitentes religionem ab Apostolica Sede approbatam, religiosi ordinum in quibus emittuntur vota simplicia, novitii, et in genere omnes qui vivunt in aliqua communitate, sub aliquo superiore, emisso saltem aliquo voto, vel suscepto habitu, et de mandato episcopi alicui ecclesiæ inserviunt.

3° *Quomodo violatur.* Nomine violentæ injectionis manuum, intelligitur actio *externa, injuriosa, violenta,* consistens in aliquo facto, *et afficiens personam ecclesiasticam* Ut actio sit materia excommunicationis, requiritur : *a)* ut sit *violenta et injuriosa,* hoc enim significant verba canonis *violentas manus injicientes; b)* oportet ut actio *attingat personam* clerici vel monachi. Hinc qui verba contumeliosa in clericum profert, vel eum clam furatur, non incurrit censuram, quia non sunt actiones violentæ in clericum ; e contra censuram incurrit qui in faciem clerici conspuit et eum aspergit aqua, vel evellit ejus crines et barbam, vel detinet eum in carcere, quia illæ actiones attingunt clericum. *c)* Actio debet esse *mortaliter peccaminosa ;* hoc eruitur ex verbis *suadente diabolo.* Ratio est, quia excommunicatio non incur-

ritur nisi ob culpam gravem ; hinc qui percutit clericum ob iram subitaneam, aut casualiter, aut ad sui vel suorum defensionem, aut causa correctionis, non incurrit excommunicationem. *P. de Siena, Commentarium in Constitutione Apostolicæ Sedis, pag*. 100.

4° *Quomodo amittitur.* Huic privilegio clericus nequit renuntiare, quia concessum est in favorem totius ordinis clericalis. Amittitur *a)* per degradationem, qua clericus reducitur ad conditionem laicalem ; *b)* quando clericus, depositis habitu et tonsura, se immiscet enormitatibus et exercet artes viles quæ non decent dignitati clericali ; *c)* quando quis amittit privilegium fori. *Zitelli, Apparatus Juris Ecclesiastici, pag* 215.

161. **De privilegio fori.**

1° *Natura.* Privilegium fori in hoc sistit quod clerici conveniri debent, non tantum in causis spiritualibus, verum etiam in civilibus et criminalibus, apud judicem ecclesiasticum. Unde ad tribunalia laicorum trahi nequeunt quocumque modo et quacumque de causa, ita ut si clerici ad tribunal civile fuerint conventi, ob judicis incompetentiam, actus processuales et sententia vitio laborent. Illud privilegium non favet clericis qui sua jura prosequuntur contra laicos ; tunc valet principium : *Actor sequitur forum rei.*

2° *De ejus origine.* Omnes doctores catholici consentiunt clericos eximi jure divino a jurisdictione sæculari in his quæ sunt ordinis spiritualis et sacri ministerii ; sed quando agitur de immunitate eorum in rebus temporalibus, non una est omnium sententia :

Juxta 1^am^ sententiam quam tenent Barbosa, Fagnanus, Suarez, clerici hoc privilegio gaudent de jure divino. Argumentum deducunt a sacerdotibus et levitis Veteris Testamenti a jurisdictione sæculari immunibus; atqui cum Novum Testamentum sit præstantius Veteri, ejus sacerdotes sanctiores, absurdum esset eos subjicere potestati sæculari. Hoc confir-

mant jure canonico, ex decreto Constantini Imperatoris : " A nemine judicari potestis, qui a solius Dei judicio reservamini." Applicant suæ sententiæ hæc verba Tridentini, sess. XXV, c. 20 : " Ecclesiæ et ecclesiasticarum personarum immunitatem *Dei ordinatione* et canonicis sanctionibus constitutam." *Icard, Prœl. Jur. Can. Sti Sulpicii, vol. II, p.* 76.

Juxta 2^{am} sententiam, hæc exemptio clericorum a jure ecclesiastico derivat. Auctores hujus sententiæ argumentantur tum ex Novo Testamento, in quo nullus textus legitur qui ad hanc exemptionem referatur, tum ex jure canonico, ex hoc quod exemptio clericorum a foro sæculari non fuit semper eadem, sed varia pro diversitate circumstantiarum. Isti doctores, qui repetunt originem illius privilegii ab ipsa Ecclesia, essentialiter differunt a Regalistis, qui falso putant initium et extentionem illius privilegii a potestate principum derivare.

Juxta 3^{am} sententiam, cui adhæremus, illud privilegium, institutum et determinatum ab Ecclesia, recognitum ab auctoritate civili, consonat intentioni juris divini, id est, habet fundamentum in jure divino. Hæc sententia firmatur verbis Concilii Tridentini citatis, ubi Patres tradunt hoc privilegium constitutum fuisse *divina ordinatione et ecclesiasticis sanctionibus.* Hæc locutio satis indicat concilium non tenuisse immunitatem clericorum a laica potestate procedere ex stricto et proprie dicto jure divino. Ordinatio enim divina exprimit intentionem juris, non vero præceptum et legem positivam Christi; aliis verbis, jus divinum est ipsa voluntas Dei aliquid præcipiens vel aliquid prohibens hominibus, intimata per divinam revelationem. Ordinatio divina comprehendit ea quæ constituta sunt ab Ecclesia, et tamen directe fundata in jure divino, ita ut jus divinum melius explicent et evolvant, et efficiant ut œconomia christianæ societatis perfectiori modo respondeat spiritui et intentioni divini Institutoris Ecclesiæ. *Santi, Prælect. Juris, lib. II, tit. II, num.* 29.

Confirmatur hæc sententia ex facto : multis modificationi-

bus hoc privilegium subjectum fuit ex auctoritate Ecclesiæ, ita ut dici possit hoc privilegium pendere ab ecclesiasticis sanctionibus.

Ex data notione privilegii fori, deducimus Romanum Pontificem non posse destruere immunitatem clericorum, abrogando privilegium fori et penitus submittendo clericos laicæ potestati. Ob urgentes circumstantias, potest tolerare Romanus Pontifex, vel permittere ut causæ civiles et criminales clericorum a laicis personis, sub certis conditionibus, cognoscantur et definiantur. Hæc permissio considerari potest uti species delegationis ecclesiasticæ, quæ a Summo Pontifice laicis confertur. *Santi, Præl. Juris Can., lib. II, tit. II, num.* 30.

4⁰ *Quibus competit.* Competit clericis tum sæcularibus, tum regularibus. *Quoad clericos sæculares,* si sint in majoribus, hoc privilegio pollent usquedum facti fuerint incorrigibiles et traditi fuerint brachio sæculari; si sint in ordinibus minoribus, debent habere unam ex illis conditionibus quæ enumerantur in Trid., sess. XXIII, c. 6: " Is fori privilegio non gaudeat nisi *(a)* beneficium ecclesiasticum habeat, *(b)* aut habitum clericalem et tonsuram deferens alicui ecclesiæ de mandato episcopi inserviat, vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, aut universitate, de licentia episcopi quasi in via ad ordines majores suscipiendos, versetur." *Quoad clericos regulares,* privilegio gaudent religiosi emittentes vota solemnia vel simplicia et eorum novitii, moniales, sive sint professæ, sive sint novitiæ. Sub nomine clericorum veniunt eremitæ et omnes in genere qui habitum susceperunt de mandato episcopi vel superioris competentis, et ab eorum jurisdictione et correctione dependent.

4⁰ *Quomodo amittitur.* Hoc privilegium amittitur *a)* ob quædam crimina graviora quæ in jure merentur pœnam degradationis *ipso facto.* Hæc crimina sunt præsertim crimen hæresis, crimen falsificationis litterarum apostolicarum, con-

spiratio in proprium episcopum, crimen sodomiæ, etc. *Santi, lib. II, tit. II, num.* 33.

b) Carent privilegio fori qui hystrionum artem, vel alias viles artes per annum integrum exercuerunt. In hac hypothesi, clericus *ipso jure* amittit omne privilegium ordinis clericalis; quod si ad brevius tempus has artes exercuerit, et tertio monitus eam non reliquerit, per sententiam judicis privabitur omni privilegio clericali.

c) Amittitur privilegium fori, si clericus in minoribus ordinibus constitutus, carens beneficio ecclesiastico, non deferat habitum et tonsuram, nec inserviat alicui ecclesiæ, aut non versetur in seminario, vel in aliqua universitate de licentia episcopi. Diximus *carens beneficio*, nam si clericus minor assecutus fuerit beneficium, gaudet privilegio fori, quamvis non deferat habitum et tonsuram. Sed notandum est requiri ad amissionem privilegii fori ut clericus in minoribus constitutus et non beneficiatus *constanter* non deferat habitum et tonsuram, unde possit desumi intentio relinquendi statum clericalem; *Santi, loco citato.* Clericus qui amittit privilegium fori ob non servatas conditiones Conc. Tridentini amittit etiam omnia alia privilegia clericalia, et reducitur ad conditionem personæ laicalis. *Decretum Pii IX*, 2 *Nov.* 1860.

5° *De pœnis.* Canones plectunt censuram excommunicationis majoris in judicem civilem qui ad suum tribunal trahit clericum contra canonicas dispositiones. In constitutione *Apost. Sedis* a Pio IX anno 1869 edita, inter excommunicationes speciali modo Pontifici reservatas, sub numero 7, hæc sequens legitur: " Cogentes sive directe sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas præter canonicas dispositiones."

Auctores quæsierunt quænam essent illæ canonicæ dispositiones; S. Cong. Inquisitionis interrogata, die 1a Feb. 1871, respondit: " Excommunicationem non attingere eos

qui subordinati sunt, etiamsi judices fuerint, sed eos qui *a nemine coacti* vel talia agunt, vel alios ad agendum cogunt."

Ex allatis, sequitur judicem, qui *cogitur* legem applicare, excommunicationem non incurrere, quando causas clericorum cognoscit.

Plures quæsierunt an nomine *eorum qui a nemine sunt coacti* venirent actores, clericos coram tribunalibus convenientes; S. Cong. Inquisitionis dubium sustulit, die 23 Jan. 1886, respondendo: " Nec actores incurrere hanc censuram."

Hæc censura attingit legislatores decreta edentes contra privilegium fori.

162. **Disciplina hodierna.** Causæ quæ ad forum ecclesiasticum deferuntur sunt *stricte spirituales, mixti fori, vel temporales.*

1° *Spirituales causæ dicuntur* illæ quæ ex objecto suo sacræ sunt, seu versantur circa rem sacram et spiritualem, id est, circa fidem et mores, circa sacramenta, sacramentalia, ritus sacros, vota, juramenta, dies festos, preces sacras, indulgentias, censuras, sacram disciplinam. Ad causas spirituales referuntur *causæ ecclesiasticæ,* quarum objectum est temporale, sed refertur ad finem spiritualem, v. g. beneficia ecclesiastica, jus patronatus, etc.

Causæ spirituales vel spiritualibus annexæ debent judicari coram tribunali ecclesiastico propter radicalem incompetentiam judicis civilis in his materiis; tales sunt causæ circa exercitium potestatis ordinis et jurisdictionis.

2° *Res mixtæ, seu mixti fori,* sunt illæ quæ nec ad civiles absolute possunt referri, nec ad ecclesiasticas, sed partim ad unam, partim ad alteram potestatem, *pro diversa ratione,* ordinantur. Utraque potestas curat quod suum est. Tales sunt causæ matrimoniales: quatenus est sacramentum, matrimonium inter causas spirituales recensetur; quatenus habet effectus civiles relate ad dotem, hereditariam successionem, inter causas profanas adnumeratur.

3° *Causæ temporales clericorum* sunt civiles vel criminales, secundum quod petitur res vel pœna.

In provincia Marianopolitana, ex decreto 2, tit. XIII, I Concilii, clerici non possunt ad tribunal civile causam deferre, nisi prius accesserit in scriptis episcopi venia, etiamsi agatur de ecclesiæ suæ reditibus. Hæc dispositio, *de præcepto* in provincia Marianopolitana, in aliis provinciis est *de consilio*.

Ipsi laici tenentur singuli a proprio ipsorum Ordinario veniam petere ut clericos in forum laicorum convenire possint, juxta Instructionem S. Officii 23 Jan. 1886 datam pro locis in quibus privilegio fori non est derogatum per concordata : " In his locis in quibus fori privilegio per Summos Pontifices derogatum non fuit, si in eis non datur jura sua prosequi nisi apud judices laicos, tenentur singuli prius a proprio ipsorum Ordinario veniam petere ut clericos in forum laicorum convenire possint ; eamque Ordinarii nunquam denegabunt, tum maxime cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint. Episcopos autem in id forum convenire absque venia Sanctæ Sedis non licet. Et si quis ausus fuerit trahere ad judicem, seu judices laicos, vel clericum sine venia Ordinarii, vel episcopum sine venia S. Sedis, in potestate eorumdem Ordinariorum erit in eum, præsertim si fuerit clericus, animadvertere pœnis et censuris ferendæ sententiæ, uti violatorem privilegii fori, si id expedire in Domino judicaverint." *Discipline du diocèse de Québec, pag.* 55 *et* 135.

163. **Summi Pontifices in pactis conventis cum societatibus civilibus possunt derogare privilegio fori.** Quantum derogent videre est in concordatis particularibus. Sic in concordato inter Sanctam Sedem et Colombiam, sequentes articuli fuerunt concordati, anno 1895 :

I° Causæ civiles clericorum et quæ respiciunt dominia aut jura temporalia Ecclesiæ, ad tribunalia civilia deferentur.

II° Causæ criminales circa delicta contra leges Reipublicæ poterunt deferri ad tribunalia civilia.

V° Pœna capitalis nequit executioni demandari antequam episcopus monitus adimpleverit formalitates requisitas in jure, id est, clericum degradaverit.

IX° Causæ majores episcoporum remanent reservatæ S. Sedi, juxta præscriptiones Concilii Trid., sess. XXIV, cap. 5, De Ref.

XIII° Clerici, sine licentia sui superioris, non poterunt cogi ad deponendum in causa sanguinis.

164. **Stricto jure civili, in hac regione omnes causæ ecclesiasticæ deberent terminari in tribunali ecclesiastico.**

Ex articulis capitulationum et fœderis Parisiensis, Ecclesia debet esse libera in hac regione; atqui non datur vera libertas quin Ecclesia valeat leges condere, interpretari et urgere.

1° Juxta fautores scholæ gallicanæ, omnia decreta auctoritatis ecclesiasticæ deferri possunt coram tribunalibus civilibus et reformari v. g. si quis ab episcopo excommunicetur, poterit recurrere ad tribunal civile unde sententia infirmetur et ad sacramenta admittatur. Libertas cultus sic intellecta fit omnino illusoria.

Patroni hujus sententiæ sentiunt in hac regione viguisse et vigere appellationem *ab abusu*, quæ recensebatur inter *libertates gallicanas*. Revera, aiunt, regio Canadensis, post cessionem, retinuit leges Galliæ; atqui leges Galliæ tunc vigentes subjiciebant decreta auctoritatis ecclesiasticæ tribunalibus civilibus, quæ, sub prætextu abusus, sibi arrogabant jurisdictionem eadem decreta cognoscendi et judicandi. Unde tribunalia civilia hujus regionis possent, per modum appellationis *ab abusu*, judicare decreta auctoritatis ecclesiasticæ.

2° Sed e contra plura sunt argumenta juris administrativi quæ demonstrant appellationem *ab abusu* in hac regione non viguisse, et a cessione præsertim invocari non posse.

a) Ludovicus XIII, in articulo 31 instructionis editæ anno 1629, prohibuit ne judices hujus regionis inquirerent de causis spiritualibus, de illis quæ referuntur ad sacramentorum administrationem, et in genere ne judicum ecclesiasticorum jurisdictionem directe vel indirecte læderent. Ergo ea videtur fuisse mens regis, quod appellatio *ab abusu* non introduceretur in colonia.

b) Hoc confirmatur facto : post mortem episcopi *de St Valier*, magna fuit contentio de ejus successore inter canonicos ecclesiæ cathedralis. Dupuy, præfectus Consilii Supremi, intervenit, canonicos citavit coram Consilio Supremo, imo eorum bona publicavit. Hæc decreta Consilii Supremi infirmarunt rector coloniæ De Beauharnois, suo decreto 8 Martii 1728, et Ludovicus XV, decreto edito 17 Sept. 1728, *tanquam edita in materia dubia et controversa.*

c) Etiamsi admittatur viguisse appellationem *ab abusu* sub dominio Galliæ, facto cessionis sequitur hanc appellationem sub dominio Britanniæ invocari non posse. Juxta enim peritos juris, quando aliqua regio transit de dominio unius regis ad dominium alterius, retinet suum jus privatum usquedum a novo principe immutetur, sed amittit suum jus publicum ut assumat jus publicum novi populi. Atqui relationes catholicorum erga regem pertinent ad jus publicum ; ergo ipso facto cessionis ad Majorem Britanniam, actum fuisset de appellatione *ab abusu*, quæ inter libertates gallicanas recensebatur. *S. Pagnuelo, Liberté religieuse au Canada, cap I.*

Hinc Sir Robert Phillimore, in causa *Brown vs La Fabrique de Montréal* (Guibord), aiebat : " Propter mutatas circumstantias Romanæ Ecclesiæ Catholicæ in regione Canadensi et non existentiam alicujus tribunalis, cujus officium esset, sicut in Gallia, recipere appellationes tanquam *ab abusu*, judices tribunalis magnam difficultatem experirentur in affirmando hanc propositionem, i. e. tribunalia habent potestatem procedendi per modum appellationis *ab abusu* — " Their

Lordship would feel considerable difficulty in affirming that proposition, i. e. that the Courts have the power of enforcing the privileges by proceedings in the nature of *appel comme d'abus.*"

165. **Quomodo se habet tribunal civile hujus provinciæ relate ad privilegium fori ?**

1° Juxta A. N. Morin, qui codicis civilis canadensis fuit compilator : " Siégeant comme juge, je n'ordonnerais dans aucun cas des actes religieux. Je n'ai aucune autorité pour ordonner des choses spirituelles. C'est dans les règles de l'Eglise que j'ai à examiner si l'acte dont on se plaint est un acte spirituel, lorsque aucune loi civile précise ne l'a déclaré d'une nature temporelle. En l'absence d'une pareille loi, je pense que le juge est obligé d'examiner et d'appliquer la loi qui préside à la matière, savoir le droit commun et les règlements et la discipline de l'Eglise. Dans les matières de bénéfices, de fabriques, de tout ce qui tient purement au temporel, ou qui est devenu mixte par les lois ou l'usage accepté, je serais bien fâché de violer les droits des citoyens. Chaque fois qu'un empiètement sur ces droits, une disposition à les méconnaître pourrait se présenter, ce sera pour moi un devoir de conscience de rappeler à la justice ceux qui voudraient s'en écarter. J'accorderais donc, sans hésiter, un *mandamus* pour forcer un curé à admettre un marguillier, à présider une assemblée, à faire ou corriger des entrées dans le registre de la fabrique; je n'ai aucune mission pour lui commander de dire la messe, d'administrer les sacrements, de faire des prières. Je l'accorderais, même dans ce cas, en tant qu'il se serait agi pour le curé, *comme officier civil,* d'être présent à l'inhumation et d'en dresser acte, s'il eût refusé de le faire. Je ne forcerais pas un curé à baptiser, ni à marier, mais si ce curé le faisait et qu'il refusât d'en dresser acte, je l'y forcerais. Qu'on ne se méprenne pas non plus sur le cas où un curé, au lieu d'être appelé à faire de force un acte religieux,

serait poursuivi en dommages-intérêts pour ne l'avoir pas fait. Alors je croirais de mon devoir d'entrer dans l'examen de la matière, si, par exemple, il avait agi *par passion, par mépris,* dans le but de *mortifier* ou *vexer* quelqu'un, *dans des cas où il n'était pas en conscience soumis à une règle contraire,* si une telle règle existe pour lui en matière spirituelle. La conscience du prêtre ne doit pas être mise au ban de la loi, pas plus que celle de tout autre citoyen."

2⁰ Habemus decisionem Consilii Supremi Britanniæ in causa *Brown vs La Fabrique de Montréal,* cujus hæc sunt potiora puncta :

a) Baptismus, matrimonium et sepultura sunt *res mixtæ,* et parochi non possunt ea denegare suis parochianis, qui non innodantur pœnis latis ab episcopo, aut auctoritate competenti *juxta regulas et formalitates statutas ab Ecclesia.*

b) In re mixta, tribunal civile potest inquirere de statutis et regulis Ecclesiæ ex quibus oritur detrimentum, et cogere Ecclesiam ut propriis legibus adhæreat.

c) Parochianus catholicus qui nunquam fuit nominatim excommunicatus et nunquam fuit declaratus et probatus peccator publicus ad mentem *Ritualis Quebecensis,* non est innodatus pœna ecclesiastica quæ, ad mentem *Ritualis Quebecensis,* arceat a sepultura ecclesiastica.

d) Auctoritati ecclesiasticæ non præcipitur ut preces fundat in sepeliendo reum Guibord.

3⁰ Habemus decisionem tribunalis primæ instantiæ in causa " *La Canada-Revue* " *vs Mgr Fabre,* 30 Octobris 1894. Judex tribunalis, Doherty, hæc sequentia tenuit :

a) Quæcumque associatio, sive ecclesiastica, sive laicalis, potest condere regulas ad disciplinæ conservationem, et hæ regulæ obligant omnes qui associationi consensum explicite vel implicite præstarunt.

b) Si in associatione, sive ecclesiastica, sive laicali, habeatur tribunal institutum quod cognoscat reatus contra disci-

plinam, ejus decisiones debent sustineri, si judex egerit intra limites suæ jurisdictionis et servaverit *proceduram* associationis, et quatenus nulla forma procedendi determinatur, si servaverit regulas justitiæ et æquitatis.

c) Tribunal civile potest inquirere quænam sint regulæ hujus associationis, an judex egerit intra limites suæ potestatis, an servaverit formam procedendi, et quatenus in associatione nulla specialis forma determinatur, an servaverit regulas æquitatis.

d) Clerici subjiciuntur tribunalibus civilibus et nequeunt invocare sua privilegia clericalia.

Hæc principia evidenter contradicunt juribus Ecclesiæ et capitulationibus, sed fatendum est quod constituunt jurisprudentiam tribunalium civilium in provincia Quebecensi.

166. **De privilegio immunitatis.** Privilegium immunitatis definiri potest: " Jus quo ab omni onere eximuntur loca, res et personæ ecclesiasticæ."

Immunitas non est repetenda a concessione potestatis civilis, nam apud omnes gentes loca sacra, res et personæ Deo consecratæ immunes fuerunt et a quocumque humano commercio segregatæ; neque omnis immunitas repetitur a jure divino et naturali. Immunitates proveniunt a lege positiva Ecclesiæ, quæ tamen fundatur in intentione juris divini et naturalis. *Santi, lib. III, tit. XLIX, num.* 1.

Ex ipsa definitione patet triplicem esse immunitatem, scilicet localem, realem, personalem.

167. **Immunitas localis duo importat:**

1⁰ Ob privilegium immunitatis ab actibus profanis, prohibentur fieri in locis sacris opera quæ repugnant sanctitati loci. Per loca sacra, intelliguntur omnes ecclesiæ consecratæ et benedictæ, loca ecclesiæ adhærentia, ut sacristia, atrium, porticus, cœmeterium. Actus qui prohibentur fieri in locis prædictis sunt causæ criminales, in quibus agitur de sanguinis effusione et de pœna capitali, judicia civilia sub pœna

nullitatis actuum, nundinæ, conciones politicæ, ludi theatrales, musica profana quæ ad solam animi recreationem ordinatur.

Patres Concilii Quebecensis VII, decreto 13, prohibent ne publici conventus politici, aut alii profani locum habeant in proxima vicinitate ecclesiarum, nec orationes habeantur e gradibus illarum.

Matricularii (marguilliers) debent vigilare ne turbetur ordo in ecclesia aut in locis adjacentibus. Qui, sive in ecclesia, sive in locis adjacentibus, ordinem turbaverit, expelli debet; quod si renuat, puniatur mulcta aut incarceratione.

Ad rem referuntur dispositiones legislativæ quæ leguntur sub numeris 3487, 3488, *Statuts refondus de la Province de Québec.*

2° Ob eamdem immunitatem, ecclesiæ et loca sacra gaudent jure asyli, id est, rei alicujus criminis, confugientes ad ecclesiam, tuti sunt et non possunt ab ea extrahi. Jam apud Judæos vigebat jus asyli, et sex urbes refugiorum fuerant constitutæ; Ecclesia Catholica hanc disciplinam imitata est, sed plures excepit a jure asyli, puta, homicidas, qui animo deliberato occiderunt, latrones publicos et reos criminis læsæ-majestatis.

Firmo remanente ecclesiastico jure asyli, juxta canones et pontificias constitutiones, Sancta Sedes, pro locorum et circumstantiarum adjunctis, illud jus temperavit. Adhuc viget excommunicatio latæ sententiæ Romano Pontifici simpliciter reservata contra " immunitatem asyli ecclesiastici violari jubentes aut usu temerario violantes," sed hæc censura non attingit judices, qui legibus patriæ coacti jubent reos extrahi e loco sacro, nec a fortiori milites mandata imposita exequentes. *Bargilliat, Præl. Jur. Can., vol. II, n.* 1284.

168. **De immunitate reali.** Immunitas realis in eo consistit quod bona Ecclesiæ et clericorum sunt immunia seu exempta a jurisdictione civili et ab oneribus in societate

civili communibus. Si de rebus Ecclesiæ sermo sit, nemo est qui non videat res consecratas vel benedictas esse prorsus exemptas a civili potestate, quia Deo sunt dicatæ; igitur sermo restringitur ad bona temporalia ecclesiarum et clericorum. Nomine ecclesiæ veniunt etiam monasteria et causæ piæ. Jamvero hæc bona, quocumque titulo ad Ecclesiam pertinentia, jure canonum, reali gaudent immunitate, ita ut etiam prohibeatur clericis sponte taxas ex eis potestati civili solvere. *Cap. Clericis laicos, tit. XXIII, De Immunitate Ecclesiarum, in* 6⁰.

Hæc immunitas per plura sæcula viguit; instante magna necessitate Status civilis, episcopus et clerus, probata causa, aliquid erogabant. *Cap. Non minus,* ejusdem tituli.

Instante spiritu rebellionis et odii contra Ecclesiam et bona ad clericos et loca pia pertinentia, crescentibus expensis ærarii publici, societates civiles inceperunt taxas imponere super bonis ad clericos et ecclesias pertinentibus. " Pro hac servanda immunitate, ait *De Angelis, lib. III, tit. XLIX,* non putavit S. Sedes amplius insistere, neque reclamare, et toleravit quod Ecclesia et clerici relate ad bona essent in eadem conditione ac ceteri laici.

Hinc est quod in Const. *Apost. Sedis* disparuerunt omnes censuræ latæ contra eos qui supra bonis Ecclesiæ vel clericorum imponunt taxas. In hac re, Ecclesia prudentissime egit ad cessandam invidiam, æmulationemque, quasi vellet ditescere alienis dispendiis ; proinde dici potest immunitatem realem, saltem ex non reclamatione Ecclesiæ, vel ex ejus taciturnitate, in praxi cessasse." *Cf. articulos conventos inter S. Sedem et Hispaniam,* 23 *Junii* 1904, *num.* 3.

169. **In provincia Quebecensi,** bona clericorum taxantur sicut bona laicorum, sed bona ecclesiarum et institutionum religioni, charitati et educationi dicatorum eximuntur a taxis impositis sive a *consilio municipali,* sive a *commissione scholarum.:*

" Sont des biens non imposables, I° les propriétés appartenant à des fabriques, ou à des institutions ou corporations religieuses, charitables ou d'éducation, ou occupées par ces fabriques, institutions ou corporations pour les fins pour lesquelles elles ont été établies, et non possédées par elles uniquement pour en retirer un revenu ; II° les cimetières, les évêchés, les presbytères, et leurs dépendances." *Art.* 712 *codicis municipalis Prov. Queb.*

Huic consonat art. 2144, *Statuts refondus du Bas-Canada :* " Aucune institution ou corporation religieuse, charitable ou d'éducation, ne doit être taxée pour les fins scolaires, à raison des propriétés qu'elle occupe pour les fins pour lesquelles elle a été établie ; mais les propriétés que ces institutions ou corporations possèdent pour des fins de revenus, sont taxées par les commissaires ou syndics de la majorité ou de la minorité religieuse à laquelle elles appartiennent et au profit exclusif de telle majorité ou minorité, ou suivant la déclaration faite par elles à cet effet."

170. **De immunitate personali.** Immunitas personalis in eo consistit quod clerici eximuntur a jurisdictione potestatis sæcularis. Hæc exemptio potest considerari 1° quoad leges, 2° quoad judicia, 3° quoad onera publica obeunda.

1° *Quoad leges,* clerici et ecclesiæ non obligantur illis legibus quæ a laicis personis in rebus ecclesiasticis latæ sunt, nam non subsunt in his rebus jurisdictioni principum. Excipe, si leges fuerunt ab Ecclesia approbatæ, quia in hoc casu, ex ipsius Ecclesiæ voluntate, vim et robur obtinent. Leges generales civiles, quarum materia est illis cum sæcularibus communis, et quæ juribus Ecclesiæ non adversantur, clerici in conscientia observare tenentur quoad vim directivam, non quoad vim coactivam. Tenentur quoad vim directivam, non quia potestas civilis veram habeat in personas et res ecclesiasticas jurisdictionem, sed quia rationabiles leges

præsumuntur ab ipsa auctoritate ecclesiastica probari, vel potius quia æquitas naturalis et publica tranquillitas inculcant clericis observantiam harum legum; non tenentur quoad earum vim coactivam, quia gaudent privilegio fori. *Santi, lib. I, tit. II, De Constitutionibus, num.* 36.

2° *Quoad judicia,* clerici gaudent privilegio fori, quod sufficienter explicavimus.

3° *Quoad munera publica,* inter alia clerici eximuntur a cura et tutela, ab officio juratorum, a servitio militari, et in genere ab illis officiis quæ, vel distrahunt a servitio divino, vel opponuntur lenitati et mansuetudini quam clerici debent profiteri. *Santi, lib. III, tit. XLIX, num.* 9.

171. **Ex jure civili hujus provinciæ,** clerici eximuntur a servitio militari; *Statuts du Canada,* 31 *Victoria, ch.* 40, *s.* 17. Parochus, sicut quilibet alius sacerdos, non potest eligi consiliarius municipii, nec præfici ad aliquod officium sub potestate municipii. Potest suffragium emittere in electionibus municipii, si dotes a lege requisitas habeat. Item suffragium emittere potest in electionibus tum fœderalibus, tum localibus, si dotes requisitas habeat; *Statuts du Canada,* 8 *Victoria, ch.* 10; 18 *Victoria, c.* 100.

Parochus potest eligi *commissarius* scholarum, quin fundum possideat; *Statuts ref. du Bas-Canada, c.* 15, *s.* 36. Tandem in *Statuts refondus de la Prov. de Québec,* sub art. 3502, hæc leguntur :

" Tous les ministres du culte, allant accomplir quelque acte ou devoir qui se rattache à l'exercice de leur ministère, ou en revenant, et toutes les voitures et bêtes de trait, dont ils se servent pour cet objet, ont droit de passer sans payer, par les postes ou barrières de péage, sur tout chemin à barrière ou pont de péage, soit que ces chemins ou ponts, et les péages y perçus, appartiennent à la province ou à quelque autorité locale ou municipale, ou corps de syndics ou commissaires pour des fins locales, ou à quelque compagnie con-

stituée en corporation ou non, ou à tout autre corps ou personne."

172. **Privilegium Competentiæ,** ex capite *Odoardus, De Solutionibus*, in eo consistit quod clericus, in judicio civili actione personali conventus, si legitime constet eum a solvendo non esse, neque in carcerem detrudi, neque bonis suis exspoliari possit, nisi detractis necessariis alimentis.

Hoc privilegium, jure civili Romanorum, competebat personis inter quas summa aderat sanguinis conjunctio, v. g. inter fratres; Gregorius IX illud extendit clericis. Ex hoc non sequitur clericos liberari a suis debitis, quia oportet ut idoneam cautionem saltem jurejurando præstent se debitum soluturos, si bona in posterum possideant.

Ut clericus gaudeat privilegio competentiæ, plures conditiones in jure requiruntur: 1° ut clericus non reliquerit habitum et tonsuram; 2° ut constet de inopia saltem summarie; 3° ut debita proveniant ex contractibus civilibus, non ex delicto, vel quasi delicto. *Sebastianelli, De Clericis, tit. I, n.* 19; *De Luca, De Personis, tit. X, n.* 145.

173. **Fatendum est huic privilegio** in jure civili derogatum fuisse per concordata vel consuetudines contrarias; attamen in codice civili Prov. Quebecensi, sub art. 2276, (hic articulus nunc refertur in codice proceduræ civilis, art. 335) legitur :

" Le curé, de même que tout prêtre, ne peut être arrêté ou incarcéré pour dette ou autre cause d'action civile, sauf dans les cas mentionnés aux articles 2272 et 2373 du code civil."

" Il ne peut être arrêté non plus durant le service divin." *Beaudry, Code des curés, n.* 50.

TITULUS IV

DE OFFICIIS COMMUNIBUS CLERICORUM

174. **Clerici tenentur ad vitæ sanctitatem** ut reliqui homines in eos tanquam in speculum oculos conjicientes, ex eis sumant quod imitentur: "Quapropter, ait *Conc. Trid., sess. XXII, c.* 1, sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos, vitam, moresque suos componere, ut habitu, incessu, gestu, sermone, aliisque omnibus rebus, nihil nisi grave, moderatum ac religione plenum præ se ferant."

Honestas quæ clericis commendatur, dividitur in internam et externam. Interior honestas consistit in munditia cordis, in exercitio virtutum moralium quæ monasticæ appellari solent, et in recta intentione quoad susceptionem status clericalis et exercitium officii proprii. De hac honestate disseritur in theologia morali.

Exterior honestas clerici plura complectitur, scilicet quod sit morum gravitate ornatus, decenti habitu indutus et a nonnullis artibus et officiis alienus.

175. **Clerici debent vivere in continentia.** Omnes clerici majoribus ordinibus initiati tenentur perpetuam continentiam servare ita ut, post ordinationem susceptam, matrimonium valide contrahere non possint, neque matrimonio ante ordinationem contracto licite utantur; *Conc. Trid., sess. XXIV, can* 9.

1° Hæc disciplina, quatenus ad episcopos, presbyteros et diaconos attinet, a primis sæculis venit et habet fundamentum in traditionibus Apostolorum: "Christus Virgo, ait S. Hieronymus, Virgo Maria utriusque sexus virginitatem dedicarunt. Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes..."

Nulla tamen lege generali, ab initio Ecclesiæ, continentia fuit clericis majoribus imposita, imo in quibusdam provinciis non fuit eis vetitum cohabitare cum uxoribus quas antea duxerant; verum duo certa habemus: *a)* A temporibus apostolicis invaluisse consuetudinem ut promoti ad sacros ordines se abstinerent ab uxoribus quas sibi legitimo matrimonio conjunxerant, etiam quando licitum erat cum eis cohabitare; *b)* eisdem clericis ubique interdictum fuisse nuptias contrahere post ordinationem.

2° *In Ecclesia Græca*, a concilio Trullano, an. 602, concessum est græcis presbyteris et diaconis uti suis uxoribus ductis ante ordinationem, et constitutum est ut ad episcopatum non promoverentur nisi qui cœlibes vixissent, aut se continentiam perpetuo servaturos sponderent.

3° Obligatio continentiam servandi oritur ex lege ecclesiastica et ex voto. De lege ecclesiastica non est dubium; quoad votum, habemus declarationem Bonifacii VIII, in cap. *Quod votum, lib. III, in* 6°: " Declarandum duximus illud solum votum dici debere solemne quod solemnizatum fuit per *susceptionem ordinis sacri*, aut per professionem factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis."

176. **Clerici non debent cohabitare cum mulieribus quæ incontinentiæ speciem ingerunt.** Cum natura abhorreat crimen incestus, permittitur clericis cohabitare cum matre, amita, sorore, filiabus fratrum et sororum, et in genere cum consanguineis in primo et secundo gradu. Hanc juris dispositionem canonistæ extendunt ad affines in primo gradu, propter eamdem rationem; sed in utroque casu requiritur ut cohabitatio non secumferat aliquam incontinentiæ suspicionem, qua enim posita, prohibenda est cohabitatio etiam cum consanguineis et affinibus. Clerici cohabitare possunt cum extraneis fœminis, modo sint provectioris ætatis, id est, 40 annos natæ, et honestæ vitæ. *Lib. III Decretalium, tit. II.*

177. **Clerici vocantur concubinarii, quando turpiter cum aliqua fœmina vivunt,** sive domi eam retineant, sive extra domum ad eam frequenter accedant, aut sive cohabitent cum muliere suspectæ famæ. In antiqua Ecclesiæ disciplina, clerici concubinarii deponebantur in perpetuum de statu clericali; Concilium Tridentinum, sess. XXV, cap. 14 et sess. XXI, cap. 6, statuit jus quo nunc utimur. Quatuor casus dari possunt : 1° de clericis majoribus vel minoribus non habentibus beneficium, 2° de iisdem clericis majoribus vel minoribus habentibus beneficium non curatum, 3° de clericis habentibus beneficium curatum, 4° de prælatis et episcopis.

1° Pro primo casu, clerici beneficia ecclesiastica non habentes puniantur pœna carceris, suspensionis ab ordine et inhabilitatis ad beneficia obtinenda, attenta qualitate delicti et contumaciæ. *Trid., sess. XXV, cap.* 14.

2° Pro secundo casu, Concilium hunc procedendi modum proposuit : post primam monitionem, si non resipiscant, amittunt ipso facto tertiam partem omnium fructuum sui beneficii, qui applicandi sunt fabricæ ecclesiæ, vel alicui loco pio ad arbitrium episcopi ; si secunda monitio inanis sit, amittunt omnes fructus sui beneficii et suspenduntur ab administratione eorumdem beneficiorum. Si vero post tertiam monitionem, contumaces perseverent, privantur eisdem beneficiis et inhabiles redduntur ad alia quæcumque habenda. Tandem, perseverante contumacia, excommunicantur.

3° In tertio casu, episcopus in clericum concubinarium procedere potest, vel juxta regulam indicatam pro beneficium possidentibus, vel juxta dispositionem cap. 6 sess. XXI Conc. Trid., in qua decernitur quod parochus primo moneatur, deinde debita plectatur coercitione. Si adhuc pertinax fuerit, per sententiam Ordinarii privari potest beneficio parochiali, quæ sententia nulla exceptione, aut appellatione retardari potest.

4° In quarto casu, episcopus moneri debet in concilio pro-

vinciali a metropolitano, eoque impedito, ab antiquiore suffraganeo. Si post monitionem se non emendet, ipso facto manet suspensus, et, perseverante contumacia, deferri debet ad Summum Pontificem, qui pro qualitate culpæ in eum animadvertet. *Conc. Trid., sess. XXV, cap.* 14, *De Ref.*

178. **Ob suspicionem incontinentiæ, interdicitur clericis frequens accessus ad monasteria sanctimonialium** sine causa rationabili et manifesta. Hac in re, episcopi, contra clericos sæculares frequenter accedentes, cujuscumque dignitatis et diœcesis sint, procedere possunt pœnis; contra clericos regulares, non obstante eorum exemptione a jurisdictione episcopali, et tanquam Sedis Apostolicæ delegati, eos plectere possunt pœnis, a quibus absolvi non poterunt a suis superioribus regularibus. Ab hac prohibitione eximuntur fratres et consanguinei monialium, confessarii, procuratores monialium, et in genere omnes circa monasterium aliquod officium adimplentes. *Santi, Prœl. Jur. Can., lib. III, tit. I, num.* 13.

179. **Gravitas morum exigit ut clerici se abstineant a crapula et ebrietate,** idest, ab immoderato ciborum usu et superfluo usu potus. Item clerici non debent interesse spectaculis publicis et comœdiis, frequentare convivia præsertim nuptialia, ingredi cauponas causa bibendi aut edendi, nisi causa itineris. Ad coercendos excessus contra temperantiam vel morum gravitatem, episcopi possunt procedere ex cap. 1 sess. XXII Conc. Trid., De Ref.

180. **Ratione honestatis externæ clerici tenentur ad decentiam habitus.** 1º Habitus a clericis deferendus in functionibus sacris fuit diversus ab habitu communi, ut eruitur ex verbis Sti Hieronymi: "Habet religio divina alterum habitum in ministerio altaris, alterum usu, vitaque communi." An hoc repetendum sit a tempore Apostolorum, hoc incertum manet apud eruditos.

2º Si sermo sit de habitu a clericis deferendo extra sacra

ministeria, certum est quinque prioribus sæculis vestem clericorum non distinctam fuisse a veste laicorum : " Discernendi sumus, aiebat S. Cœlestinus Papa, a plebe vel ceteris doctrina non veste, conversatione non habitu, mentis puritate non cultu." Sæculo septimo, vestes clericorum a vestibus laicorum distingui cœperunt ; clerici usurparunt togam Romanorum, quæ vestis erat usque ad talos extensa, laici autem breviorem vestem a Barbaris illatam adoptarunt. Concilia particularia, medio ævo, non determinarunt formam vestis clericalis, sed prohibuerunt vestes nimis luxuriosas, rubras vel virides, nimis longas vel nimis breves.

Concilium Tridentinum, sess. XIV, cap. 6, hæc statuit : " Etsi habitus non faciat monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant." Ideo a tempore Conc. Trid., concilia provincialia fere omnia clericos coegerunt ad deferendam vestem talarem, et quidem nigri coloris, ad quam non erant antea certa lege adstricti.

3° Forma habitus clericalis non omnino determinatur jure communi, sed ad episcopum pertinet eam assignare ; voluit enim Concilium Trid., ut clerici deferrent habitum clericalem illorum ordini et dignitati congruentem, et *juxta ipsius episcopi ordinationem et mandatum. Sebastianelli, De Clericis, n.* 31.

181. **In provincia canadensi, is habitus a clericis deferatur :**

1° " Sacrosanti Concilii Tridentini decretis inhærentes, præcipimus clericos vestes proprio congruentes ordini deferre ut per decentiam habitus extrinseci, honestatem intrinsecam ostendant. Itaque, nonnisi tonsura insigniti, vesteque talari nigri coloris superinduti incedant. Si qui in itinere constituti nequeant absque gravi incommodo supradictam vestem

retinere, saltem induantur veste oblongiori ejusdem coloris, hujusque formæ, unde eorum modestia omnibus innotescat."

2° "Quoniam in diœcesibus Canadæ Superioris, vestis talaris usus nonnisi cum magno incommodo retineri potest, hujusce regionis adjunctis, circumstantiisque perpensis, dictam vestem talarem deponi posse, aliudque vestimentum, vulgo dictum *soutanelle*, nigri coloris et infra genua descendens, sufficere in præfatis diœcesibus declaramus; volumus autem ut in argumentum clericalis status, nonnisi hoc vestimento ac *collare romano* induti earumdem diœcesium sacerdotes e domo vel ecclesia exeuntes in publico incedant." *Cf. Conc. Marianop., tit. II, decr.* 14; *Conc. Queb. III, dec. VIII.*

182. **De tonsura.** Inter tonsuram et coronam intercedit discrimen, ait Bened. XIV, et utramque clericis gerendam Innocentius III his verbis indicit: "Coronam et tonsuram habeant congruentem." Per tonsuram olim intelligebatur brevitas capillorum, per coronam vero forma coronæ servata in modo tondendi capillos. Omnes qui Deo in statu clericali se devovebant capillos defluentes in humeros deponebant, et præterea caput per modum coronæ radere tenebantur, juxta disciplinam usu invectam. Ecclesia firmavit hanc disciplinam in legibus suis: "Clerici tonsuram et coronam habeant congruentem." *Cap. Clerici* 15, *De Vita et Honestate clericorum, lib. III Decretalium.*

183. **Clerici tenentur deferre habitum clericalem et tonsuram.** Iter vero agentibus permittitur vestis brevior sed nigri coloris, et in qua decus et honestas ordinis clericalis elucent. Imo potest habitus clericalis totaliter relinqui ex gravi causa, v. g. si immineat persecutio vel si per loca hæreticorum sit transeundum.

Tenent communiter doctores facilius mortaliter peccari dimittendo habitum quam tonsuram; ideoque clerici, etiam in sacris constituti, saltem graviter non peccant, nisi omit-

tant deferre tonsuram per tempus notabile, quale non est tempus unius vel alterius mensis; imo controvertitur utrum sit grave tonsuram per plures menses non deferre; *Stus Alph., lib.* 6, *n.* 825. In regionibus infidelium et hæreticorum, ex prudenti episcoporum concessione, clerici nec coronam gestant, nec vestem talarem in publico deferunt.

184. **Pœnæ.** 1° Clerici in majoribus ordinibus constituti, vel clerici minores qualecumque beneficium ecclesiasticum possidentes, si notabili tempore, et legitimo impedimento cessante, publice deserant vestes clericales, et moniti ab episcopo, contumaces persistant, coerceri possunt per suspensionem ab ordine, officio et beneficio. Imo si semel correpti denuo in hoc deliquerint, puniri possunt per privationem officiorum et beneficiorum. *Trid., sess. XIV, c.* 6, *De Ref.*

2° Statuit Benedictus XIII clericos hujusmodi etiam ante admonitionem, citationem et sententiam fructus non facere suos, sed, sub pœna peccati gravis, teneri ad eos restituendos fabricæ ecclesiæ vel loco pio, sublata Majori Pœnitentiario facultate eosdem fructus condonandi clericis; hanc facultatem concessit pro casibus occultis Benedictus XIV.

3° Clerici minores beneficio carentes, quamvis non teneantur habitum clericalem deferre, tamen si dimittant habitum clericalem ipso jure privilegium fori et omnia privilegia clericalia amittunt. *Decret. S. C. Immunitatum,* 20 *Nov.* 1860.

185. **Ex eodem capite, prohibetur clerico ne comam et barbam nutriat.** Immoderata cultura comæ morem fœmineum redolet et nimiam animi levitatem manifestat. In antiquo jure, clerici nutrientes barbam et comam præcipiebantur ab archidiacono tonderi; quæ coercitio, hodierno jure, arbitrio episcopi perficienda relinquitur. *Santi, loco citato.*

186. **Item clericis prohibetur ne deferant comas fictitias.** Si quis necessitatem habeat, licentiam obtineat a

legitima auctoritate, puta ab episcopo ut valeat eam comam deferre extra missæ celebrationem, a Summo Pontifice, ut eam deferat tempore celebrationis. *Santi, lib. III, tit. I, n. 37.*

187. **Prohibitioni abusus in ornamento capitis et vultus, similis est prohibitio delationis annuli.** Ex variis responsionibus S. R. Congregationis, deduci potest delationem annuli in celebratione missæ prohiberi protonotariis non participantibus, necnon doctoribus quibuscumque. Canonici ecclesiæ cathedralis gestare possunt annulum sine gemma et effigie. Cum hæc prohibitio respiciat missæ celebrationem, clerici doctores, quibus competit annuli delatio, illum extra missam poterunt licite deferre. *Santi, loco citato.*

188. **Omnibus clericis prohibetur negotiatio lucri causa,** sive per se, sive per interpositam personam, nisi urgeat necessitas. Const. *Apost. Servitutis*, Bened. XIV. Ratio est, quia clerici per negotiationem implicantur rebus sæcularibus, avocantur a rebus divinis, exponuntur periculo adhibendi fraudes, etc.

Dicitur 1° *nisi urgeat necessitas.* Non admittitur indigentia clerici, quia unicuique clerico inesse debet titulus ordinationis unde honestam sustentationem percipiat; eoque deficiente, tenetur artibus honestioribus propriæ indigentiæ consulere. Quod spectat ad indigentiam aut parentum, aut sororum, aut aliarum personarum quibus auxilium præstandum est, clericus hanc necessitatem habens tenetur præterea veniam auctoritatis legitimæ impetrare; hæc auctoritas legitima dispensationem erogans erit Sancta Sedes, si clericus intra Italiam et insulas adjacentes existat, Ordinarius loci, si sit in remotioribus locis. Const. *Cum Primum*, Clementis XIII, 17 Sept. 1759.

Dicitur 2° *lucri causa*, nam si clericus ad fidelium utilitatem quædam objecta minoris momenti, puta cruces, coronas, libros emerit ut eodem pretio revendat, non argui debet de

commercio vetito; sed multo magis expedit ut hæc viro laico committantur. Minime vero toleranda est ratio agendi clerici, qui verum negotium ducit sub prætextu lucra inde reportata impendendi in pauperum sublevamen, vel in causas pias in genere. *Bargilliat, Prœl. Juris. Can., vol. I, n.* 369.

Dicitur 3° *per se vel per interpositam personam*; nam " qui facit per alium est perinde ac si faciat per seipsum ", juxta regulam juris 72[am]. Præterea eodem modo clericus avocatur a rebus divinis, sive per se, sive per alium negotietur.

189. **Negotiatio generatim dicitur:** Omnis commutatio mercis, operis, pecuniæ, seu cujuscumque rei pretio æstimabilis, causa lucri.

Tres sunt potiores modi negotiandi ad quos facile reducuntur alii: vel merces emuntur ut deinceps carius vendantur sub eadem forma; vel emuntur ut, mutata forma in aliam per fabricationem, vendantur cum lucro; vel tandem fit cambium, seu commutatio pecuniæ pro pecunia cum lucro.

1° Prima species negotiationis clericis omnino prohibetur. Bened. XIV, Const. *Apost. servitutis.* Possunt tamen clerici e rebus emptis ad propriam et familiæ sustentationem ea quæ supersunt carius quam emerint vendere, modo justi pretii non prætergrediantur limites.

2° Negotiatio secundæ speciei, seu improprie dicta, est aliquando licita, aliquando illicita, ratione modi quo exercetur. Non interdicitur clericis negotiatio cujus lucrum ab illorum labore et personali industria præcipue procedit, v. g. si ex marmore statuam conficiant: id non reputatur commercium in æstimatione communi, et ipse Paulus de seipso dixit, Act. Apost., XX, 34: " Ipsi scitis quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt ministraverunt manus istæ." Item non interdicitur clericis vendere res quæ sunt fructus sui prædii, v. g. excolere agros sui patrimonii, animalia emere saginanda ex pascuis sui fundi, vinum ex suis

uvis, oleum ex suis olivis confici ac vendi curare. Qui suum patrimonium excolit atque fructus vendit, non censetur negotiari. *Icard, Prœl. Jur. Can. S. Sulpicii, vol. II, p.* 68.

Interdicitur negotiatio qua res emptæ ex fundo alieno immutantur in aliam formam labore mercenarii ut vendantur causa lucri. Igitur prohibitum est clericis ne, lucri studio, aliena prædia conducant, et quasi villicos se constituant; vel ne uvas emant ut vinum ex eis per famulos ad id conductos exprimant et postea vendant. Talis operatio, in communi æstimatione, veram constituit negotiationem. *Bargilliat, Prœl. Jur. Can., vol, I, n.* 370.

3° Negotiatio tertiæ speciei, quæ fit per cambium, est clericis interdicta, juxta const. *Cum primum* Clementis XIII: " Declaramus ac definimus cambium activum natura sua esse actum veræ negotiationis, ideoque omnibus ecclesiasticis vetitum censeri debere tam proprio nomine quam per interpositam personam illud contrahere." Cambium est permutatio pecuniæ pro pecunia. Triplex distingui potest, nempe *manuale*, quo permutatur, causa lucri, pecunia cum alia pecunia præsente, v. g. aurum cum argento, moneta unius regionis cum moneta alterius regionis; *locale*, quo pecunia præsens permutatur cum pecunia in alio loco percipienda; *temporaneum* (à terme), quo permutatur pecunia præsens cum pecunia post certum tempus solvenda.

Unde clericis prohibetur emere in foro argentario titulos, cum intentione eosdem carius vendendi, quod gallice dicitur *jouer à la bourse.* Nec magis licet clericis mutuam recipere pecuniam cum obligatione quotannis fructum fixum solvendi, et cum ea negotiari ut majores fructus quotannis percipiantur. *Bargilliat, loco citato.*

190. **Quæritur utrum clericis liceat emere actiones et obligationes in societatibus cujuscumque generis.**

Actiones non sunt confundendæ cum obligationibus. Qui

emit actiones, fit coproprietarius fundi socialis, particeps lucr et damni societatis; qui emit obligationes, mutuo tradit pecuniam ad fructum determinatum quotannis percipiendum.

1⁰ Quoad obligationes accipiendas in qualibet societate, nulla est difficultas, cum id aliud non sit quam mutuo dare, quod clerico licet.

2⁰ Quoad actiones accipiendas, tres sunt canonistarum sententiæ :

a) Alii contendunt clericos non secus ac laicos posse emere actiones quascumque, easque vendere et permutare, cum sibi opportunum duxerint; quia nullum commercium reapse peragunt, nec agere intendunt, sed sibi proponunt pecuniam suam modo securo collocare.

b) Alii dicunt prohiberi clericis assumere actiones in qualibet societate quæ exercet commercium vel industriam clericis prohibitam. Ratio est, quia actionarius fit membrum societatis, et operationes sive commerciales sive industriales fiunt ejus nomine, ita ut ipse dicendus sit exercere commercium vel industriam per interpositas personas; atqui non magis licet clericis negotiari per alios quam per seipsos.

c) Alii, facta distinctione inter societates quas dicunt commerciales (banques, sociétés de crédit, etc.) et societates industriales, (chemins de fer, mines,) affirmant illarum actiones a clericis emi non posse, attentis argumentis secundæ sententiæ, sed harum actiones sibi comparare posse, quia negotiatio industrialis non est absolute clericis prohibita. Invocant declarationem S. Officii, 1 Ap. 1857: " Utrum sit licitum ecclesiasticis personis titulos super vias ferreas emere, lucrumque ex eis proveniens accipere " — " Sanctitas Sua concedit facultates permittendi ecclesiasticis ut accipiant actiones viarum ferrearum, de propria pecunia tantum." *Icard, vol. II, n.* 356—*Vecchiotti, vol. I, c. XI—Bargilliat, vol. I, n.* 371.

Qui tenent emptionem actionum in quacumque societate clericis non prohiberi, rem his conditionibus circumscribunt, ut clerici nullam partem habeant in administrandis rebus societatis, ideoque non intersint conventibus generalibus sociorum, et negotiationem non exerceant circa actiones earumdem societatum.

191. **Venatio clericis prohibetur;** "Venationem universis clericis interdicimus, unde nec canes, nec aves habere præsumant." *Conc. Lat. IV.* "Nullum in Scripturis Sacris invenimus venatorem; Esau venator erat, quoniam peccator: hinc a sacris canonibus interdicta clericis venatio est." *S. Hieronymus.*

Duplex autem venatio distinguitur: alia *clamorosa* quæ fit cum magno strepitu armorum et canum ad occidendas majores feras; alia *tacita* quæ fit cum laqueis, retibus, aut etiam armis, sine strepitu, ad capiendas volucres, vel minores feras. Communis sententia est clamorosam tantum venationem clericis prohiberi, non quietam; imo venatio clamorosa non est grave peccatum, nisi sit frequens, aut fiat cum scandalo aut magnis expensis. *S. Alph., lib. IV, n.* 606.

192. **Clerici in sacris ordinibus constituti, vel beneficiati obire non possunt munus advocati vel procuratoris** coram judice laico, nisi propriam causam, aut suæ ecclesiæ, vel miserabilium personarum quæ causas administrare non possunt, prosequantur. Similiter ab officio tutoris et curatoris clerici excusantur, nisi agatur de tutela vel cura pupillorum vel minorum quibuscum clerici jure cognationis conjunguntur.

Non prohibetur clericis quominus sedeant in comitiis politicis et administrativis, nisi specialibus rationibus impediantur. *Vecchiotti, Institutiones, vol. 1, c. XI.*

193. **Cum clerici mites esse debeant et a sanguine abhorrere, ipsis interdicitur exercitium artis medicinæ et præsertim chirurgiæ** in operationibus quæ per

Ex defectu irregularitas quando causa quae illi originem dedit nullam culpam supponit in subjecto, Ex. caecitas, defectus natalium.
Ex delicto, originem habuit ex crimine, homicidium injustum.

Notio & divisio Juris canonici.-Quid per jus antiquum, novum & novissimum Quid collectio Isidoriana, corpus juris. Quid jus
[illegible] d. 4, de Consecr.
vel, c. 7, d. 4, de Cons.
Libri V Decret. c cap. Cum inter vos de consuetudine in Decret.
vel, cap. 5 tit. 4, lib. I, X.--c. Cum inter 5, X. I. 4.
Pro Sexto: c. cap. Clericis laicos de immunitatibus in 6o.
Extrav. Qia quorundam de haereticis
Pro Clementinis: cap. Multorum de haereticis in Clem.

L J. C.

P. 59.	46
70	50
74.	55
77.	
82.	
84.	

Jura – quoad sanctuary

Privilegia canonis, fori, immunitatis, competentiae
124 local real + personal.

incisionem aut adustionem perficiuntur. Unde ad exercendam hanc artem pro clericis majoribus et minoribus beneficium possidentibus, requiritur indultum apostolicum.

Clerici nequeunt arma tractare in bello, imo nequeunt arma deferre, nisi ad propriam defensionem, v. g. in itinere in quo aggressiones prævidentur; nec possunt agere partem in causis sanguinis. Quandonam incurrant irregularitatem *ex defectu* lenitatis, confer titulum de irregularitatibus *ex defectu*. *Gasparri, De Sacra Ordinatione, vol. I, n.* 452.

194. **Tandem artes et officia interdicuntur clericis quæ offendunt dignitatem status clericalis.** 1⁰ Hinc clerici non possunt choreas aut saltationes ducere, nec ubi ducuntur interesse; plures tamen theologi tenent clericis non esse peccatum grave comœdiis interesse, ubi nec res turpes repræsentantur, nec modus repræsentandi est turpis. Si hæc duo concurrant, audiuntur ob solam vanam curiositatem, absque periculo probabili lapsus in aliquod peccatum grave.

2⁰ Clerici non possunt exercere artem histrionis, jaculatoris aut buffonis; quas artes si egerint per annum integrum, amittunt *ipso facto* privilegia ecclesiastica; si breviori tempore, monendi sunt ab episcopo, et si tertiæ monitioni non paruerint, exspoliandi sunt his privilegiis.

3⁰ Clericis, præsertim sacerdotibus, prohibetur ne inserviant laicis in officiis vilibus domus, fœminisque nobilibus ancillentur, et obsequia præstent, ac si essent homines infimæ conditionis. *Decretum S. Congregationis Ep. et Reg.*, 16 *Martii* 1697.

TITULUS V

DE ROMANO PONTIFICE

Ad firmum unitatis vinculum retinendum, Christus Dominus instituit primatum in Ecclesia quem Divus Petrus alligavit Sedi Romanæ. Vim hujus principatus Petro, ejusque successoribus Romanis Pontificibus collati declaravit Concilium Vaticanum : " Si quis dixerit Romanum Pontificem habere tantum officium inspectionis vel directionis, non autem " plenam et supremam potestatem jurisdictionis in univer-" sam Ecclesiam, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, " sed etiam in eis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ " per totum orbem diffusæ pertinent, aut eum habere tantum " potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supre-" mæ potestatis, aut hanc ejus potestatem non esse ordina-" riam et immediatam, sive in omnes et singulas Ecclesias, " sive in omnes et singulos pastores, anathema sit."

Hinc Summus Pontifex præest non tantum omnibus et singulis ecclesiis et fidelibus, sed et omnibus et singulis episcopis, ita ut recte dicatur Episcopus episcoporum, Ordinarius ordinariorum. Remittentes ad theologiam dogmaticam demonstrationem primatus B. Petri, alias quæstiones attingemus in capitibus quæ sequuntur.

CAPUT I

DE ELECTIONE ROMANI PONTIFICIS

195. **Modus eligendi Romanum Pontificem jure divino non fuit determinatus.** Ad auctoritatem igitur

ecclesiasticam pertinet modum istius electionis præscribere et secundum temporum vicissitudines variare.

1° Si quæratur utrum liceat Romano Pontifici successorem sibi eligere, vel coadjutorem cum futura successione assumere, tres sunt canonistarum sententiæ.

a) Nonnulli id absolute affirmant, imo, aiunt, si hic foret modus ordinarius providendi summo pontificatui, multa incommoda vitarentur, quia S. Sedes nunquam vacaret.

b) Alii putant R. Pontificem id posse in casu tantum necessitatis, aut magnæ utilitatis Ecclesiæ : si nempe, sede vacante, schismata et turbæ prævideantur. Hic modus electionis esset extraordinarius.

c) Alii tandem dicunt R. Pontificem in nullo casu posse sibi successorem eligere. Hæc sententia est communis ; firmatur *facto* quod in tot sæculorum spatio, R. Pontifices nunquam successorem sibi constituerunt ; *testimonio* Pii IV, qui declaravit et decrevit quod R. Pontifex non posset sibi eligere successorem, nec assumere coadjutorem cum futura successione, etiam de consensu omnium et singulorum cardinalium. *Bargilliat, Prœl. Jur., vol. I, n.* 373.

2° *Primæva ætate*, electio S. Pontificis facta est ab episcopis provinciæ, clero urbis et plebe, distincto tamen officio cleri et populi, juxta disciplinam quæ generatim invaluerat apud Orientales. Ad sedandas contentiones, Imperatores huic electioni suos milites interponere cœperunt ; sed quia potestas sæcularis prona est ad libertatem Ecclesiæ opprimendam, res brevi eo devenerunt ut non alii eligerentur pontifices nisi qui ab Imperatoribus accepti fuissent. Ut seditionibus populi et violentiis principum finis imponeretur, Nicolaus II, in concilio Romano, anno 1059, cardinalibus episcopis electionem Summi Pontificis commisit, ita ut reliquis cardinalibus, clero, populoque romano, remaneret tantum electioni ab ipsis factæ consentire. Alexander III, in concilio III Lateranensi, anno 1178, statuit ut ille canonice electus censeretur in quem duæ

ex tribus partibus omnium cardinalium consensissent; et sic, excluso cleri, et populi, et Imperatoris consensu, tota pontificis electio ad solum cardinalium collegium fuit devoluta.

3° Gregorius X disciplinam conclavis instituit, quam perfecerunt ejus successores Pius IV, constitutione *In eligendis*, Gregorius XV, constitutionibus *Æterni Patris* et *Decet Romanum Pontificem :*

a) Mortuo Summo Pontifice, cardinales absentes monendi sunt et per decem dies expectandi. Post decem dies celebrantur exequiæ defuncti pontificis.

b) Sepulto Pontifice, cardinales in basilica S. Petri, vel alibi pro locorum opportunitate, conveniunt, et, celebrata prius missa de Spiritu Sancto, processionaliter ingrediuntur conclave. Post sermonem habitum a Decano, unusquisque ingreditur suam cellulam sorte designatam.

c) Electione non consummata, cardinales in conclave admittuntur quocumque tempore civitatem petierint.

d) Conclave ad formam rigorosæ clausuræ clauditur per custodes; in eo remanent, præter cardinales, duo cujuslibet cardinalis familiares, qui vulgo *conclavistæ* nuncupantur, et alii officiales pro servitio cardinalium in communi.

e) Clauso conclavi, cardinales nullum nuntium audiunt, nullas litteras neque accipiunt, neque mittunt. Olim principes Galliæ, Austriæ et Hispaniæ vindicabant quoddam *jus exclusionis* contra unum cardinalem, i. e. delegati a supremis potestatibus harum nationum significabant cardinalibus in conclavi sedentibus unum cardinalem non esse personam gratam apud suam curiam. Hoc jus olim admissum ex tolerantia Ecclesiæ non amplius admittitur.

f) Non determinatur tempus intra quod debent electionem perficere; rei natura dictat ut quam celerrime Ecclesiam de Pastore suo provideant cardinales, quorum exclusivum jus est eligendi Pontificem.

196. **Pius IX ob invasionem dominii temporalis,** ad præcavendam interventionem hostilis potestatis in electione Summi Pontificis, plura innovavit circa disciplinam conclavis. Edidit tres bullas : *In hac sublimi*, 23 Aug. 1871, *Licet per Apostolicas*, 8 Sept. 1874, *Consultari*, 10 Oct. 1877, et aliquod *Regolamento*, 10 Jan. 1878 :

1° Jus eligendi Summum Pontificem pertinet exclusive ad collegium Cardinalium, cum exclusione cujuscumque potestatis sæcularis.

2° Cardinales dispensantur ab omnibus legis dispositionibus relate ad *tempus*, *locum*, *clausuram* et *alias cæremonias conclavis, in quantum possent electionem differre.*

3° Si Pontifex Romæ moriatur, Cardinales præsentes in Curia judicabunt, *ad majoritatem absolutam*, an electio debeat fieri extra Romam et extra Italiam. Semel ac præsens fuerit is numerus cardinalium qui æquivalet majoritati absolutæ membrorum Sacri Collegii, (v. g. si 31 cardinales adsint ex S. Collegio quod numerat 60 membra) poterit procedi immediate ad electionem Summi Pontificis.

4° Summus Pontifex expressit mentem ut, ratione peculiaris status Sanctæ Sedis, electio futuri pontificis habeatur extra Italiam. Si tamen cardinales statuant eam habendam esse in Italia, vel etiam Romæ, dissolvetur conclave ut convocetur extra Italiam ex quo gubernium Italiæ minabitur ejus independentiam.

5° Si Summus Pontifex extra Italiam moriatur, antiquior cardinalis præsens, vel, ejus defectu, nuntius apostolicus, vel episcopus, admonebit Cardinalem decanum ut determinetur locus conclavis. Fiet conclave quando is numerus cardinalium erit præsens qui æquivalet majoritati absolutæ membrorum Sacri Collegii.

6° Dubia circa interpretationem illarum constitutionum solvent cardinales, *ad majoritatem absolutam suffragiorum.*

7° Omnes dispositiones antiquiores circa electionem Summi Pontificis serventur, salvis illis quibus derogari debet ad celerem et liberam electionem Summi Pontificis.

In *Regolamento* 10 Januarii 1878, Pius IX indicat cardinalibus modum sese habendi erga novum gubernium italicum, Sede Apostolica vacante. *Mgr Tilloy, Droit Canonique, vol. I, num.* 2144 *et seq.*

197. **Habent vocem activam** soli cardinales, etiam nuper creati et publicati, licet insignia cardinalatus nondum acceperint. Non repelluntur cardinales excommunicati, suspensi aut interdicti, " ut eo magis vitentur dissensiones et schismata quo minor eligentibus aderit dissidendi facultas," *ex Clem. Ne Romani,* 2, *De Electione.* Cardinales nondum ad diaconatum ordinati de jure non deberent admitti, sed huic dispositioni regulariter derogatur.

Sede vacante tempore concilii generalis, electio Summi Pontificis pertinet exclusive ad cardinales, et concilium suspenditur usquedum perficiatur electio Summi Pontificis. *Const. Pii IX, Cum Romanis Pontificibus.*

198. **Quamvis valde sit congruum ut unus ex cardinalibus assumatur, tamen eligi potest aliquis non cardinalis,** imo etiam laicus, quod colligitur ex ipso cœremoniali Romanæ Ecclesiæ, ubi datur forma ordinandi eum qui ex laicis fuerit assumptus. Neque uxoratus excluditur, ut probat *Sanchez, de Matrimonio, lib. VII, disp.* 38.

Fœmina eligi nequit, quia " licet Beata Virgo Maria dignior et excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus claves regni cœlorum commisit "; cap. *Nova,* 10, *De Pœnitentiis et Remissionibus.* Quamvis nulla ætas requiratur pro papatu, tamen auctores docent congruum esse ut eligatur vir maturæ ætatis, id est, qui habeat 30 annos, cum sit ætas requisita pro episcopis.

199. **Electio triplici forma perficitur,** puta per *in-*

spirationem vel quasi-inspirationem, scrutinium et compromissum.

1⁰ Per *divinam inspirationem*, aut *quasi-inspirationem*, aliquis eligitur quando electores in unum, sine prævio tractatu, communi voce et nemine dissentiente, quasi Deo in singulorum ore clamante, suffragia conferunt.

2⁰ Aliquis censetur electus forma *scrutinii*, si in eum, presentibus omnibus qui debent et volunt interesse, consentit major et sanior pars. In electione Summi Pontificis non sufficit major pars, requiruntur duæ ex tribus partibus electorum.

3⁰ Electio fit per compromissum, quando legitimi electores, consensu unanimi et expresso, facultatem eligendi prælatum committunt viris idoneis. Compromissum fieri potest duobus modis, vel simpliciter et absolute, vel conditionate. Absolute compromittitur, quando potestas eligendi compromissariis ita committitur ut quemcumque idoneum, pro arbitrio suo, eligere possint; fit conditionate, quando compromittitur cum aliqua restrictione, v. g. ut eligatur unus de collegio cardinalium.

200. **Illud quod est particulare in electione Summi Pontificis est jus accessus.** Publicato scrutinio, si in unum duæ partes suffragiorum non conveniant, cardinales per schedulas secretas possunt uni ex nominibus accedere ut perficiatur numerus suffragiorum necessarius. Notandum est quod pro eadem persona cardinales non possunt suffragium emittere et accedere, quia bis votarent in una eademque electione pro eadem persona. Si, absoluto *accessu*, numerus non verificetur, schedulæ comburuntur et cardinales incipiunt novum scrutinium.

201. **Electione peracta, si electus consensum dederit, eo ipso, quin indigeat confirmatione, constituitur Vicarius Christi,** et jure divino primatum obtinet, nempe plenam et supremam potestatem jurisdictionis in uni-

versam Ecclesiam. Solent Pontifices mutare suum nomen ad significandam novam regenerationem, ad instar illorum qui profitentur vota religiosa. Electus statim induit signa Summi Pontificatus, recipit salutationes cardinalium ; tunc cardinalis primus ex ordine diaconorum peractam electionem populo denuntiat his verbis : " Annuntio vobis gaudium magnum : habemus Papam Eminentissimum N., qui sibi eligit nomen N. ut in posterum vocetur."

202. **Postea Papa ordinatur vel consecratur, nisi sit episcopus, et sequitur coronatio;** eo die, in conspectu Pontificis, ut sit semper memor conditionis humanæ, magister cœremoniarum stupam comburit, dicens : " Pater Sancte, sic transit gloria mundi."

CAPUT II

DE LEGIBUS PONTIFICIIS

Romanus Pontifex primatum exercet supra Ecclesiam quando leges condit; quædam leges introducuntur per solemnem promulgationem legislatoris, quædam per praxim fidelium, accedente Summi Pontificis consensu. Agendum erit de legibus et deinde de consuetudine.

ARTICULUS I.

De legibus.

203. **Lex definitur :** " Ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui curam societatis habet, promulgata, cum voluntate perpetuo obligandi." *Stus Thomas*, 1. 2., *q*. 90, *a*. 4.

Conditiones legis sunt : 1° Ut procedat a legitimo superiore,

quia superioris est eligere media opportuna ad finem societatis assequendum. 2° Lex debet esse rationalis, honesta et possibilis ; *rationalis*, id est, rectæ rationi consentanea ; *honesta*, quia est medium verum et ordinatum ad bonum assequendum ; *possibilis*, secus deficeret esse medium practicum. Possibilitas legis non est possibilitas *absoluta*, quæ accommodatur viribus humanis *in abstracto* consideratis, sed possibilitas *concreta*, qua lex aptatur hominibus prouti sunt de facto. Quare possibilitas legis opponitur nimiæ rigiditati, et lex est possibilis quæ non est nimis ardua et societati potest applicari. 3° Lex debet esse ad bonum commune, non privatorum, quia est regula communitatis. 4° Lex debet esse sufficienter promulgata ut a populo cognosci possit. Distinguitur promulgatio a notitia legis ; promulgatio respicit societatem, notitia respicit privatos. Hinc lex censetur sufficienter promulgata, licet plures privati legem ignorent. 5° Lex imponi debet cum animo perpetuo obligandi, quia est de natura legis ut sit perpetua, id est, obliget usquedum legitime abrogetur.

204. **Lex differt a præcepto** 1° ratione *jubentis*, quia legislator est persona publica, dum præcipiens potest esse homo privatus, potestate domestica pollens ; 2° ratione *subjecti*, quia lex communitati, præceptum privatis imponitur ; 3° ratione *finis*, etenim lex proxime et primario spectat ad bonum commune, præceptum vero ad bonum privatum ; 4° ratione *extensionis*, quatenus lex attingit immediate communitatem et adhæret territorio, dum præceptum attingit personas et eis adhæret sicut pellis ossibus ; 5° ratione *stabilitatis*, etenim lex semel promulgata obligat semper, dum præceptum cessat morte præcipientis, vel ejus amotione ab officio. *Marc, Inst. Morales, vol. I, n.* 110.

205. **Papa potest ferre leges pro toto orbe christiano,** nam de fide est Romanum Pontificem habere, ex jure divino, in Ecclesia jurisdictionem supremam, universalem et

immediatam. " Est enim totius Ecclesiæ caput, omnium Christianorum Pater et Doctor, et ipsi, in B. Petro, pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. J. C. plena potestas tradita est." *Concilium Vaticanum, sess. IV, cap.* 3.

1º Hæc potestas Summi Pontificis est suprema et independens a societate civili; hinc merito Pius IX, in Syllabo, damnavit sequentem propositionem : " Ecclesia non est vera, perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus, sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quænam sint Ecclesiæ jura et limites intra quos eadem jura exercere queat."

2º Hæc potestas legislativa exercetur *ordinarie* a Romano Pontifice, qui in materia spirituali edit constitutiones quæ omnes obligant fideles, *extraordinarie* a concilio generali sub Romano Pontifice. *Santi, Prælectiones, lib. I, tit. II, n.* 6, 7.

206. **Leges quibus Summus Pontifex explicat suam potestatem aliæ sunt dogmaticæ, aliæ disciplinares,** prout respiciunt fidem aut mores, vel determinant modum agendi in ordine ad veritates revelatas. Leges dogmaticæ sunt immutabiles, sicut ipsa veritas revelata; leges disciplinares mutationibus subjacent, exceptis legibus quæ sese referunt ad disciplinam essentialem Ecclesiæ : tales sunt canones circa ritus essentiales sacramentorum et circa formam ecclesiastici regiminis.

207. **Objectum legum disciplinarium** sunt actiones fidelium quæ præcipi, prohiberi, puniri vel permitti possunt : unde leges possunt esse *affirmativæ, negativæ, pœnales* et *permissivæ*. Leges negativæ habent aliquando clausulam irritantem, et vocantur *irritantes.*

1º Leges Ecclesiæ respiciunt actiones futuras fidelium et " futuris negotiis formam imponunt," juxta *caput* 2, *tit. II, lib. I Decretalium.* Lex non habet vim retroactivam; excipiuntur leges declarativæ et irritantes. Ratio hujus disposi-

tionis est, quia in lege declarativa non constituitur novum jus, sed id quod erat constitutum manifestatur; in lege irritante constituitur aliqua inhabilitas quæ arcet a juribus acquirendis.

2º Lex irritans dupliciter referri potest ad præterita: *a)* destruendo effectus legis pœnalis et declarando validos actus qui nulli fuissent ex vi legis pœnalis, quemadmodum fecit Clemens V, absolvens excommunicatos a Bonifacio VIII, validasque agnoscens collationes beneficiorum factas excommunicatis; *b)* irritando aliquos actus quoad suos effectus, ita ut quoad aliquod jus sint nullius valoris. *Santi, loco citato.*

208. **Acriter disputatur an actus interni possint esse objectum legis ecclesiasticæ.** 1º In capite 9, de celebratione missarum, Innocentius III præcipit ut officium nocturnum pariter et diurnum, quantum Deus dederit, *studiose* celebretur pariter et *devote.* Cum devotio et mentis elevatio sint actus interni, videtur Ecclesia præcepisse actus internos. Attamen idem Innocentius III, in capite 34, de simonia, ait: " Nobis datum est de manifestis tantum judicare ": cui adhæret Conc. Trid., sess. XXIV, cap. 1, De Ref., ubi ait: " Ecclesia de occultis non judicat." Atqui potestas legislativa et potestas judicialis æquo gradu procedunt, consequenter si Ecclesia de internis non judicat, de eisdem neque leges ferre potest.

2º Ut hæc inter se componi possint, sciendum est quod actus internus potest considerari in se, vel quatenus comitatur actum externum. Potest actus internus cum externo conjungi, vel tanquam forma constituens actum ipsum externum in suo esse morali, ut e. g. consensus in matrimonio, vel tanquam causa effectum suum producens, ut, e. g. voluntas occidendi in homicidio voluntario, vel tanquam conditio necessaria, ut e. g. contritio in confessione.

a) Si sermo sit de illis internis actibus qui cum externis

necessario conjunguntur, certum est legislatorem humanum præcipere et prohibere posse indirecte actus internos, quatenus nempe per se conjuncti sunt cum actibus ipsis externis, vel tanquam forma, vel tanquam causa, vel tanquam conditio necessaria. Si enim legislator humanus cogere potest ad actum externum validum, v. g. ad validum contractum, validam confessionem, obligare etiam poterit ad ea quæ cum validitate illa necessario conjuncta sunt, et, quibus omissis, actio externa frustra præciperetur.

b) Si sermo sit de actibus mere internis, disputatur an possint esse objectum legis ecclesiasticæ. Nobis magis placet opinio negativa, quia potestas legifera sese extendit quousque extenditur potestas judiciaria: " de his enim potest homo legem facere de quibus potest judicare." *S. Thomas*, 1. 2, *q.* 91, *a.* 4. Atqui de simplici mentis cogitatione et affectibus cordis, homo judicare non potest, et notum est axioma: " Ecclesia de internis non judicat." Ergo neque leges circa eosdem actus internos ferre potest.

Habet utique Ecclesia forum pœnitentiale, in quo judicat de internis animi cogitationibus, sed hæc judicia respiciunt directe et proprie privatos, non vero christianam societatem; et hoc tribunal non est proprie dictum tribunal Ecclesiæ, sed tribunal et forum conscientiæ *coram Deo.* Quare nil mirum si in eodem tribunali judicium feratur etiam de internis. Tribunal autem proprium Ecclesiæ, cui respondet potestas legislativa, illud est quod respicit regimen totius societatis, ideoque objectum externum et visibile habet. *Santi, Præl. Jur. Can., lib. II, tit. II, n.* 15.

3° Ex hoc non est concludendum legem non attingere actus externos occultos. Quod actus maneat occultus, hoc fit per accidens, jamvero accidens naturam actus non mutat: sic hæresis externa, etiam occulta, sub excommunicatione prohibetur.

209. **Constitutiones pontificiæ vim obligandi habent quando intimantur societati per promulgationem,** juxta illud axioma juris : " Leges instituuntur quando promulgantur." Modus legem promulgandi est in legislatoris potestate ; revera Ecclesia, in legibus suis publicandis, varios modos adhibuit pro temporum opportunitate. Veteri ætate, leges pontificiæ vulgabantur in singulis provinciis per nuntios a pontificibus delegatos ; serius illæ leges primatibus aut metropolitanis communicabantur, quorum erat eas ceteris episcopis divulgare. Progressu temporis, cautum fuit ut nonnullæ leges, quæ ad honestatem clericorum spectabant, in concilio provinciali aut nationali promulgarentur, ne laici sumerent occasionem accusandi clericos. Sæculo XIII, sub Martino IV, invecta fuit ratio promulgandi leges universales per earum affixionem ad valvas basilicarum sanctorum Apostolorum Petri et Pauli. Hac occasione, quærunt auctores an leges Romæ promulgatæ statim obligent in tota Ecclesia.

1º *Leges dogmaticæ,* sine ulla alia promulgatione quam quæ Romæ facta fuit, ac sine ullo temporis lapsu omnes qui eas cognoverunt statim obligant.

2º *Quoad leges disciplinares,* certum est *a)* necessariam esse promulgationem in singulis provinciis, si hæc in ipso decreto requiratur, ut in Tridentino, circa nullitatem matrimonii clandestini ; *b)* necessariam non esse promulgationem in singulis provinciis, quando leges promulgantur cum illis clausulis : " Sic publicatas omnes et singulos quos illæ concernunt, perinde arctare et afficere ac si unicuique eorum personaliter intimatæ fuissent ; " *c)* deficientibus illis clausulis, videtur promulgationem Romæ factam sufficere unde lex obliget in tota Ecclesia. *Prælect. Juris Sti Sulpicii, vol. 1, n.* 86.

Ratio est, quia Sancta Sedes, generatim loquendo, curat tantum ut novæ leges et nova decreta publicentur Romæ in foliis ecclesiasticis, unde notitia perveniat ad singulas pro-

vincias; jamvero modus promulgationis est in potestate legislatoris. Præterea si necessaria esset promulgatio legis in singulis provinciis, potestas pontificis posset frustrari, sive ab episcopis provinciarum, sive a principibus legem ecclesiasticam promulgari nolentibus.

210. **Quamvis sola promulgatio Romæ facta sufficiat per se** ad legem in suo esse formali constituendam, putamus legem esse executoriam, nisi elapso sufficienti intervallo temporis, unde subditis innotescat. Ne arbitrario protrahatur tempus, juxta *S. Alphonsum, lib. I, n.* 96, assignatur bimestre, ad normam Juris Romani, tum quia tale temporis spatium etiam nunc requiri videtur ut legis notitia moraliter ad omnes etiam dissitas regiones, modo certo, pervenire possit, tum maxime quia infra illud spatium nullum aliud ab auctoribus absolute determinatur. *Marc, Inst. Morales, vol. I, n.* 160.

211. **Lex imponit aliquam obligationem faciendi vel omittendi,** secundum quod est affirmativa vel negativa, et in hoc differt a consilio. Hæc virtus legis qua subditi tenentur implere objectum legis vocatur *vis directiva* legis; differt a *vi legis coactiva*, quæ est virtus quam habent pœnæ ad coercendos subditos in legis observantia.

1° Si quæratur utrum in omnibus legibus humanis adesse debeat, præter directivam, coactiva etiam vis, dici posset, saltem in abstracto, sufficere vim directivam: quo in casu, homines agerent intuitu naturalis sanctionis. Verum in praxi certum est nullam dari legem humanam, quæ saltem implicite vim coactivam pœnalem non habeat.

2° Etiam quæritur an sint leges quæ habeant solam vim coactivam pœnarum, absque vi directiva. In societate civili, auctores admittunt quasdam esse leges *mere pœnales*, sed contrarium tenendum est relate ad leges ecclesiasticas; ratio est ipse finis spiritualis Ecclesiæ, ad quem obtinendum non

potest concipi lex in conscientia non obligans. *Sebastianelli, De Clericis, n.* 55.

212. **Constitutiones pontificiæ semel promulgatæ obligant omnes et singulos fideles.** Ad hanc obligationem inducendam non requiritur assensus auctoritatis civilis; hunc errorem damnavit Pius IX, 20 Sept. 1851, damnans sequentem propositionem : " Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu." In Syllabo, damnavit istam propositionem : " Episcopis, sine gubernii venia, fas non est ipsas apostolicas litteras promulgare."

Quando lex disciplinaris alicui diœcesi videtur non esse opportuna, episcopus posset certiorem facere Summum Pontificem et suspendere legis effectum usquedum habeat Pontificis responsum. *Bened. XIV, De Synodo, lib.* 9, *c.* 8.

213. **Legibus obligantur subditi qui ratione gaudent et in territorio commorantur.** Prima conditio est quod homo sit subditus legislatoris ; obligatio enim legis oritur ex relatione inter jurisdictionem ex una parte et dependentiam ex altera. Jurisdictio est potestas principis dirigendi cives et eorum bonum curandi. Hinc de legis natura est ut ab eo feratur qui communitatis curam habet. Quare lex non urget eos quorum legislator curam non habet.

Ex hoc sequitur : 1° Infideles et cathecumenos nulla lege ecclesiastica teneri, quia sunt extra Ecclesiam. De eis ait *S. Paulus, I ad Cor., c. V, v.* 12 : " Quid mihi de iis qui foris sunt judicare." Diximus *lege ecclesiastica,* etenim leges dogmaticæ omnes obligant, etiam qui sunt extra Ecclesiam, quia " qui non crediderit condemnabitur ;" *Marc, cap. XX, v.* 16.

2° Hæreticos, schismaticos, apostatas et excommunicatos ad omnes leges Ecclesiæ teneri, quia perdurat in eis fundamentum subjectionis, quod est character baptismalis. Ex quadam tamen Ecclesiæ benignitate, distinguere est inter hæreticos et schismaticos qui, post acceptam catholicam

educationem, formaliter recedunt ab Ecclesia, et illos qui in hæresi aut schismate fuerunt nati et educati. Primi, quemadmodum excommunicati, tenentur ad omnes leges, sicuti fideles, ne commodum reportent ex sua malitia; quoad hæreticos et schismaticos materiales, eximuntur ab illis legibus quæ directe tendunt ad fidelium sanctificationem, sed adstringuntur illis legibus quæ ordinantur ad "honestam conversationem in societate christianorum," v. g. ad leges irritantes matrimonium. *Gasparri, De Matrimonio, vol. I, n.* 299, 300.

3° Legislatorem non ligari directe suis legibus, cum non sit sui ipsius subditus.

Unde legislator qui habet plenitudinem legislativæ potestatis non tenetur suis legibus, quoad *vim coactivam*, sed tenetur ex quadam æquitate naturali quæ exigit ut legislator sit exemplum subditorum: "Totius familiæ Domini status et ordo nutabit, si quod requiritur in corpore non inveniatur in capite." *Conc. Trid., sess. XXIV, cap.* 1, *De Ref.*

Attamen quando auctoritas residet in aliquo collegio, omnes de collegio tenentur legibus communi consilio latis; ratio est, quia legislator in eo casu est *persona moralis*, non *persona singularis*. Hinc episcopi ligantur legibus latis in concilio provinciali, sicut deputati et senatores legibus initis in parlamento.

214. **Quæritur utrum clerici legibus civilibus obligentur.**

1° Clerici non obligantur illis legibus quæ a laicis personis latæ sunt *specifice pro clericis et rebus ecclesiasticis*, etiamsi commodum ecclesiarum et clericorum importent. Nam clerici et ecclesiæ, qua tales, non subsunt jurisdictioni principum. *Cap.* 10, *De Constitutionibus.*

Excipe: nisi leges ab Ecclesia fuerint approbatæ; quia in hoc casu, ex ipsius Ecclesiæ auctoritate, vim et robur obtinent.

2° Clerici et ecclesiæ non obligantur illis legibus civilibus quæ sacris canonibus et immunitati ecclesiasticæ adversantur. Ratio est, quia hujusmodi leges sunt irrationabiles, ideoque nullius valoris.

Hoc vero intelligendum est : nisi accedat consensus Summi Pontificis, qui ob graves causas potest privilegiis clericorum derogare.

3° Leges civiles generales, quarum materia est clericis cum sæcularibus communis, et quæ juribus Ecclesiæ non adversantur, v. g. leges quæ formam contractus respiciunt, clerici in conscientia observare tenentur, vel quia implicite ab Ecclesia approbantur, vel quia cives sunt, et sub hoc respectu, clerici subsunt jurisdictioni principis sæcularis. *De Angelis, De Constitutionibus, n.* 13.

4° Quamvis clerici iis legibus teneantur quoad earum *vim directivam*, non tamen iis obligantur quoad *vim coactivam ;* quia causæ omnes clericorum, sive civiles, sive criminales, ad forum ecclesiasticum exclusive pertinent. *Bargilliat, Prælectiones Jur. Can., vol. I, n.* 66.

215. **Secunda conditio est ut subditus usum rationis sit adeptus;** ratio est, quia lex est regula dirigens actiones humanas juxta voluntatem legislatoris. Atqui omnis qui usum rationis est adeptus, isque solus, legem cognoscere et ab ea dirigi potest.

Unde 1° Infantes et alii usu rationis habitualiter carentes non tenentur legibus positivis, quia humano modo dirigi nequeunt.

2° Pueri usum rationis adepti tenentur iis legibus quarum materia eorum ætati est conveniens, v. g. tenentur ad annuam confessionem, ad abstinentiam, etc. Dicitur : *quarum materia ipsis est conveniens*, quia pueri ante pubertatem non incurrunt pœnas ecclesiasticas, nisi aliud in jure sit expressum ; pueri ante ætatem 21 annorum non obligantur ad jejunium.

3° Ebrii et ad tempus delirantes legibus positivis manent subjecti, quia dirigi possunt habitualiter.

216. **Tertia conditio est ut subditus sit in territorio præcipientis.** Leges enim non adhærent personis, sed vim habent in determinato territorio, extra quod, cum non detur jurisdictio, nec datur virtus legis.

217. **Relate ad hanc tertiam conditionem, quæstio proponitur de peregrinis et de vagis.** Peregrinus est ille qui habens suum domicilium, extra illud versatur; vagus est qui nullam fixam habet sedem et domicilium. De utroque dicendum est:

1° Peregrinus et vagus tenentur ad leges generales quæ ubique vigent, etsi ab illis legibus in suo domicilio per privilegium eximantur.

2° Non tenentur ad leges locorum per quæ transeunt, nisi ratione scandali aut publicæ tranquillitatis. Quare peregrini et vagi in loco in quo actu degunt, tenentur observare leges locales quæ latæ sunt ad tutandam securitatem et ordinem in loco. Ratio autem desumitur ex eo quod superior loci per brevem moram peregrini aut vagi non acquirit ordinariam jurisdictionem in eos.

3° Peregrini non tenentur legibus particularibus locorum a quibus discesserunt, quia leges adhærent territorio in quo fuerunt latæ. *Marc, Inst. Morales, vol. I, n.* 206.

218. **Interpretatio, stricte sumpta, est clarior expositio verborum quæ obscura sunt aut ambigua.**

1° Interpretatio, ratione objecti, est *declaratoria*, seu *comprehensiva*, quæ obscura legis verba declarat, *extensiva*, quæ legem ad similes casus extendit, *restrictiva*, quæ legem ad aliquos casus designatos coarctat; ratione causæ, est *authentica, usualis* et *doctrinalis*.

2° Interpretatio *authentica* est illa quæ fit a legislatore, vel ab ejus successore, vel ab aliquo habente commissam a principe potestatem.

3⁰ Interpretatio *usualis* dicitur quæ usu et consuetudine recepta est. Hujusmodi interpretatio æquivalet authenticæ, si omnes adsint conditiones quæ ad legitimam consuetudinem constituendam requiruntur; æquivalet interpretationi doctrinali, si consuetudo nondum sit præscripta, vel tacito legislatoris consensu firmata. *Stus Alph., lib. I, n.* 107.

4⁰ Interpretatio *doctrinalis* est simplex declaratio mentis legislatoris quæ a quocumque doctore fieri potest. Hæc, per se, vim legis non obtinet, cum non fiat ab eo qui jurisdictionem habet; si tamen universi fere doctores in legis interpretatione consentiant, moralis inde certitudo enascitur interpretationem doctrinalem mentem legislatoris referre.

219. **Interpretatio doctrinalis fit juxta sequentes regulas:**

1ª "Verba legis sumenda sunt secundum propriam significationem, nisi aliud suadeat subjecta materia." Legislator uti debuit verbis claris, ne sua lex haberet quid ambiguum unde judices et privatos in errorem induceret. Unde verba clara non indigent interpretatione; verba generalia et absoluta intelligenda sunt sine ulla distinctione, juxta axioma: "Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus."

2ª "Interpretatio menti potius quam verbis legis convenire debet." Mens legislatoris est investiganda, et verba legis debent accommodari ad hoc ut exprimant hanc mentem. In dubio de mente legislatoris, attendendum est ad circumstantias antecedentes vel consequentes legem et ad materiam legis.

3ª "In obscuris minimum est sequendum et potius habetur ratio æquitatis quam juris stricti."

Quando sensus legis ita est obscurus, vel applicatio legis ad casum ita dubia, ut certa mens legislatoris ex circumstantiis non appareat, quod minimum, id est, quod minus gravat et obligat, debet imponi. Ratio est, quia superior merito censetur, quantum sinit bonum commune, magis inclinare in lenitatem quam in severitatem.

4ª " Ubi eadem est ratio, eadem est juris dispositio."

Ratio legis est anima legis, unde ubicumque locum habet ratio legis, etiam lex ipsa locum habere debet.

Extensio legis facienda est *a)* in *correlativis*, ut sunt maritus et uxor: quod de uno sancitum est, consetur etiam de alio, si pro utroque eadem ratio procedat; *b)* in *æquiparatis*, ut ova et lacticinia in lege jejunii; *c)* in *connexis*, ut sunt diaconus et subdiaconus; *d)* in *contentis*, si quis potest testari potest etiam facere legata.

Aliæ regulæ reperiuntur in operibus moralibus, in capite *De legis interpretatione;* auctor Præl. Juris Can. Sti Sulpicii, vol. I, n. 38 et seq., plures regulas juris explicavit.

220. **Ultima quæstio circa legem fit de ejus cessatione.**

1° Obligatio legis cessat, *cessante ratione, seu fine legis in communi*, quia præsumitur legislatorem non amplius velle tueri illam legem quam ad bonum commune instituit et quæ inutilis vel etiam noxia communitati evasit. Dicitur *in communi*, quia oportet ut finis *totalis* legis cesset pro *tota communitate;* hinc si preces præcipiantur pro pace obtinenda et peste fuganda, non cessant si, pace obtenta, epidemia grassari pergit; item sponsi non eximuntur a bannorum proclamatione, quamvis judicent se nullo impedimento ligari.

2° Cessat lex *abrogatione vel derogatione.* Abrogatur lex quando omnino tollitur, quod fieri potest sive per expressam superioris revocationem, sive per legem posteriorem quæ anteriori legi repugnat. Derogatur legi quando ea partialiter imminuitur vel mutatur, quod fit duplici modo: *a)* si aliquis articulus a lege auferatur, *b)* si aliquis casus particularis excipiatur.

Lex generalis posterior revocat legem generalem anteriorem directe contrariam, licet nullam mentionem de ea faciat, quia, ait *Bonifacius VIII*: " Romanus Pontifex in scrinio

sui pectoris censetur omnia jura habere." Lex generalis non revocat leges particulares, nisi habeat clausulam revocatoriam, quia Supremus Legislator non præsumitur omnia jura cognoscere; sufficit clausula: "Non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus."

Leges revocare possunt: *a) ipse legislator*, juxta regulam juris: "Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur." Attamen potestas inferior non potest revocare leges a se latas, si fuerint a Summo Pontifice approbatæ *in forma specifica*, quia hujusmodi approbatione evadunt leges pontificiæ; *b) successor*, qui parem cum antecessore potestatem habet; *c) superior*, qui universaliorem jurisdictionem habet. Unde Romanus Pontifex et concilium generale quascumque leges ecclesiasticas abrogare possunt.

3° Cessat lex *dispensatione*. Dispensatio est relaxatio legis, facta ad tempus a legitima auctoritate, in aliquo casu quo ceteroquin lex obligaret.

Dicitur *a) legis relaxatio*, qua ratione differt ab *epikeia*, qua declaratur aliquem casum nunquam in lege fuisse comprehensum.

Dicitur *b) legitima auctoritate facta*, quia dispensatio differt ab *excusatione*, qua lex cessat ob impedimentum extrinsecum, et a *cessatione legis*, qua lex cessat intrinsece.

Summus Pontifex potest dispensare in omnibus legibus ecclesiasticis; nequit tamen proprie dispensare in jure divino, sed potest tantum illud interpretari et declarare quod jus divinum, ob certas circumstantias, obligare cessat.

Inferior poterit dispensare in legibus superioris, modo habeat potestatem delegatam; non debet dispensare in legibus sui superioris, nisi ob causam justam et proportionatam. Dispensatio in lege superioris invalida est, si fiat absque justa causa, quia inferior non potest dispensare in lege superioris, nisi quatenus ipsi concessa est facultas dispensandi;

atqui superior non censetur hanc facultatem concedere nisi in casu justæ causæ. *Marc, Inst. Morales, vol. I, n.* 256 *et seq.*

Dicitur *c) ad tempus in aliquo casu*, qua ratione dispensatio differt tum a *privilegio*, quod est perpetuum et potest esse secundum legem, tum a *derogatione* et *abrogatione legis*, quibus lex partialiter vel totaliter tollitur pro tota communitate.

ARTICULUS II.

De consuetudine.

221. **Consuetudo, prout differt a lege scripta, definitur :** " Jus diuturnis populi moribus introductum et aliquo legislatoris consensu firmatum." *Konings, Theol. Mor.,n.* 183.

222. **Consuetudo sic dividitur :**

1⁰ Alia est *secundum jus*, quæ aut legem dubiam interpretatur, aut confirmat et adjuvat deducendo in opus ; alia *præter jus*, quæ aliquid statuit ubi deficit lex ; alia *contra jus*, quæ legem abrogat.

Dividitur 2⁰ in *generalem*, quæ vim habet in toto christiano orbe ; in *particularem*, quæ viget in aliqua regione vel provincia.

Dividitur 3⁰ in *judicialem*, quæ inducitur pluribus sententiis conformibus super eodem causarum genere ; in *extrajudicialem*, quæ longo populi usu extra judicium inducitur.

Dividitur 4⁰ in *bonam*, seu *rationabilem* et *malam*, seu *irrationabilem*. Consuetudo dicitur *intrinsece mala*, quando est contra legem naturalem aut divinam ; est *extrinsece mala*, quando ipsius actus prohibentur per legem, vel mali sunt propter adjunctam circumstantiam pravam quæ cessare potest.

Consuetudo mala *intrinsece* dicitur *abusus*, seu *corruptela*, et nunquam in jus transire potest; mala *extrinsece* posset evadere bona per ablationem sive prohibitionis, sive pravæ circumstantiæ adjunctæ.

Dividitur 5⁰ in consuetudinem *a jure non repulsam* et consuetudinem *a jure abrogatam*, *prohibitam* et *reprobatam*, quæ tria non sunt confundenda. Quando lex *abrogat*, hoc intelligitur de consuetudine antea existente quæ abrogatur sed non ideo declaratur mala et irrationabilis; quando lex *prohibet*, illud intelligitur etiam de consuetudine quæ in futurum introduceretur, quæ tamen non ideo declaratur mala vel irrationabilis; quando lex *reprobat*, eo ipso declaratur mala et irrationabilis. Abrogans censetur clausula: *non obstante quacumque consuetudine*; prohibens censetur clausula: *nolumus contra hanc legem aliquam consuetudinem valere*; si huic ultimæ clausulæ addantur verba: *cum non tam consuetudo quam corruptela merito sit censenda*, habetur clausula reprobans.

Dividitur 6⁰ in *legitime præscriptam* et non *præscriptam*.

223. **Ut consuetudo vim legis habeat,** quædam requiruntur ex parte communitatis, quædam ex parte consuetudinis, quædam ex parte principis.

1⁰ *Ex parte communitatis.* Consuetudo induci debet a communitate legis capaci, aut saltem a majore ipsius parte, per actus publicos, frequentes, liberos et cum intentione jus constituendi positos.

Dicitur *a) a communitate*, non qualicumque, sed legis capaci, i. e. quæ sit capax potestatis legislativæ pro seipsa, vel saltem sufficiens ut ipsi vera lex imponi possit.

Dicitur *b) aut saltem a majori ipsius parte*, quia obligatio inducitur a communitate, consentiente principe; sed a communitate revera non induceretur, si minor tantum pars consuetudinem servaret.

Dicitur *c) per actus publicos*, ut omnes de populo, vel major pars in præstando consensu possit convenire, et talis consuetudo possit esse nota principi.

Dicitur *d) per actus frequentes;* non sufficiunt duo vel tres actus, sed requiritur ut actus sint repetiti per plures vices, juxta prudentum arbitrium, ut ex illis rationabiliter colligi possit consensus communitatis.

Dicitur *e)* per actus *liberos*, i. e. non ex vi, metu aut errore exercitos, quia populus non præsumitur velle jus stabilire per actus quos ipse sive repugnans, sive ex mero errore ponit; neque ipse superior in istiusmodi adjunctis consentire censetur.

Dicitur *f) per actus cum intentione jus constituendi positos,* id est, cum intentione legem sibi imponendi, si consuetudo sit *præter jus*, vel a lege sese eximendi, si sit *contra jus.* Hinc non inducitur consuetudo *præter legem*, si populus, aut major pars ejus, agat ex devotione, gratitudine aut simili motivo, v. g. recitando salutationem angelicam ad signum campanæ.

2° *Ex parte consuetudinis.* Consuetudo debet esse bona et rationabilis, quia, sicut lex, debet esse ordinatio rationis; jamvero bona et rationabilis habenda est consuetudo, si ejus objectum tale sit ut justæ legis materia esse potuisset. Hinc non debet adversari juri naturali aut divino, nec jure canonico reprobari, nec præbere licentiam vel occasionem peccandi, nec communitatis utilitati obesse, nec disrumpere nervum ecclesiasticæ disciplinæ.

Hinc non valeret consuetudo non servandi interdicta vel excommunicationes, vel non se subjiciendi visitationi episcopi, quia sic rumperetur nervus ecclesiasticæ disciplinæ.

3° *Ex parte legislatoris.* Ad consuetudinem stabiliendam, requiritur legislatoris consensus, quia potestas condendi aut abrogandi leges non populo sed legislatori competit.

Tripliciter consentire potest legislator: *expresse, tacite, legaliter.*

a) Consensus *expressus* satis intelligitur et de eo nulla difficultas moveri potest.

b) Tacitus consensus locum habet quando Pontifex, videndo consuetudinem, ei non contradicit, quamvis commode reclamare posset. Merito enim præsumitur consentire, si rationabilis sit consuetudo et cognoscatur ab ipso. Si dubitetur utrum consuetudo sit rationabilis, legitime concludi potest illam esse rationabilem, ex eo quod taceat Pontifex, dum posset reclamare. Si Pontifex destituatur commoditate reclamandi ob timorem majoris mali, v. g. schismatis, rebellionis, non præsumitur consensus Pontificis: " nam multa patitur Ecclesia quæ non approbat."

c) Consensus *legalis* seu *præsumptus* habetur, quando legislator, etsi forsan ignoret consuetudinem, illi consentit per voluntatem generalem in jure expressam approbandi quamcumque consuetudinem rationabilem, statim ac fuerit legitime præscripta. Quo in casu, consuetudo vim obtinet per viam præscriptionis.

224. **Ad inducendam consuetudinem per viam præscriptionis, requiritur aliquod temporis spatium.** Si agatur de consuetudine *præter jus,* sufficit decennium; si agatur de consuetudine *contra jus,* tres sunt sententiæ.

Juxta primam sententiam, sufficit decennium, quia hoc tempus sufficit contra legem civilem, et non est specialis dispositio juris in contrarium pro lege canonica. Revera 40 anni requiruntur ad præscribenda bona ecclesiastica, sed lex non est bonum. Secunda sententia requirit 40 annos ad præscribendum contra legem receptam, 10 annos contra legem nondum receptam. Tertia sententia semper requirit 40 annos.

225. **Non requiritur bona fides sicut in præscriptione bonorum.** Stus Alphonsus, lib. I, n. 107, triplicem

statum distinguit in consuetudine: "In initio, introducentes consuetudinem contra legem omnes peccant; in progressu, non peccant illa jam a majoribus introducta utentes, sed possunt puniri; in fine autem nec peccant, nec puniri possunt illa jam præscripta utentes."

226. **Consuetudo potest prohiberi in futurum, aut abrogari per legem supervenientem, aut consuetudinem contrariam.**

1° Consuetudo prohibetur in futurum per clausulam in lege expressam; sed distinguendum est inter clausulam *prohibentem* et *reprobantem*. Probabiliter consuetudo potest prævalere contra legem prohibentem quamcumque consuetudinem futuram; ratio est, quia ad legitimam consuetudinem requiritur tantum ut sit rationabilis et legitime præscripta. Atqui ex hoc quod per legem antecedentem fuerit prohibita, non ideo semper irrationabilis est reputanda, quia circumstantiæ mutari possunt. Sic, v. g. fere ubique mos invaluit conferendi beneficia parochialia absque concursu, vel eo non peracto ad formam a Concilio Tridentino prescriptam, qui tamen modus nunc non reputatur invalidus; *De Angelis, Prœl. Jur. Can., lib. I, tit. IV, n.* 12.

Quid vero, si reprobetur omnis consuetudo futura ut irrationabilis? respondet Stus Alphonsus: "Si reprobetur tanquam contraria legi naturali et divinæ, nulla tunc consuetudo valere potest; si vero reprobetur ut irrationabilis pro tempore quo fit lex, tunc, ex nova causa, rationabilis reddi potest et valere." *Marc, Theol. Mor., vol.* I, *n.* 266; *Craisson, Manuale Jur, Can., n.* 143.

2° Consuetudo vigens potest abrogari per legem supervenientem, sed hic distinguendum est:

a) Si consuetudo est universalis, ipso facto per legem contrariam subsequentem abrogatur, quin necessaria sit clausula derogatoria; secus enim nova lex fieret inutilis.

b) Si vero particularis est, seu localis, minime per legem

generalem abrogatur, nisi consuetudinis fiat mentio, vel nisi addatur clausula : *non obstante qualibet consuetudine ;* quia legislator consuetudinem ignorare censendus est. Hinc est cur episcopi per leges quas condunt, omnes et singulas particulares consuetudines abrogent, eo quod notitiam habeant omnium consuetudinum quæ in suis diœcesibus vigent.

c) Si consuetudo est immemorialis, vel saltem si numerat 100 annos, regulariter non abrogatur nisi per specialem mentionem ; talis enim consuetudo est privilegiata, quatenus pro ipsa præsumitur titulus quo melior allegari non potest de toto mundo.

Diximus *regulariter ;* nam ipsa immemorialis consuetudo abrogatur in quibusdam casibus, nempe 1° si nova lex contrarias consuetudines declaret irrationabiles ; 2° si ratio legis militet æque contra consuetudines immemoriales ac contra alias ; 3° si legislator omnia contraria abroget uno casu excepto : exceptio unius est exclusio omnium ceterorum.

3° Consuetudo potest etiam tolli per aliam consuetudinem contrariam. Nova consuetudo debet esse directe contraria præcedenti, nempe universalis tollit universalem, particularis particularem. *Marc, Inst. Morales, loco citato.*

CAPUT III

DE RESCRIPTIS

227. **Romanus Pontifex jus dicit toti Ecclesiæ vel singulis.** Ejus constitutiones, attenta earum materia, vocantur *decreta, decretales epistolæ, litteræ encyclicæ, rescripta ;* attenta earum forma, dicuntur vel *bullæ* vel *brevia. Cf. art. II, Introd., num.* 12.

1⁰ Litteræ apostolicæ, modo de earum authenticitate constet, eamdem habent auctoritatem, quacumque forma et quocumque fonte emanent; nam *per acta Sanctæ Sedis* designantur non solum ea quæ immediate proveniunt a Summo Pontifice sed etiam acta Congregationum Romanarum. *S. Congregatio Sancti Officii*, 16 *Jan.* 1892.

2⁰ Constitutio *Apostolicæ Sedis*, tit. I, numeris 8 et 9, plectit excommunicationem contra falsificantes litteras apostolicas, et contra recurrentes ad laicam potestatem ad earum effectum frustrandum. De rescriptis tantum agendum erit in præsenti capite.

228. **Rescriptum definitur:** "Responsum Principis scripto datum ad alterius instantiam." *Santi, lib. I, tit. III.*

Dicitur 1⁰ *scripto datum*, quia differt rescriptum ab *oraculo vivæ vocis* quod ore profertur.

Dicitur 2⁰ *Principis.* In Ecclesia Christi, Princeps est Romanus Pontifex, qui successit Divo Petro.

Dicitur 3⁰ *ad alterius instantiam*, quibus verbis non prohibetur quominus rescripto adjiciatur clausula *ex motu proprio.* Per hanc clausulam Pontifex significat se, non ob præviam petitionem, sed propter liberalitatem gratiam indulsisse.

229. **Rescriptum dividitur in rescriptum gratiæ et in rescriptum justitiæ.** Rescriptum gratiæ est illud quo, ex liberalitate principis, conceditur aliquis favor aut præter, aut contra jus; v. g. tales sunt dispensationes et privilegia. Rescriptum justitiæ refertur ad administrationem justitiæ.

Rescriptum gratiæ dari potest vel *in forma commissoria*, vel *in forma gratiosa*, vel *in forma mixta.*

1⁰ Rescriptum est *in forma commissoria*, quando Summus Pontifex per se non concedit gratiam, sed executori facultates necessarias delegat ut gratiam conferat, si id expedire in Domino judicaverit. In illis rescriptis executor dicitur *voluntarius*, quia ipsius est judicare de opportunitate gratiæ conferendæ vel denegandæ.

2° Rescriptum est *in forma gratiosa*, quando gratia a Summo Pontifice confertur, ita ut executor, si quo indigeat, sit *necessarius*, id est, non possit gratiam non exequi.

3° Rescriptum conceditur *in forma mixta*, quando Pontifex annuit precibus oratoris et mandat Ordinario ut gratiam concedat, verificatis precibus, et sub certis conditionibus. Dispensationes matrimoniales semper conceduntur per rescripta *in forma mixta*. *Gasparri, De Matrimonio, vol. I, n.* 363.

230. **Rescriptum, sicut libellus supplex oratoris, triplici parte constat.** In supplici libello, habetur *pars narrativa*, quæ exhibet facti expositionem cum suis adjunctis; *pars postulativa*, quæ substantiam instantiæ exprimit; *pars impulsiva*, evolvens rationes quæ movere possunt principem ad gratiam erogandam. Rescriptum pariter constat *parte narrativa*, quæ breviter facti speciem resumit; *parte dispositiva*, quæ voluntatem rescribentis principis declarat; *parte doctrinali*, in qua Pontifex exponit rationes suæ decisionis, conditiones et clausulas. *Bargilliat, Prœl. Jur. Can., vol. I, n.* 413.

231. **Ut valeat rescriptum, oportet ut nullum sit vitium obreptionis aut subreptionis.**

1° Obreptio verificatur quando in libello supplici falsum asseritur; subreptio est reticentia veri in libello supplici. Obreptio et subreptio quandoque promiscue assumuntur.

2° Rescripta pontificia semper exprimunt vel subaudiunt clausulam: "Si preces veritate nitantur." *Cap. Ex parte*, 2, *tit. III, De Rescriptis* Vitium obreptionis vel subreptionis potest procedere ex malitia et dolo, vel ex ignorantia aut simplicitate.

a) In primo casu, obreptio vel subreptio dolosa rescriptum invalidat, quia, ex cap. 15 hujus tituli: "Mendax precator penitus careat impetratis, quia fraus et dolus ei patrocinari non debet;" et ex cap. 20 ejusdem tituli: "Qui per fraudem vel malitiam falsitatem exprimunt, vel supprimunt verita-

tem, in suæ perversitatis pœnam nullum ex illis litteris commodum consequantur." Datur exceptio quando vitium obreptionis aut subreptionis afficit partem mere accidentalem rescripti, ut si Græcus nationem suam in Curia male audire ratus, Syrum se dicat.

b) In secundo casu, distinguendæ sunt causæ principales et finales a causis mere impulsivis; causæ finales sunt illæ, quibus extantibus, Pontifex solet concedere rescriptum, v. g. paupertas ad obtinendum beneficium; causæ impulsivæ sunt illæ quæ de se non sufficiunt, sed adjuvant causam motivam. Jamvero si vitium obreptionis vel subreptionis cadat in causis impulsivis, sustinetur rescriptum, quia causæ impulsivæ non determinarunt Pontificem ad gratiam erogandam. Si vitium obreptionis vel subreptionis afficiat causas finales, videndum est an plures sint causæ finales vel unica sit; in primo casu, sustinetur rescriptum modo una saltem remaneat causa quæ vitio obreptionis vel subreptionis non laboret; in secundo casu, invalidum est rescriptum, quia non apparet quo motivo rescriptum fuerit concessum.

Excipitur casus quo rescriptum conceditur cum clausula *motu proprio*, quæ clausula significat Pontificem motum fuisse ad rescriptum concedendum non ex rationibus in libello supplici expressis, sed ex rationibus sibi notis et ex liberalitate. Si dubium oriatur quænam causæ sint impulsivæ, quænam finales, an vitium obreptionis vel subreptionis afficiat causas impulsivas vel finales, res judicanda est ex stylo Curiæ; dubio perseverante, standum est pro valore rescripti. *Sebastianelli, De Clericis, n.* 71.

232. **Oportet ut servetur stylus Curiæ.** In libello supplici oportet ut plura exprimantur. Relate ad rescripta quæ obtinentur in re matrimoniali, Sacra Cong. de Prop. Fide, 9 Maii 1877, edidit instructionem quæ refert quæ in instantia sint exponenda; hæc autem sunt:

1° *Nomen et cognomen oratorum*, utrumque distincte ac nitide ac sine ulla litterarum abbreviatione scribendum.

In instantia ad S. Pœnitentiariam pro dispensatione in foro interno, nomina oratorum tacentur et eorum loco ponitur N. vel Titius.

Error in nomine aut cognomine videtur rescriptum vitiare; hinc facultas episcopis concessa, Formula T, num. 14: "Convalidandi litteras dispensationis... quæ nullæ factæ sunt ob errorem nominis vel cognominis contrahentium in matrimoniis tam contrahendis quam contractis."

2° *Diœcesis originis* vel *actualis domicilii.* Quando oratores habent domicilium extra diœcesim originis, possunt, si velint, petere ut dispensatio mittatur ad Ordinarium diœcesis in qua nunc habitant.

3° *Species etiam infima impedimenti*, an sit consanguinitas vel affinitas orta ex copula licita vel illicita, publica honestas originem ducens ex sponsalibus vel matrimonio rato; in impedimento criminis utrum provenerit ex conjugicidio cum promissione matrimonii, aut ex conjugicidio cum adulterio, aut ex solo adulterio cum promissione matrimonii; in cognatione spirituali utrum sit inter levantem et levatum, vel inter levantem et levati parentem.

4° *Gradus consanguinitatis* vel *affinitatis* aut *honestatis* ex matrimonio rato, et an sit simplex vel mixtus, non tantum remotior sed etiam propinquior; uti et linea an sit recta aut transversa; item an oratores sint conjuncti ex duplici vinculo consanguinitatis tam ex parte patris quam ex parte matris.

5° *Numerus impedimentorum*, e. g. si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas, vel si præter cognationem adsit etiam affinitas, aut aliud quodcumque impedimentum sive dirimens sive impediens.

6° *Variæ circumstantiæ*, scilicet an matrimonium sit contrahendum vel contractum; si jam contractum, aperiri debet an bona fide, saltem ex parte unius, vel cum scientia impe-

dimenti; item an præmissis denunciationibus et juxta formam Tridentini; vel an spe facilius dispensationem obtinendi; demum an sit consummatum, si mala fide, saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti.

7° Olim erat necessitas declarandi copulam incestuosam habitam inter sponsos ante dispensationis exsecutionem, sive ante sive post ejus impetrationem. Hæc necessitas non amplius existit post decretum 25 Junii 1885 quo statuitur deinceps dispensationes matrimoniales " etiamsi copula incestuosa vel consilium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi reticita fuerit, validas futuras. " *Gasparri, De Matrimonio, num.* 354 *et seq.*

233. **Ex parte responsionis, rescriptum est nullum vel saltem suspectæ fidei,** si non præ se fert formam extrinsecam vel intrinsecam quam in rescriptis adhibere solet Curia Pontificia. Hinc vitiosum est rescriptum, vel saltem suspectum, quod datur contra jus tertii, quin mentionem faciat illius juris; idem dicatur, si in rescripto omittatur nomen Pontificis, rasura reperiatur in parte substantiali, fractura habeatur in sigillo vel error crassus contra grammaticam. Sustinetur rescriptum, non obstantibus illis defectibus, si aliunde constet de veritate litterarum apostolicarum; tunc præsumptio cedit veritati. *Sebàstianelli, De Personis, n.* 73.

234. **Ex parte impetrantis, requiritur immunitas ab excommunicatione,** nam ipso jure rescriptum non valet, si ab excommunicato fuerit impetratum super alio quam excommunicationis vel appellationis articulo. In rescriptis, absolutio a censuris in forma gratiosa solet concedi *ad cautelam, ad effectum tantum* illius rescripti consequendum. Hæc tamen clausula absolutoria non suffragatur excommunicatis qui per annum integrum insorduerunt. *Regula LXV Cancellariæ Apostolicæ.*

Notandum est personas incapaces suscipiendi gratias pon-

tificias, quales sunt hæretici et excommunicati, præter ipsam causam excommunicationis, posse valide obtinere rescriptum super negotio cum alia persona ad obtinendum rescriptum idonea; et sic excommunicatus potest frui beneficio alicujus rescripti ut valeat matrimonium contrahere cum persona nulla censura innodata.

235. **Persona jure habilis, quæ obtinuit rescriptum,** illud præsentare debet judici delegato vel executori, nisi forte nulla indigeat executione, ut rescriptum gratiæ quo jus obscurum declaratur, vel nisi sit rescriptum in forma gratiosa, cui nullus executor fuit assignatus.

1° Rescriptum gratiæ, si nullum tempus præfigatur, est perpetuum et quocumque tempore ab impetrante præsentari potest.

2° Rescriptum justitiæ intra annum præsentari debet, aliter valet secundum ab adversario impetratum, licet de priori mentionem non faciat.

236. **Executor cui rescriptum fuit præsentatum debet attendere ad tempus datæ et ad tempus præsentatæ.** Tempus *datæ* est tempus quo litteræ apostolicæ sunt expeditæ in Curia Romana; tempus *præsentatæ* est tempus quo rescriptum executioni mandatur.

1° Quoad rescriptum justitiæ, attendendum est *ad tempus datæ* ut sciatur an legitime sit impetratum, et an debeat alteri præferri, juxta regulam juris 54^am^: "Qui prior tempore potior jure." Attendendum est *ad tempus præsentationis* quoad jurisdictionem judici advenientem: hinc si judex delegatus post tempus *datæ,* sed ante tempus *præsentatæ,* amiserit qualitatem cui annexa erat jurisdictio delegata, v. g. non est amplius vicarius generalis, non potest causam cognoscere. Item si obtineatur judex delegatus super causa quæ apud alium judicem pertractatur, hic judex non tenetur interrumpere processum antequam litteræ præsententur novo judici.

2° Quoad rescripta gratiæ, si sint *in forma gratiosa,* vim

obtinent a *tempore datæ;* ratio est, quia in his rescriptis Summus Pontifex non committit alicui gratiæ concessionem, sed ipse gratiam confert. Si rescripta gratiæ sint *in forma commissoria vel mixta,* vim obtinent, verificatis expositis, id est, a *tempore præsentatæ.*

237. **Rescripta non omnibus præsentari possunt.** Distinguendum est inter rescripta justitiæ et rescripta gratiæ. Quod ad rescripta justitiæ attinet, Bonifacius VIII mandavit ea committi debere illis clericis qui obtinent dignitatem in ecclesia cathedrali propter eorum scientiam, quæ saltem præsumitur. Concilium Trid., sess. XXV, cap. 10, De Ref.,decrevit ut in concilio provinciali aut in synodo diœcesana quatuor aut plures designarentur, quorum nomina ad Sanctam Sedem transmitterentur ut eisdem Pontifex uteretur in exequendis rescriptis justitiæ. Hæc dispositio non observatur et Sancta Sedes, pro executione rescriptorum justitiæ, utitur personis scientia et prudentia sibi notis. Quoad rescripta gratiæ, solent committi Episcopo, aut Vicario generali, aut Ordinario, aut Confessario.

De mandato Leonis XIII, Sacra Congregatio S. Officii, die 20 Feb. 1888, sancivit:

1° " Dispensationes matrimoniales omnes in posterum committendas esse vel oratorum Ordinario, vel Ordinario loci.

2° Appellatione Ordinarii venire Episcopos, Administratores, seu Vicarios Apostolicos, Prælatos, seu Præfectos habentes jurisdictionem cum territorio separato, eorumque Officiales, seu Vicarios in spiritualibus generales, et, sede vacante, Vicarium Capitularem vel legitimum Administratorem.

3° Vicarium Capitularem seu Administratorem, eas quoque dispensationes apostolicas exequi posse quæ remissæ fuerunt Episcopo aut Vicario ejus Generali vel Officiali nondum executioni mandatas, sive hi illas exequi cœperint, sive non.

4⁰ Et vicissim, sede deinde provisa, posse Episcopum vel ejus Vicarium in spiritualibus Generalem, seu Officialem, exequi dispensationes quæ Vicario Capitulari exequendæ remissæ fuerant, sive hic illas exequi cœperit, sive non......"

238. **Postquam litteræ apostolicæ executori exhibitæ fuerunt, ipse in primis eas recognoscit.** Si enim falsæ aut dubiæ appareant, a fulminatione abstinere debet; deinde inquirit an preces veritate nitantur; ac tandem ad fulminationem devenire poterit, omnes clausulas sedulo servando.

In rescriptis quæ a Dataria et Pœnitentiaria Apostolica super dispensationibus matrimonialibus expediuntur, plures solent apponi clausulæ quæ modo ad validitatem, modo ad liceitatem sunt adimplendæ.

1⁰ Præcipuæ clausulæ in rescriptis Datariæ concessis ob causam honestam sunt sequentes:

a) Eorum quemlibet a quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis..., ad effectum præsentium tantum consequendum, absolventes. Hæc absolutio *ad cautelam* datur ne rescriptum careat effectu, si partes aliqua censura innodentur.

b) Si vera sint exposita. Executor vi mandati debet inquirere an preces veritate nitantur; ad hanc inquisitionem peragendam Ordinarius utitur parocho qui instantiam redegit.

c) Vetito omnino ne aliquid muneris aut premii exigere aut oblatum recipere præsumpseris. Per indultum speciale, episcopi hujus regionis habent facultatem " exigendi modicas mulctas tam a divitibus quam a pauperibus juxta vires in elargiendis dispensationibus matrimonialibus, exceptis tamen ab hoc mendicis, et dummodo mulctæ sic exactæ in pios usus fideliter omnino erogentur."

2⁰ In rescriptis Datariæ datis ob causam infamantem sequentes sunt clausulæ:

a) Ab incestus reatu et excessibus hujusmodi, imposita

eis prius propter incestum hujusmodi, arbitrio tuo, pœnitentia salutari..., in forma Ecclesiæ consueta... absolvas. Hæc absolutio datur ab Ordinario in dispensationis fulminatione extra sacramentalem confessionem a pœnis quas forsan partes contraxerunt ob suum peccatum incestus.

b) Prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam legitimam nuntiando. Cum inter partes impedimentum subsit, proles non legitimatur per subsequens matrimonium, sed executor debet expresse legitimare prolem ab oratoribus antea susceptam; secus ea legitima manet.

3° In rescriptis S. Pœnitentiariæ, sequentes clausulæ frequenter occurrunt :

a) Si ita est; hæc clausula intelligitur de veritate causæ finalis ob quam conceditur gratia. Sufficit assertio pœnitentis, cui fides adhibenda est.

b) In foro conscientiæ tantum; hæc clausula indicat concessionem non valere quoad forum externum.

Ideoque si forte impedimentum matrimonii *occultum*, a quo pœnitens dispensatur, evadat *publicum*, adhuc ab Apostolica Dataria impetranda esset dispensatio pro foro *externo ;* secus ipsa proles reputaretur illegitima, licet in foro conscientiæ matrimonium valeret. Sed verba *In utroque foro absolvas* ita intelligenda sunt ut requiratur una tantum absolutio in foro externo impertienda, quæ valeat etiam pro interno. *S. Pœnitentiaria*, 27 *Ap.* 1886.

c) Audita prius sacramentali confessione; hæc clausula necessariam reddit præviam sacramentalem confessionem ipsi confessario exsecutori factam. Confessarius primum absolvat pœnitentem et postea commissionem exsequatur. Nulla specialis formula determinatur qua necessario confessarius uti debeat.

Absolutio sacrilege suscepta non officit validitati dispensationis. Immo quandoque confessarius dispensationem conce-

dere potest, etiamsi absolutionem a peccatis suspendendam esse censeat. *S. Pœnit.*, 19 *Maii* 1834.

d) Injuncta ei gravi pœnitentia; hæc clausula intelligenda est juxta vires pœnitentis. Relate ad alias clausulas confer *Gasparri, De Matrimonio, vol. I, num.* 366 *et seq.*

239. **Rescripta cessant pluribus modis:**

1° *Per eorum revocationem* sive expressam sive tacitam. Expresse censentur revocata rescripta, quando Pontifex verbis explicitis rescriptum annullat. Tacita revocatio locum habet per concessionem alterius rescripti priori contrarii. In hac hypothesi, videndum est an utrumque rescriptum in eadem causa obtentum sit speciale, vel generale, vel unum generale et aliud speciale. In primo et secundo casu, valet primum rescriptum, si in secundo facta non fuerit mentio prioris. Ratio est, quia, cum agatur de juribus particularibus, non præsumitur Pontifex cognoscere jura singulorum subditorum. Si unum rescriptum fuerit generale et aliud particulare, valet secundum, etsi mentionem non faciat prioris, juxta regulam juris 34^{am}: " Generi per speciem derogatur."

2° *Per renuntiationem postulantis*, nisi agatur de rescriptis in favorem plurium personarum concessis, quo in casu, ab omnibus facienda est renuntiatio.

3° *Per mortem postulantis, executoris et rescribentis.*

a) Cessant *per mortem postulantis*: hoc valet in rescriptis gratiæ, quæ intuitu personæ conceduntur, non vero in rescriptis justitiæ quæ ad hæredes ejusdem controversiæ transeunt.

b) Cessant *per mortem executoris*, si executor constitutus fuerit ratione industriæ specialis qua pollet; nam si executio alicui personæ fuit demandata ratione ejus dignitatis vel ejus officii, successor in dignitate vel officio potestatem habet, mortuo antecessore, exequendi litteras pontificias.

c) Cessant *per mortem rescribentis, re adhuc integra.* Ut

cognoscatur quando res sit integra, distinguere oportet inter rescripta gratiæ et rescripta justitiæ. In rescriptis gratiæ, res est adhuc integra, quando rescriptum est *in forma commissoria*, et rescribens moritur antequam executor nullum actum posuerit quo *dicatur causam occupasse*.

Rescripta gratiæ concessa *in forma gratiosa*, vel *in forma mixta*, continent *gratias factas*, quæ non cessant morte Pontificis rescribentis. Tales sunt dispensationes matrimoniales quæ conceduntur in *forma mixta* et quæ habent naturam *gratiæ factæ*. *D'Annibale, Theol. Mor., vol. III, n.* 364; *Gasparri, De Matrimonio, vol. I, n.* 392.

In rescriptis justitiæ, res integra dicitur, quoties ante mortem concedentis, nec citatio rei, nec litis contestatio facta est; res non est amplius integra, si judex delegatus saltem citavit partes: tunc dicitur causam occupasse. *Confer tit. II, n.* 155.

Ne plura rescripta *gratiæ in forma commissoria*, vel *justitiæ*, ob mortem Pontificis pereant, et impetrantes, cum magno suo detrimento, cogantur denuo rescriptum impetrare, Pontifex recenter electus approbat hanc 12^{am} regulam Cancellariæ Apostolicæ: " Idem prædictus D. N. omnes et singulas a prædecessore suo Romano Pontifice, infra annum a die obitus ejus concessas gratiæ vel justitiæ litteras, temporibus debitis earum exsecutoribus vel judicibus non præsentatas, omnino revalidavit, et in statum pristinum... restituit."

Per mortem rescribentis cessant rescripta quæ conceduntur cum clausula: *ad beneplacitum nostrum*, non ea quæ conceduntur *ad beneplacitum Sanctæ Sedis*, quia Sedes ipsa non moritur.

4° Rescripta cessant *lapsu temporis præfixi*, ut si gratia sit concessa *ad quinquennium, ad decennium*. Facultates ordinariæ et extraordinariæ quæ episcopis canadensibus a S. C. de Prop. Fide conceduntur per rescriptum generale, ad quinquennium solent conferri.

CAPUT IV

DE PRIVILEGIO

240. **Privilegium definitur :** Lex privata aliquod speciale concedens contra vel præter jus.

1° Dicitur *lex*, non quod obligationem inducat respectu ejus cui datum est, quia invito beneficium non datur, sed respectu aliorum quibus præcipitur ut illud observari faciant, vel prohibetur ne impediant.

2° Dicitur *privata*, quia alicui personæ, communitati aut loco jus particulare conceditur.

241. **Differt privilegium a dispensatione,** quatenus privilegium est gratia permanens quæ conceditur præter aut contra jus, dum dispensatio est relaxatio legis pro casu particulari, ita ut, eo transacto, maneat vis legis.

242. **Privilegium dividitur** 1° in *reale* et *personale* ; *reale* dicitur quod conceditur alicui rei, muneri vel conditioni distinctæ a persona ; *personale* vero quod immediate datur personæ ratione sui. Privilegium reale transit ad successores ; privilegium personale personam sequitur et extinguitur cum persona.

Dividitur 2° in *gratiosum* et *remuneratorium ; gratiosum* dicitur illud quod gratis conceditur sine ullo respectu ad merita privilegiati vel aliorum, v. g. parentum ; *remunerativum* e contra est illud quod propter merita impetrantis vel aliorum conceditur.

Dividitur 3° in privilegium *contra jus* et *præter jus ;* v. g. exemptio a jurisdictione Ordinarii est privilegium *contra jus*, potestas absolvendi a reservatis vel dispensandi est privilegium *præter jus.* Hæc distinctio est maxime attendenda : nam privilegium contra jus est plerumque stricte interpre-

tandum; e contra privilegium præter jus est late interpretandum.

243. **Privilegium conceditur ab omni et solo qui leges valet condere.** Ratio est, quia privilegium est lex, quamvis privata, eximens a jure communi, vel aliquid supra jus concedens; atqui ad hoc requiritur potestas legislativa: hinc solus Papa privilegia ubique contra jus potest concedere; id possunt episcopi relate ad propria statuta.

Ut privilegium deroget juri communi, non requiritur clausula derogatoria, quia princeps præsumitur scire leges communes. Excipitur tamen 1° quando privilegium non posset suum effectum sortiri sine hac expressa derogatione; 2° si in lege cui derogatur esset apposita clausula: *non obstante quocumque privilegio. Stus Alphonsus, De Privilegiis, num.* 2.

244. **Nemo per se tenetur uti suo privilegio,** sed teneri potest *per accidens*: 1° si non utendo, grave detrimentum proximo inferret: sic confessarius habens privilegium absolvendi a peccatis reservatis, post auditam confessionem, tenetur eo uti; 2° si privilegium cedat in bonum commune, quemadmodum est privilegium immunitatis, quo unusquisque uti tenetur; 3° si privilegium tollat impedimentum ad observandum præceptum, e. g. si infirmus habeat domi oratorium privatum et possit facile audire sacrum, tenetur privilegio uti; 4° si privilegium non sit personale, sed reale, addictum loco, vel dignitati, vel statui, quemadmodum sunt privilegia concessa episcopis et regularibus. *Stus Alphonsus, De Privilegiis, n.* 3.

245. **Interpretatio privilegii fit vel authentice vel doctrinaliter.**

1° *Authentice* privilegia interpretantur principes, vel alii quibus a principe hoc commissum est.

2° *Doctrinaliter* privilegia interpretatur quicumque vir doctus, cujus interpretationi licet acquiescere. Ad sequentes regulas debet attendere;

a) Omne privilegium ita interpretandum est ut privilegiato nec inutile sit, nec onerosum.

b) Privilegium est large vel stricte interpretandum, prout est favorabile vel odiosum. *Odiosum* autem dicitur privilegium quod derogat juri communi, aut statutis, vel consuetudinibus particularibus quæ non sunt contra jus commune, vel quod in aliorum cedit detrimentum; secus est *favorabile.* Odiosum favorabili æquiparatur et large interpretandum est, si sit insertum in corpore juris, vel reale sit, vel concessum cum clausula: *ex certa scientia, ex motu proprio.*

c) Privilegia concessa alicui Ordini, communitati, aut ad aliquam piam causam, interpretanda sunt non modo *late,* sed etiam *latissime,* etiamsi juri communi, vel juri alicujus tertii adversentur. Ratio est, quia concessa præsumuntur tanquam remuneratoria servitiorum præstitorum, ideoque censentur maxime favorabilia.

d) Privilegia alicui concessa, non qua personæ particulari, sed ratione sui officii aut dignitatis, vel qua membro illius communitatis, intelliguntur concessa omnibus aliis ejusdem officii aut communitatis.

e) Ubi in privilegio habetur clausula: *quatenus sacris canonibus non adversetur,* de his tantum canonibus est intelligendum in quibus est expressum: *Non obstante quocumque privilegio.* Ubi habetur clausula: *Supplentes singulos defectus,* hoc intelligendum est de defectibus accidentalibus, non de defectibus substantialibus. *Marc, Inst. Mor., vol. I, n.* 253.

346. **Privilegium cessare potest diversis modis :**

1° Per lapsum temporis ad quod fuit datum. 2° Per cessationem causæ finalis, quando privilegium est concessum sub conditione dictæ causæ. Quando concessum est absolute, probabiliter non cessat, quamvis cessaret causa finalis. 3° Ob renuntiationem privilegiati. Si privilegium sit *singulare,* i. e.

si contineat privatum favorem personæ, hæc utique juri suo renuntiare potest, sed ut valida sit renuntiatio, debet innotescere illi qui privilegium concessit et ab eo acceptari. Si privilegium sit *commune*, ut privilegium fori et canonis pro clericis, privati nullatenus ei renuntiare possunt. 4⁰ Per non-usum vel usum contrarium, spatio temporis ad præscriptionem sufficienti, si privilegium sit *odiosum*, et se obtulerit occasio illo utendi: in hoc casu censetur adesse tacita illius renuntiatio. Sic qui habet privilegium non solvendi decimas, et eas tamen scienter et libere solvit, privilegium amittit. Si privilegium sit gratiosum, absque gravamine pro aliis, ut facultas absolvendi, dispensandi, non jejunandi, celebrandi ante auroram, etc., non amittitur per non-usum, nec per usum contrarium, etsi longissimi temporis. 5⁰ Cessat privilegium ob revocationem expressam vel tacitam principis. Revocatio tacita fit per novam legem, quamvis non adsit clausula revocatoria, quando aliter nova lex non posset suum effectum sortiri; nam lex dici nequit inutilis. Revocatio expressa fit per clausulas legi insertas.

Sufficit ordinarie clausula generalis: *non obstantibus privilegiis*, nisi hæc sint onerosa, vel remunerativa, vel concessa cum clausulis quæ pro derogatione mentionem specialem requirunt, vel inserta in Corpore juris. *Craisson, Manuale Jur. Can., vol. I, n.* 168 *et seq.*

CAPUT V

DE RELIQUIS JURIBUS ET INSIGNIBUS ROM. PONTIFICIS

247. **Præter potestatem jus dicendi universæ Ecclesiæ et singulis personis,** Romanus Pontifex alias habet prærogativas et jura quæ procedunt a natura primatus quem obtinet. Ita Romani Pontificis est componere ac decidere causas majores, non tantum illas quæ majores sunt sua natura et quæ excedunt aliorum magistratuum jurisdictionem, uti sunt causæ fidei, canonizatio sanctorum, sed etiam illas quæ majores factæ sunt ex auctoritate ejusdem Pontificis, uti sunt constitutio impedimentorum matrimonii, causæ criminales majores episcoporum.

Item Romano Pontifici competit potestas sibi reservandi in foro conscientiæ graviorum criminum absolutiones; item potestas sibi reservandi dispensationes, collationes beneficiorum et munera ecclesiastica. Ulterius Romanus Pontifex potest concilia generalia convocare, eis præsidere per se vel per suos legatos, eaque transferre, dissolvere ac confirmare. Pariter Romano Pontifici licet legatos constituere, novos episcopatus erigere, erectos immutare, episcopos transferre, punire aut deponere et ab eis relationem recipere de statu diœcesium. Eidem Pontifici, ex natura primatus, hæret jus recipiendi appellationes ab episcoporum sententiis, judices delegatos in universo orbe constituendi, personas et territoria eximendi ab Ordinariorum jurisdictione. *Sebastianelli, De Clericis, tit. II, n.* 77.

248. **Amplissima dignitas Romani Pontificis exhibetur ex insignibus et titulis quibus fulget auctoritas apostolica.** Insignia sunt: 1° *baculus pastoralis rectus*, qui est signum muneris pastoralis nomine Christi exercendi; 2° *tiara* aut *corona triplex*, quatenus potestatem exercet in cœlo, in terra et in inferno; *Ferraris, v. Papa, art. II;* 3° *pal-*

lium, quod Pontifex ubique et semper defert in signum universalis jurisdictionis.

Quoad nomina quibus designatur, vocatur *Episcopus Urbis Romæ, Metropolita provinciæ romanæ, Primas Italiæ, Patriarcha Occidentis.* Dicitur *Pontifex Maximus*, ad exemplar sacerdotis V. T.; *Papa*, quo nomine designabantur olim episcopi; *Servus servorum Dei*, quem titulum primus usurpavit Gregorius Magnus ut increparet patriarcham Constantinopolitanum, qui sibi arrogaverat nomen patriarchæ universalis.

TITULUS VI

DE ADJUTORIBUS ROMANI PONTIFICIS

" Romanus Pontifex, quem Christus Dominus Ecclesiæ caput constituit, omniumque ecclesiarum curam gerere voluit, multos tam immensi oneris adjutores advocat atque adsciscit..... ut ipse tantæ potestatis clavum tenens, divina gratia adjutrice, non succumbat." Const. *Immensa æterni Dei* Sixti V. Adjutores Summi Pontificis *in curia apostolica* sunt cardinales, congregationes et tribunalia romana; adjutores *extra curiam* sunt legati, delegati apostolici et vicarii apostolici.

CAPUT I

DE CARDINALIBUS

249. **Primitus omnes clerici dicebantur cardinales,** quia, ordinati ad aliquam ecclesiam, ex bonis hujus ecclesiæ honestam sustentationem percipiebant: hinc dicebantur ad aliquam ecclesiam per sacram ordinationem *incardinati* seu *incorporati.* Clerici *cardinales* vocabantur, quia per suam incardinationem ad aliquam ecclesiam servitio hujus ecclesiæ erant perpetuo addicti, et quemadmodum valva circa cardinem, sic ecclesia supra suos clericos volvebatur.

1° Romæ exstabant ecclesiæ in quibus fiebant sacri conventus et sacramenta ministrabantur: ad has ecclesias ordinabantur presbyteri *cardinales.* Erant diaconiæ in Urbis regionibus, seu domus cum adhærentibus sacellis et oratoriis :

ad illa oratoria ordinabantur diaconi *cardinales.* Serius circa Urbem sedes episcopales fuerunt erectæ, et sic sedes illæ vocatæ fuerunt *suburbicariæ,* et episcopi ad illas præfecti *cardinales episcopi.*

2⁰ Sæculo VIII, nomen cardinalis proprium evasit clericis ecclesiæ cathedralis, propter eorum principalitatem in diœcesi ; progressu temporis, ob cathedræ apostolicæ eminentiam supra ceteras ecclesias, nomen *cardinalis* tributum fuit solis clericis qui constituunt presbyterium seu senatum Romani Pontificis, ita ut canonici ecclesiæ cathedralis non possint amplius hodie hoc nomine designari. *Bargilliat, Prælectiones Jur. Can., num.* 432, *et seq.*

250. **Numerus cardinalium olim fuit in Ecclesia Romana incertus et vagus.**

1⁰ Ineunte sæculo XII, septem erant cardinales episcopi, viginti octo presbyteri et octodecim diaconi, sed iste numerus adeo imminui cœpit ut electioni Nicolai III octo tantum cardinales interfuerint. Adauctus est eorum numerus, præsertim occasione schismatis occidentalis ; revera duo aut tres pontifices circa pontificatum contendentes novos cardinales creabant, qui factionibus suis faverent.

2⁰ In concilio Constantiensi, anno 1414, statutum fuit cardinalium numerum ad viginti quatuor esse restringendum ; Paulus IV præcepit ne in Ecclesia adessent plus quam quadraginta cardinales, sed ejus successores hunc numerum protraxerunt usque ad septuaginta sex. Sixtus V statuit, in const. *Postquam,* septuaginta cardinales fore ad imitationem septuaginta seniorum quos Moïses, pro regimine populi Dei, sibi assumpsit ; huic decreto Romani Pontifices successores se conformarunt.

251. **Cardinales dividuntur in tres classes,** scilicet in *cardinales episcopos, presbyteros* et *diaconos,* quæ divisio respicit titulos seu ecclesias ipsis assignatas a Summo Pontifice, post annuli traditionem in consistorio. Sex sunt cardi-

nales episcopi, quinquaginta presbyteri et quatuordecim diaconi. *Sebastianelli, De Personis, num.* 82.

252. **Cardinales a solo Romano Pontifice creantur,** et assumuntur, quantum fieri potest, ex toto orbe catholico, " ut in regimine universalis Ecclesiæ Romano Pontifici adsistere valeant, et de moribus et negotiis christianorum regnorum certa notitia prompte habeatur." Const. *Postquam* Sixti V.

1° In consistorio secreto, Romanus Pontifex manifestat intentionem creandi novos cardinales, cui annuunt cardinales præsentes; immediate editur decretum nominationis, quod promulgatur extra consistorium. Si promotus Romæ commoretur, statuta die, petit Aulam Apostolicam ut birretum rubrum recipiat; tunc indicatur dies consistorii publici, qua die, Romanus Pontifex cardinali promoto imponit galerum rubrum et ejus os claudit, id est, ei prohibet ne interim suffragium in negotiis collegialiter tractandis cum aliis cardinalibus emittat. In alio consistorio secreto, Summus Pontifex novi cardinalis os aperit, annulum tradit, proprium titulum designat et ei assignat aliquas ex congregationibus romanis in quibus, uti judex, sedere poterit.

2° Si promotus extra Urbem moretur, ad eum mittitur birretum rubrum per legatum specialem, qui dici solet *Ablegatus;* in receptione birreti rubri, cardinalis debet jurare se infra annum ad limina apostolica accessurum fore.

253. **Aliquando Summus Pontifex aliquem cardinalem creat in consistorio, quin nomen ejus revelet;** hic cardinalis dicitur reservatus *in pectore.* Hic casus verificatur quando, ob rationes prudentiæ, vel propter munus quo fungitur persona ad dignitatem cardinalitiam elevata, congruum est ut publicatio differatur.

Effectus hujus creationis est ut publicatio, quæ in posteriori consistorio contingit, retrotrahitur ad tempus creationis, ita ut cardinales illi sedeant ante alios cardinales antea publi-

catos sed postea creatos. Ut consequantur sua jura, illi cardinales debent publicari ante mortem Summi Pontificis, nisi Pontifex mandet eos esse evulgandos statim post mortem suam, ut fecit Pius IX, anno 1875.

254. **Dotes requisitas in cardinalibus** recenset Sixtus V in constitutione *Postquam.*

Arcentur ab hac dignitate : 1° *illegitimi*, etiam per subsequens matrimonium legitimati ; 2° qui *in minoribus constituti* per annum saltem habitum et tonsuram non gestarunt ; 3° *fratres et consobrini* in secundo gradu consanguinitatis alicujus cardinalis, quamdiu ille vixerit.

Cæterum præcellentes viri in ipsum Collegium adscribantur quorum pietas et doctrina tam ipsi Pontifici quam universo Collegio cognitæ et probatæ sint.

255. **Alia est auctoritas cardinalium in suis ecclesiis titularibus, alia in regimine Ecclesiæ universalis.** Usque ad Innocentium XII, cardinales, præter jurisdictionem quam exercent in propria ipsorum diœcesi, qua locorum Ordinarii, jurisdictionem quasi episcopalem in spiritualibus obtinebant in ecclesiis titularibus.

Innocentius XII, in sua constitutione *Romanus Pontifex*, restrinxit eorum jurisdictionem, declarans cardinalibus in propriis titulis competere "jurisdictionem in eis quæ ad servitium ecclesiæ concernunt." Unde potestas cardinalium in titulis sese extendit ad servitium ecclesiæ ; attamen habent jura honorifica, quasi exercerent jurisdictionem.

256. **Vivente Summo Pontifice, cardinales sunt consiliarii ejus intimi, quin limitent ejus auctoritatem.** In hoc differt senatus Romani Pontificis a senatu episcopi : canonici aliquando limitant auctoritatem episcopalem, sed Romanus Pontifex est supra cardinales, quos deponere posset, et quorum sententiæ annuere non tenetur. Sed valde conveniens est ut Summus Pontifex utatur consilio suorum cardinalium in negotiis enucleandis ; revera in legibus con-

dendis et controversiis solvendis attendendum est non tantum ad legislatoris auctoritatem, sed etiam ad ejus prudentiam, quæ maxime adjuvatur consiliis. Hanc agendi rationem secuti fuerunt R. Pontifices ; aucto negotiorum numero, institutæ fuerunt Congregationes Romanæ in quibus multa negotia cardinalibus committuntur ut ab ipsis, auctoritate pontificia præditis, solvantur. *Sebastianelli, De Clericis, n.* 85.

257. **Mortuo Pontifice, suprema jurisdictio in Ecclesia universali non transit ad cardinales,** saltem ex jure introducto a Gregorio X, in concilio Lugdunensi. Collegium cardinalium non potest immutare aut retractare ea quæ a mortuo pontifice gesta fuerunt, nec aliquem actum jurisdictionis pontificiæ exercere, nisi adsit urgens necessitas ab omnibus et singulis cardinalibus probanda. Mortuo Pontifice, nihil habent cardinales nisi jus eligendi ejus successorem.

258. **Summa est cardinalium dignitas et reverentia eis debita.** " Cardinales ceteros omnes in Ecclesia, post Summum Pontificem, honore et dignitate præcedant ; " Constitutio *Supremæ* Leonis X. Eorum dignitas præstat dignitatem episcopalem, archiepiscopalem et patriarchalem ; ratio est, quia, adhærentes personæ Summi Pontificis, regunt Ecclesiam universalem.

Cardinales deferunt titulum *Principis* et *Eminentiæ ;* Pius II creando cardinales sic eos interpellabat : " Vos regum similes estis," In cœremoniali circa receptionem regis in consistorio, ei assignabatur primus locus post primum cardinalem episcopum vel antiquiorem cardinalem presbyterum.

259. **Ratione tantæ dignitatis, Cardinales habent plura privilegia :** 1° Cardinales, etiam non episcopi, in concilio generali habent jus præessendi et emittendi suffragium decisivum ante episcopos, archiepiscopos, primates et patriarchas ; 2° credendum est cardinali asserenti aliquid actum fuisse in presentia Papæ, etsi non habeat documentum ; 3° speciali modo proteguntur contra injurias. In consti-

tutione *Apostolicæ Sedis*, sub numero quinto, datur excommunicatio speciali modo Romano Pontifici reservata contra " omnes interficientes, mutilantes, persequentes, capientes, carcerantes, detinentes vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales..., necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium vel favorem:"

CAPUT II

DE CONGREGATIONIBUS ROMANIS

" Pontificium onus, angelicis plane humeris formidandum, inter Senatores orbis terræ fratres nostros Cardinales, apta quadam distributione, pro temporum conditione, negotiorum multitudine et varietate ... salubriter partiri decrevimus;" Constitutio *Immensa* Sixti V; unde cardinales distribuuntur in variis congregationibus romanis.

260. **Congregatio Romana definitur:** Cœtus cardinalium institutus ad instar alicujus collegii ad negotia ipsis a S. Pontifice demandata, definienda.

1° Aliæ sunt Congregationes stabiles et ordinariæ, aliæ Congregationes particulares et extraordinariæ quas Rom. Pontifex pro aliquo graviori negotio expediendo constituit.

2° Unaquæque Congregatio constat pluribus cardinalibus, quorum unus est Præfectus, nisi Summus Pontifex sibi reservaverit præfecturam; alii officiales sunt Secretarii, Consultores et Officiales minores.

261. **Sacræ Congregationes procedunt auctoritate et nomine Summi Pontificis.** Unaquæque, in propria negotiorum provincia, tribunal supremum constituit, cui omnes Christi fideles parere debent, cujuscumque sint digni-

tatis. Quascumque appellationes recipere possunt, et ab earum judicio ad aliud tribunal appellari nequit; sed tamen si partes collitigantes, vel una ex eis voluerit causam iterum examini subjicere, eadem Sacra Congregatio iterum causam expendere poterit, obtento prius *beneficio novæ audientiæ.*

Hoc beneficium non conceditur, quando in decisione causæ apposita fuit clausula *Et amplius*, quæ significat: *Et amplius causa non proponatur.*

262. **In Sacris Congregationibus, non solent expediri negotia, inaudito Ordinario proprio oratoris,** vel Superiore regulari, cujus personam religiosam vel jura negotium expediendum respicit. Quare stylus Curiæ Romanæ est ut supra recursu vel precibus acceptis, informatio et votum Ordinarii, vel Superioris generalis, respective exquirantur; si negotium tertias personas attingat, in mandato informationis adjungitur clausula: *Auditis interesse habentibus.*

Habita autem decisione, rescriptum mittitur ad Ordinarium, vel superiorem regularem, ut illud executioni mandet. Porro forma horum rescriptorum talis esse solet ut executori nudum ministerium committatur; unde cognita veritate precum, juxta clausulam: " si preces veritate nitantur," vel aliam similem, executor tenetur decretum executionis edere, observatis conditionibus in rescripto designatis. Ipsa executio est nudum ministerium aliis non delegabile, nisi in rescripto facultas subdelegandi concessa fuerit.

263. **Non solent Congregationes Romanæ, si excipias S. Pœnitentiariam, admittere recursus qui fiunt per epistolas;** neque, ex regula ordinaria, admittunt petitionem per telegraphum. Supplex libellus in unaquaque earum secretaria præsentari debet *de manu ad manum* per agentem ecclesiasticum, qui deinde sit responsionem requisiturus.

Supplicatio ad Papam dirigi solet sub his verbis: " Beatis-

sime Pater." Postea in linea infra posita inscribuntur nomen, qualitates, diœcesis et patria supplicantis; deinde simpliciter exponitur petitionis objectum.

264. **Proprium est Congregationum Romanarum ut sententiam pure et simpliciter dicant,** respondendo ad dubia proposita: *Affirmative*, vel *Negative;* ratio, quia repræsentant Supremum Legislatorem, qui, dum legem dicit, non tenetur manifestare rationem suæ voluntatis. Aliquando additur responso: *Ad mentem,* quæ verba significant explicandam esse sententiam ut *menti* Congregationis satisfaciat. Nonnulla alia occurrunt verba in responsionibus Sacrarum Congregationum, v. g. *Dilata*, id est, differtur responsio; *In decretis*, vel *In decisis*, id est, standum est priori sententiæ; *Providebitur in casibus particularibus*, id est, negatur responsio generalis, proponantur ideo casus determinati; *Facto verbo cum Sanctissimo*, id est, res ad Summum Pontificem fuit delata.

265. **Negotia quæ ad Sanctam Sedem deferuntur inter varias Congregationes distribuuntur,** quarum quædam ordinantur ad res fidei, sicut *S. C. Sancti Officii, S. C. Indicis, S. C. de Propaganda Fide;* quædam ordinantur ad disciplinam, sicut *S. C. Concilii, S. C. Episcoporum et Regularium, S. C. super residentia Episcoporum, S. C. Consistorialis, S. C. super visitatione apostolica;* quædam ordinantur ad liturgiam, ut *S. C. Rituum, S. C. Indulgentiarum et Reliquiarum, S. C. Cœremonialis;* quædam ordinantur ad administrationem, ut *S. C. a negotiis extraordinariis, S. C. Studiorum, Fabrica Sti Petri.*

266. **Præter Congregationes Romanas, habentur Tribunalia gratiæ,** quibus mediantibus Summus Pontifex concedit beneficia, v. g. *Dataria*, qua conceduntur gratiæ forum externum respicientes; *Pœnitentiaria*, qua erogantur dispensationes et absolutiones fori interni. Brevis erit sermo de congregationibus et de tribunalibus in sequentibus articulis.

ARTICULUS I.

De Congregationibus in specie.

DE S. CONGREGATIONE INQUISITIONIS

267. **Tribunal Inquisitionis ab Innocentio III fuit primo erectum,** ex consilio Sti Dominici, contra hæresim Albigensium. Gregorius IX officium Inquisitionis fratribus Ordinis Prædicatorum commisit, quod postea ab Innocentio IV fratribus Conventualibus fuit demandatum. Orta hæresi Lutherana, Paulus III instituit Sacram Universalis Inquisitionis Congregationem, quam confirmavit Sixtus V in sua bulla *Immensa.* Hæc congregatio solet vocari *Sanctum Officium,* quia sanctum est hæreticos inquirere, eorum conversionem curare et eorum contumaciam punire.

268. **S. C. Sti Officii inquirit et condemnat** fideles reos hæresis, schismatis vel apostasiæ et eorum scripta prohibet ; elargitur dispensationes ad matrimonium mixtum inter personas catholicas et hæreticas contrahendum ; qualificat propositiones, an sint erroneæ, suspectæ, hæresi proximæ, aut hæreticæ; respondet quæstionibus doctrinalibus quæ ad ejus examen proponuntur.

269. **Maxima est decretorum hujus congregationis auctoritas.** Eduntur a personis omnino competentibus, sive spectemus eorum doctrinam, sive eorum experientiam, et præfecturam hujus congregationis sibi reservavit Summus Pontifex. An vero decreta sint infallibilia, hoc pendet a parte quam in eis habuit Summus Pontifex. Infallibilitas est donum Summo Pontifici personale : unde ut decreta hujus congregationis habeantur ut irreformabilia, necesse est demonstrare ea esse actus papales. In praxi, hoc erit difficile, nam Summus Pontifex, cui referuntur hæc decreta, nihil aliud facit nisi permittere ut evulgentur, aut simpliciter ea pro

bare; jamvero hæc simplex permissio, aut hæc approbatio, relinquit ea responsa *inter actus congregationis,* nec ea efficit *actus papales* quibus inest infallibilitas.

Aliquando S. Pontifex, ex relatione S. Congregationis, sumit occasionem revocandi ad suum tribunal aliquod negotium; responsum datum per organum S. C. Sti Officii, *nomine* et *auctoritate* Summi Pontificis, fit *actus papalis,* cui inest infallibilitas, si res ordinetur ad fidem vel mores. *De Angelis, De Officio Judicis Ordinarii, n.* 10.

DE SACRA CONGREGATIONE INDICIS.

270. **Sacra Congregatio Indicis sic nuncupatur ab Indice,** seu *catalogo* librorum, qui ejus jussu prohibiti et in codicem fuerunt redacti. Pius IV commisit Concilio Tridentino ut indicem librorum prohibitorum et quasdam regulas conficeret; has regulas approbavit in constitutione *Dominici gregis.* Pius V commisit examen librorum speciali congregationi quam vocavit *Indicis;* eam sequentes pontifices confirmarunt et variis privilegiis et facultatibus auxerunt.

Concilium Tridentinum decem regulas edidit, quibus accesserunt plures constitutiones Romanorum Pontificum.

Leo XIII, propter mutatas temporis circumstantias, in sua constitutione *Officiorum et munerum,* 6 Feb. 1897, promulgavit novas regulas quas referimus.

Firma manente constitutione Benedicti XIV *Sollicita ac provida,* attendendum erit ad illas regulas.

271. **Regulæ Indicis.**

TITULUS I.—*De prohibitione librorum.*

I.—*De prohibitis apostatarum, hæreticorum, schismaticorum aliorumque scriptorum libris.*

1. Libri omnes, quos ante annum MDC aut Summi Pontifices, aut Concilia œcumenica damnarunt, et in novo Indice

non recensentur, eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt; iis exceptis, qui per hæc Decreta Generalia permittuntur.

2. Libri apostatarum, hæreticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum hæresim vel schisma propugnantes, aut ipsa Religionis fundamenta utcumque evertentes, omnino prohibentur.

3. Item prohibentur acatholicorum libri, qui ex professo de Religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri.

4. Libri eorumdem, qui ex professo de Religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, jure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint.

II.—*De Editionibus textus originalis et versionum non vulgarium Sacræ Scripturæ.*

5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacræ Scripturæ, etiam Ecclesiæ Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatæ, etsi fideliter et integre editæ appareant, iis dumtaxat qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicæ fidei dogmata, permittuntur.

6. Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliæ versiones Sacrorum Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editæ.

III.—*De versionibus vernaculis Sacræ Scripturæ.*

7. Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittatur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti quam utilitatis oriri; Versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectæ, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica

Sede approbatæ, aut editæ sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiæ Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

8. Interdicuntur versiones omnes Sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectæ, atque illæ præsertim, quæ, per Societates Biblicas a Romanis Pontificibus non semel damnatas, divulgantur, cum in iis saluberrimæ Ecclesiæ leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur.

Hæ nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur: iis servatis, quæ supra (n. 5) statuta sunt.

IV.—*De libris obscenis.*

9. Libri, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui hujusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur.

10. Libri auctorum sive antiquorum, sive recentiorum, quos classicos vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur, quos officii aut magisterii ratio excusat; nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut prælegendi erunt.

V.—*De quibusdam specialis argumenti libris.*

11. Damnantur libri, in quibus Deo, aut Beatæ Virgini Mariæ, vel Sanctis, aut Catholicæ Ecclesiæ ejusque Cultui, vel Sacramentis, aut Apostolicæ Sedi detrahitur. Eidem reprobationis judicio subjacent ea opera, in quibus inspirationis Sacræ Scripturæ conceptus pervertitur, aut ejus extensio nimis coarctatur. Prohibentur quoque libri, qui data opera Ecclesiasticam Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt.

12. Nefas esto libros edere, legere aut retinere in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliæque hujus generis superstitiones docentur vel commendantur.

13. Libri aut scripta, quæ narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quæ novas inducunt devotiones, etiam sub prætextu quod sint privatæ, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiæ licentia, proscribuntur.

14. Prohibentur pariter libri, qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis, vel aliis ejusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiæ et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur.

VI.—*De Sacris Imaginibus et Indulgentiis.*

15. Imagines quomodocumque impressæ Domini Nostri Jesu Christi, Beatæ Mariæ Virginis, Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiæ sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novæ vero, sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine Ecclesiasticæ potestatis licentia non publicentur.

16. Universis interdicitur indulgentias apocryphas, et a Sancta Sede Apostolica proscriptas vel revocatas quomodocumque divulgare. Quæ divulgatæ jam fuerint, de manibus fidelium auferantur.

17. Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia, etc., in quibus earum concessiones continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia.

VII.—*De libris liturgicis et precatoriis.*

18. In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Cæremonialis Episcoporum, Pontificalis romani, aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbato-

rum, nemo quidquam immutare præsumat: si secus factum fuerit, hæ novæ editiones prohibentur.

19. Litaniæ omnes, præter antiquissimas et communes, quæ in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, et præter Litanias de Beata Virgine, quæ in sacra Æde Lauretana decantari solent, et litanias Sanctissimi Nominis Jesu jam a Sancta Sede approbatas, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii.

20. Libros, aut libellos precum, devotionis, vel doctrinæ institutionisque religiosæ, moralis, asceticæ, mysticæ, aliosque hujusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo, præter legitimæ auctoritatis licentiam, publicet: secus prohibiti habeantur.

VIII.—*De Diariis, foliis et libellis periodicis.*

21. Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico jure proscripti habeantur.

Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de hujusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere.

22. Nemo e catholicis, præsertim e viris ecclesiasticis, in hujusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam, nisi suadente justa et rationabili causa, publicet.

IX.—*De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.*

23. Libros sive specialibus, sive hisce generalibus Decretis proscriptos, ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apostolica, aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates.

24. Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos Romani Pontifices Sacram Indicis Congregationem præposuere. Eadem nihilominus potestate gaudent, tum Suprema Sancti Officii Congregatio, tum Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini sub-

jectis. Pro Urbe tantum, hæc facultas competit etiam Sacri Palatii Apostolici Magistro.

25. Episcopi aliique Prælati jurisdictione quasi episcopali pollentes, pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus, licentiam concedere valeant. Quod si iidem generalem a Sede Apostolica impretraverint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex justa et rationabili causa concedant.

26. Omnes qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. Meminerint insuper qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, gravi se præcepto teneri hujusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant.

X.—*De denunciatione pravorum librorum.*

27. Quamvis catholicorum omnium sit, maxime eorum qui doctrina prævalent, perniciosos libros Episcopis, aut Apostolicæ Sedi denunciare; id tamen speciali titulo pertinet ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum doctrinæ laude florentium.

28. Expedit ut in pravorum librorum denunciatione non solum libri titulus indicetur, sed etiam, quoad fieri potest, causæ exponantur ob quas liber censura dignus existimatur. Iis autem ad quos denunciatio defertur, sanctum erit, denunciantium nomina secreta servare.

29. Ordinarii, etiam tanquam Delegati Sedis Apostolicæ, libros, aliaque scripta noxia in sua Diœcesi edita vel diffusa proscribere, et e manibus fidelium auferre studeant. Ad Apostolicum judicium ea deferant opera vel scripta, quæ subtilius

14

examen exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum, supremæ auctoritatis sententia requiri videatur.

TITULUS II.—*De censura librorum.*

I.—*De prælatis librorum censuræ præpositis.*

30. Penes quos potestas sit sacrorum bibliorum editiones et versiones approbare vel permittere ex iis liquet, quæ supra (n. 7) statuta sunt.

31. Libros ab Apostolica Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere: quod si ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id nunquam fiet, nisi obtenta prius sacræ Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea præscriptis.

32. Quæ ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus tuendis præpositæ publicari nequeunt.

33. Idem dicendum de Collectionibus Decretorum singularum Romanarum Congregationum: hæ nimirum Collectiones edi nequeant, nisi obtenta prius licentia, et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscujusque Congregationis præscriptis.

34. Vicarii et Missionarii Apostolici Decreta sacræ Congregationis Propagandæ Fidei præpositæ de libris edendis fideliter servent.

35. Approbatio librorum, quorum censura præsentium Decretorum vi Apostolicæ Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci in quo publici juris fiunt.

36. Regulares, præter Episcopi licentiam, meminerint teneri se, sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Prælato, cui subjacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur.

37. Si auctor Romæ degens librum non in Urbe, sed alibi imprimere velit, præter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii Apostolici, alia non requiritur.

II.—*De censorum officio in prævio librorum examine.*

38. Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatæ pietatis et doctrinæ viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiæ daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem.

39. De variis opinionibus atque sententiis (juxta Benedicti XIV præceptum), animo a præjudiciis omnibus vacuo, judicandum sibi esse censores sciant. Itaque nationis, familiæ, scholæ, instituti affectum excutiant, studia partium seponant. Ecclesiæ sanctæ dogmata, et communem Catholicorum doctrinam, quæ Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, atque Doctorum consensu continentur, unice præ oculis habeant.

40. Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur, Ordinarius, in scriptis et omnino gratis, illius publicandi licentiam, in principio vel in fine operis imprimendam, auctori concedat.

III.—*De libris præviæ censuræ subjiciendis.*

41. Omnes fideles tenentur præviæ censuræ ecclesiasticæ eos saltem subjicere libros, qui divinas Scripturas, Sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Jus Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicam, aliasve hujusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit.

42. Viri e clero seculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordi-

nariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum præbeant.

Idem prohibentur quominus, absque prævia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.

IV.—*De typographis et editoribus librorum.*

43. Nullus liber censuræ ecclesiascæ subjectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris præferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, justas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit.

44 Noverint typographi et editores librorum novas ejusdem operis approbati editiones, novam approbationem exigere, hanc insuper textui originali tributam, ejus in aliud idioma versioni non suffragari.

45. Libri ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma.

46. Quicumque librorum venditores, præcipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes, neque vendant, neque commodent, neque retineant: ceteros prohibitos venales non habeant, nisi a Sacra Indicis Congregatione veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant nisi prudenter existimare possint ab emptore legitime peti.

V.—*De pœnis in Decretorum Generalium transgressores statutis.*

47. Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicæ, libros apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrunt, Romano Pontifici speciali modo reservatam.

48. Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros, vel earumdem adnotationes vel commentarios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.

49. Qui vero cetera trangressi fuerint, quæ his Decretis Generalibus præcipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab Episcopo moneantur; et, si opportunum videbitur, canonicis etiam pœnis coerceantur.

272. **Facultas legendi libros damnatos a Sede Apostolica conceditur** Episcopis Canadensibus, in facultatibus extraordinariis eis concessis a S. Congregatione De Prop. Fide. Possunt subdelegare eamdem facultatem sive sacerdotibus, sive laicis, ad tenorem tamen indultorum. *Cf. num.* 29 *et* 30 *Introductionis.*

Qui habet generalem facultatem legendi libros in *Indice librorum prohibitorum* contentos, nequit licite legere libros proscriptos ab Ordinario, sine speciali ejusdem Ordinarii licentia, ut declaravit Sacra Congregatio Indicis ad episcopum Placentinum, 6 Dec. 1895.

DE SACRA CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE.

273. **Hæc Congregatio fuit instituta a Gregorio XV,** anno 1622, ut vigilaret propagationi et conservationi fidei in regionibus infidelium ; ea componitur ex cardinalibus numero pluribus, quorum unus præfecturam gerit, et habet secretarium et consultores ex utroque clero electos.

274. **Præcipuum hujus Congregationis munus** est ut operarios evangelicos mittat, quos missionarios vocant, ad fidem catholicam propagandam, eosque per regiones distribuat. Porro ut forma regiminis ecclesiastici aliquo modo observaretur, inductum est ut singulis missionibus territorium proprium adsignaretur, quod nomine Vicariatus Apostolici appellari solet, cui unus præficitur missionarius titulo et auctoritate Vicarii Apostolici, et qui solet charactere episco-

pali decorari. Vicariatus hujusmodi a Sacra Congregatione de Propaganda Fide dependet.

Præterea eidem Congregationi commissa est cura etiam nonnullarum regionum in quibus hierarchia ecclesiastica episcoporum existit; e. g. Ecclesiæ Angliæ, Hiberniæ, Statuum Fœderatorum atque Dominii Canadensis, licet fundatæ ibi sint sedes episcopales, adhuc sub jurisdictione Sacræ hujus Congregationis perseverant. Regula est ut quoties hierarchia ecclesiastica in aliqua regione constituitur, ipsæ litteræ apostolicæ quæ sedes episcopales erigunt, decernant simul utrum necne novæ sedes a jurisdictione S. Cong. de Prop. Fide eximantur.

275. **Sacra Congregatio de Prop. Fide in locis sibi subjectis amplissimam auctoritatem exercet,** et æquiparari potest auctoritati qua reliquæ Congregationes Romanæ in aliis regionibus utuntur; imo majori etiam pollet auctoritate. Etenim hæc S. Congregatio tractat etiam negotium deputationis Vicariorum Apostolicorum in locis missionum, et electionis episcoporum in diœcesibus jam constitutis et a se dependentibus. Unde Summus Pontifex per organum hujus Congregationis pro locis eidem Congregationi subjectis providet de novis pastoribus.

276. **Potestas huic Congregationi competens** ita describitur in constitutione *Inscrutabili divinæ Providentiæ* Gregorii XV: "Volentes ut (Cardinales)...omnia et singula negotia ad fidem in universo mundo propagandam pertinentia cognoscant et tractent, et graviora...quæ tractaverint ad nos referant; alia vero per seipsos decidant et expediant pro eorum prudentia. Missionibus omnibus ad prædicandum et docendum Evangelium, et catholicam doctrinam superintendant, ministros necessarios constituant et mutent. Nos enim eis tam præmissa quam omnia et singula alia desuper necessaria et opportuna, etiam si talia fuerint,

quæ specialem, specificam et expressam requirunt mentionem, faciendi, gerendi, tractandi, agendi et exsequendi, plenam, liberam et amplam facultatem, auctoritatem et potestatem apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus et impertimur."

Quapropter quoad loca sibi subjecta, S. Congregatio de Prop. Fide omnia negotia pertractat, et pro locis missionum munera ceterarum congregationum in se comprehendit et exercet: hinc dicitur de ea quod *habet in ventre ceteras congregationes*. Quare episcopi, missionarii, ceterique omnes qui in regionibus missionum degunt, recurrere debent ad S. C. de Prop. Fide; hæc vero S. Congregatio sæpe res e locis missionum ad alias Congregationes, solutionis causa, refert.

277. **Causæ quæ ad Congregationem proponuntur sunt gratiosæ vel contentiosæ.** Res gratiosæ, si sint levioris momenti, a Cardinali Præfecto et Secretariis, in aliquo congressu, solvuntur.

Quoad negotia gravioris momenti, sive judicialia, sive extrajudicialia, in congregatione omnium cardinalium proponuntur. Habita sententia, non datur appellatio, quia non est tribunal superius ad quod fieret. Propter nova argumenta, S. Congregatio concedit *beneficium novæ audientiæ* ut quæstio eadem proponatur coram cardinalibus.

278. **Pius IX, in const. Romani Pontifices,** volens providere negotiis ritus orientalis, instituit specialem congregationem cui præest Cardinalis Præfectus Congregationis de Prop. Fide; habet proprios tamen consultores, distinctum secretarium cum aliis officialibus. Hæc Congregatio retinet titulum *de Propaganda Fide*, cum hac tantum additione: *pro negotiis ritus orientalis.*

279. **Urbanus VIII, constitutione sua Romanus Pontifex,** Romæ erexit collegium in quo adolescentes e locis missionum electi, catholicis doctrinis imbuerentur et

idonei fierent ad conversionem infidelium et hæreticorum facilius procurandam. Collegium hujusmodi a pontifice, auctore suo, nuncupatum fuit *Collegium Urbanum*. Habet hæc Sacra Congreg. de Prop. Fide celebrem *officinam typographicam* in qua imprimuntur libri cujuscumque idiomatis ad usum missionum.

DE SACRA CONGREGATIONE CONCILII

280. **Pius IV, confirmans Concilium Tridentinum, prohibuit ne quisquam ederet commentaria** circa decreta ipsius Concilii, et Sedi Apostolicæ reservavit difficultates solvendas et controversias decidendas ; eodem tempore, commisit octo cardinalibus potestatem urgendi executionem decretorum Concilii Tridentini. Sixtus V hanc Congregationem confirmavit, ipsi commisit officium interpretandi decreta disciplinaria, pontifice consulto, et sibi reservavit interpretationem decretorum doctrinalium.

Præter facultatem interpretandi decreta disciplinaria Concilii Trid., hæc Congregatio expendit et approbat decreta conciliorum provincialium ; audit postulata episcoporum, quando limina Apostolorum visitant, et eorum relationes recipit ; promovet reformationem cleri et populi, et ad hoc, si velit, utitur potestate legislativa, judiciaria et executiva ; reducit onera missarum propter reddituum imminutionem ; definit quæstiones respicientes irregularitatem clericorum, et Summo Pontifici proponit dispensationes, quoties rationes pro eis concedendis militant ; cognoscit quæstiones excardinationis et incardinationis clericorum ad aliam diœcesim. Tandem inter alia ligitia quæ ei submittuntur, cognoscit causas matrimoniales ad S. Sedem delatas, et sententiam profert de validitate vinculi et opportunitate consulendi Summo Pontifici ut dignetur dispensare a matrimonio rato et non consummato.

281. **Qualis est valor decretorum S. C. Concilii ?**

Ejus decreta vel exhibent declarationem juris, vel juris applicationem alicui facto particulari.

1° S. Congregatio nequit edere declarationem quæ sit *juris extensiva*, nempe aliquid decernere ultra legem Tridentinam; hujusmodi decretum non obligaret sine speciali approbatione Pontificis, facta promulgatione debita. Ejus vero declarationes quæ comprehensivam decretorum interpretationem exhibent, omnes obligant, modo constet de earum authenticitate. Neque necessaria est nova promulgatio, quia, juxta sententiam communem, interpretatio quæ jus novum non condit sed jus antiquum explicat *comprehensive*, novam promulgationem non requirit. Frequentes non sunt resolutiones S. C. Concilii in forma generali et abstracta; hodie S. C. Concilii, ad instar alicujus tribunalis, quæstiones particulares solvit et quæstionibus particularibus jus constitutum applicat. *Bargilliat, Prœl. Jur. Can., vol. I, n.* 475.

2° Si resolutio S. C. Concilii sit applicatio juris existentis ad casum particularem, procul dubio obligat personas contra quas fertur et verum jus tribuit personis quibus favet. Respectu personarum quæ casum non proposuerunt, licet in eadem conditione versentur, resolutiones hujusmodi vim non habent, neque jus faciunt. Decisio enim in casu particulari considerari potest ut sententia judicis, quæ ad personas extraneas minime extenditur, quia " regulariter aliis non nocet res inter alios judicata;" *De Angelis et Santi, apud Bargilliat, loco citato.* Sed si circumstantiæ omnino similes verificentur, judex ordinarius resolutione S. C. Concilii uti potest ad similem quæstionem decidendam. Resolutiones Sacrarum Congregationum plurimi æstimandæ sunt ob auctoritatem ex qua dimanant et ob maturitatem examinis quod eisdem præmitti solet.

3° Ab anno 1718, decisiones S. C. Concilii typis fuerunt mandatæ et hæc collectio vocatur " *Thesaurus resolutionum S. C. Concilii.*"

DE SACRA CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

282. **Sixtus V duplicem congregationem instituerat,** unam *super consultationibus Episcoporum*, aliam *super consultationibus Regularium ;* decursu temporis, ex utraque facta est una congregatio.

283. **Ad eam spectant omnes causæ quæ episcopos et diœcesium administrationem respiciunt;** ad eam fiunt recursus contra episcopos et eorum vicarios generales, sive ab ipsorum subditis, sive a regularibus; ad eam spectant causæ quæ familias religiosas respiciunt: nam dirimit querelas inter eas, urget executionem constitutionum apostolicarum, supprimit monasteria, permittit transitum de una congregatione ad aliam, judicat de validitate professionis religiosæ, approbat regulas novarum familiarum religiosarum, etc., et, teste Card. de Luca, hæc Congregatio est omnium occupatissima.

DE S. CONGREGATIONE SUPER RESIDENTIA EPISCOPORUM.

284. **Illam instituit Urbanus VIII in constitutione Synodus,** ut vigilaret in observantiam legis residentiæ episcoporum tantopere a Tridentino ipsis inculcatæ. Habuit potestatem maxime executivam, sed etiam judicialem ad inquirendum in episcopos non residentes, eosque puniendos debitis pœnis. Moderno tempore, hæc Congregatio, ob generalem residentiæ observantiam, quasi disparuit; Vicarius Urbis est ejus præfectus et munere secretarii fungitur secretarius S. C. Concilii. *Lega, De Congregationibus Romanis.*

DE S. CONGREGATIONE CONSISTORIALI.

285. **Hanc Congregationem instituit Sixtus V** in sua bulla *Immensa.* Hæc Congregatio cognoscit " legitimas causas erectionum novarum ecclesiarum quarumcumque patriarchalium, metropolitanarum et cathedralium, ac de cujus-

cumque earum dote, capitulo, clero, populo et aliis quæ ad ejusmodi erectiones necessaria sunt; " examinat omnes controversias circa dictarum ecclesiarum uniones, dismembrationes, cessationes, permutationes, translationes; providet ecclesiis cathedralibus per electiones pastorum, vel electionis aut præsentationis confirmationes et coadjutorum deputationes, etc. Hæc Congregatio præparat negotia in consistorio agitanda et solvenda, et quasi suggerit Summo Pontifici quid opportunum sit.

286. **Hæc Congregatio habet triplex consistorium.** 1° *In consistorio secreto*, cui interest Papa, fiunt promotiones cardinalium, provisiones ad ecclesias cathedrales, episcoporum translationes, diœcesium creationes, uniones et dismembrationes, concessiones *pallii*. Solet Summus Pontifex alloqui *Sacrum Collegium* de statu generali Ecclesiæ, vel de aliqua controversia, aut hæresi, exprimens quid probet, rejiciat, doleat et condemnet.

2° *Consistorium semi-publicum* celebratur pro causis canonizationum, et in eo ejusmodi canonizationes præparantur.

3° *Consistorium publicum* celebratur pro regum receptione, et præsertim pro traditione insignium cardinalibus recenter creatis.

DE S. CONGREGATIONE SUPER VISITATIONE APOSTOLICA.

287. **Summus Pontifex, sicut alii episcopi, debet suam diœcesim visitare.** Cum, cura Ecclesiæ universalis, ab illo distrahatur munere, huic supplet per S. C. super visitatione apostolica, quam instituit Clemens VIII, et cujus cura Eminentissimo Cardinali Urbis demandatur.

Pius X, ne tanto officio deesset, aliquam specialem commissionem instituit quæ ecclesias Urbis visitaret, et in suo brevi 3 Martii 1904 indicavit quomodo fieri debeat visitatio et quænam jurisdictio visitatoribus devolvatur.

DE S. CONGREGATIONE RITUUM.

288. **Hæc Congregatio fuit instituta a Sixto V** ut veteres ritus sacri in missis, divinis officiis, sacramentorum administratione observentur ; ut libri, præsertim Pontificale, Rituale, Cœremoniale, reformentur ; ut processus circa beatificationem et canonizationem sanctorum perficiantur. Munus huic congregationi demandatum est duplex : unum ordinarium circa ritus, aliud extraordinarium circa beatificationem et canonizationem servorum Dei.

289. **Inter se differunt beatificatio et canonizatio.**

1° *Canonizatio* est solemne judicium quo Beatus catalogo sanctorum adscribitur et venerationi totius Ecclesiæ proponitur; *beatificatio* est concessio a Summo Pontifice facta alicui regno, vel ecclesiæ, ut aliquis honoretur cultu publico.

2. Olim beatificatio servorum Dei ab episcopis perficiebatur, sed a tempore Alexandri III evasit causa major, cujus judicium ad Summum Pontificem devolvitur.

290. **Duplex est canonizatio aut beatificatio.**

1° Canonizatio *formalis*, juxta *Benedictum XIV*, *De Canonizatione*, est " sententia definitiva S. Pontificis qua decernit aliquem beatum in sanctorum catalogum esse referendum et coli debere in toto orbe catholico atque in universa Ecclesia, cultu illo qui cæteris canonizatis præstatur." Beatificatio *formalis* est actus quo Romanus Pontifex indulgendo permittit aliquem Dei servum coli in aliqua provincia, diœcesi, civitate aut familia religiosa, cultu quodam determinato ac beatis proprio.

2° Canonizatio *æquipollens* est Ecclesiæ judicium implicitum, et sita est in cultu publico a tota Ecclesia alicui Dei servo exhibito, quin præcesserit formale decretum illius sanctitatem definiens. Item beatificatio *æquipollens* est judicium implicitum Ecclesiæ quod consistit in cultu publico alicui servo Dei exhibito, sciente et tacente Ecclesia.

291. **Quoad modum procedendi in beatificatione et canonizatione.**

1° Primitus in concilio legebantur acta et declaratio authentica testium circa virtutes et miracula intercessione servi Dei patrata, et proferebatur sententia qua Servus Dei inter Beatos vel Sanctos erat adscribendus. Urbanus VIII, in pluribus decretis, statuit Ecclesiam non recognoscere beatos et sanctos nisi quos per Summos Pontifices denuntiaverit, habito vero processu.

2° Non proceditur ad examen virtutum ante lapsum 50 annorum a morte servi Dei, nisi Pontifex dispensaverit. Ab Ordinario loci faciendæ sunt informationes circa famam virtutum et miraculorum et circa observationem decretorum Urbani VIII, quæ vetant cultum publicum nondum beatificato exhiberi. Illæ informationes ad S. C. Rituum remittuntur, quæ examinat an adsit fundata spes perveniendi ad beatificationem servi Dei; si hoc constet, declaratur apertus processus apostolicus, et servus Dei incipit vocari *Venerabilis Dei Servus*. Postea, nomine Pontificis, examinantur omnia servi Dei scripta, et si quædam sententiæ sint censura dignæ, non proceditur ultra. Fit processus circa virtutes modo heroico professas et circa miracula intercessione servi Dei patrata; hæc omnia agitantur, præsente Promotore Fidei, in tribus congregationibus, quarum prima fit præsente Cardinali relatore cum solis consultoribus, secunda fit coram omnibus Cardinalibus, ultima fit coram Summo Pontifice, præsentibus Cardinalibus et consultoribus. Summus Pontifex, habita Congregationis sententia, fusis precibus, si opportuuum judicaverit, manifestat suam intentionem beatificandi.

3° Si ad canonizationem procedendum sit, novus processus erit conficiendus circa duo miracula post beatificationem patrata.

DE S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM ET RELIQUIARUM.

292. **Hanc Sacram Congregationem instituit Clemens IX** constitutione *In ipsis*, anno 1669, cum facultate "omnem difficultatem ac dubietatem in sanctorum reliquiis aut indulgentiis emergentem, quæ ad fidei dogma non pertineat, expediendi; ac si qui abusus in eis irrepserint, illos, judicii forma plane postposita, corrigendi et emendandi; causas vero judicialem formam requirentes ad proprios judices remittendi; *falsas, apocryphas, indiscretasque indulgentias* typis imprimi vetandi, impressasque recognoscendi et examinandi; *reliquias de novo inventas* recognoscendi et examinendi." Const. *In ipsis.*

1° Ex *motu proprio* Pii X 28 Jan. 1904, hæc Congregatio S. Congregationi Rituum fuit unita "salvis ex integro manentibus sui muneris, officialium et facultatum ratione et forma hucusque servatis."

2° Exstat authentica collectio decretorum S. C. Indulg. et Rel., cui titulus: "*Decreta authentica S. Congregationis Indulgentiis et Reliquiis præpositæ, edita jussu et auctoritate SS. D. N. Leonis XIII.*"

DE SACRA CONGREGATIONE CŒREMONIALI.

293. **Hæc S. Congregatio curam exercet** circa ritus et cœremonias tum sacras, tum civiles quæ in Curia Romani Pontificis observantur.

Hæc Congregatio vigilat ut leges sacræ liturgiæ in publicis functionibus papalibus custodiantur et rite adimpleantur. Resolvit quæstiones respicientes præeminentiam inter cardinales, inter prælatos, necnon inter alias personas quæ jus habent sacris functionibus adsistendi.

DE S. CONGREGATIONE STUDIORUM.

294. **Hanc Congregationem instituit Sixtus V** ut promoveret studiorum progressum et puritati doctrinæ vigi-

laret. Leo XII, in constitutione *Quod divina Sapientia*, omnes universitates Ditionis temporalis subjecit huic Congregationi; ad eam erant deferendæ controversiæ inter illas universitates orientes. Hodie hæc Congregatio exercet munus vigilantiæ in gymnasiis et universitatibus studiorum catholicorum, concedit privilegia et dirimit quæstiones quæ forte oriuntur circa privilegia et jura jam concessa vel concedenda.

DE S. CONGREGATIONE SUPER NEGOTIIS EXTRAORDINARIIS.

295. **Hanc Congregationem instituit Pius VI, super negotiis ecclesiasticis regni Galliarum ;** ordine in Gallia restituto, alia negotia extraordinaria fuerunt Congregationi demandata, ita ut inter congregationes ordinarias hodie sit adscribenda. Competentiæ hujus congregationis præcipue tribuuntur negotia respicientia relationes inter Ecclesiam et civiles Status. Ejus examini submittuntur conventiones, vulgo *concordata*, quæ cum Moderatoribus Statuum a Sancta Sede ineuntur.

Præterea eadem S. Congregatio negotia omnia ecclesiastica pro regionibus Imperio Russico subjectis, necnon pro regionibus Americæ meridionalis exclusive pertractat, eodem modo quo S. Congregatio de Propaganda Fide pro locis missionum. Unde quoad dictas regiones in rebus ecclesiasticis, concedit facultates et indulta. *Santi, Præl. Jur. Can., lib. I, tit. XXXI, n.* 132.

DR S. CONGREGATIONE FABRICÆ STI PETRI.

296. **Hanc Congregationem instituit Julius II** ad restaurandam Basilicam Vaticanam vetustate collabentem. Hæc Congregatio, ad quam pertinent clerici et laici, reducit pia legata et onera missarum, administrat bona Ecclesiæ et reparat basilicam. Ad Congregationem pertinet celebre "*Studio del mosaico*" institutum ad ornandam basilicam Sti

Petri, et ex quo tot artis opera prodierunt. *Lega, De Congregationibus Romanis.*

297. **Præter has congregationes quas ordinarias** vocamus, aliæ sunt quas, oriente controversia, Summus Pontifex instituit *ad tempus* et quæ sunt *extraordinariæ.* Nostro scopo sufficiat principales congregationes enumerasse et earum competentiam indicasse.

ARTICULUS II.

De tribunalibus gratiæ.

298. **Præter Congregationes, Romani Pontifices instituerunt quædam officia** quibus utuntur in gratiarum et beneficiorum erogatione, quæ, hac ratione, vocantur *tribunalia gratiæ.* Quatuor sunt officia præcipua, nempe Cancellaria, Dataria, Pœnitentiaria, et Secretaria Brevium.

299. **Cancellaria Apostolica** est illud tribunal gratiæ quod præparat et expedit bullas pro negotiis consistorialibus. Cancellaria Præfectum habet Cardinalem, qui vocatur Vice-Cancellarius, et plures alios officiales, qui occupantur in revisione, transcriptione, consignatione et expeditione litterarum apostolicarum. Cancellaria fungitur officio notarii S. Congregationis Consistorialis ; ad eam referuntur nominationes ad officia ecclesiastica ut bullas conficiat et ad eos transmittat qui ad hæc officia fuerunt præfecti.

300. **Cancellaria Apostolica attendere debet ad quasdam regulas quæ vocantur regulæ Cancellariæ.**

1° Hæ regulæ fuerunt scripto mandatæ jussu Joannis XXII ; vigent tantummodo sub Pontifice regnante, et, illo mortuo, revocantur, sed singuli Pontifices, statim post suam promotionem, easdem renovant, ita ut constituant partem juris communis.

2° Regulæ Cancellariæ Apostolicæ sunt numero 72. Referuntur potissimum ad res beneficiales et ad concessionem dispensationum et aliarum gratiarum. Per illas regulas, S. Pontifex declarat quæ beneficia reserventur suæ dispositioni (Reg. I-XI); revalidat et in statum pristinum reducit litteras gratiæ vel justitiæ a suo prædecessore datas infra annum ante diem ejus obitus, et non præsentatas temporibus debitis earum executoribus (Reg. XII); revocat nonnullas gratias, seu facultates concessas quæ suum effectum non adhuc sunt sortitæ, quas opportunum judicat novo examini subjici (Reg. XIII-XV); statuit quæ ratio servanda sit in concessione beneficiorum, ne justitia postponatur, ut præcaveantur fraudes ex parte sollicitantium, ut causa litium removeatur et litibus exortis finis celerius detur (Reg. XVII-XLVIII-LV-LXVIII); in ceteris regulis præfinit quid exprimi debeat, et quomodo intelligi valeant litteræ concessionis.

Has regulas reperies apud *Ferraris, Bibliotheca Canonica,* ad verbum *Beneficium, art. IX.*

301. **Dataria,** sic dicta quia primitus erecta fuit ut *datam* seu epocham certam gratiæ concessæ accurate notaret, est tribunal unde procedunt gratiæ quas in foro externo Summi Pontifices concedere solent, uti collationes beneficiorum quæ non sunt consistorialia, reservationes pensionum, dispensationes ab impedimentis et irregularitatibus publicis et alia quæ indicantur in constitutione *Gravissimum* Benedicti XIV.

Dataria præsidem habet Cardinalem, qui vocatur Pro-Datarius, et plures alios officiales.

302. **Dataria in dispensationibus concedendis duplicem taxam imponere solet.** Alia, quæ proprio nomine vocatur *taxa,* est pro officialibus S. Datariæ, aliisque expensis necessariis. Hæc taxa non eadem est pro omnibus dispensationibus, sed semper reducitur ad pauca scutata. Alia, quæ

dicitur *componenda* seu *compositio*, est eleemosyna in pios usus eroganda.

In locis missionum, v. g. in hac regione, omnes dispensationes matrimoniales pro utroque foro regulariter petuntur mediante S. Congregatione de Propaganda Fide, et sunt gratuitæ; attamen episcopi canadenses, ex facultate speciali Formulæ extraordinariæ T, oratoribus aliquam taxam imponunt in executione dispensationum.

Sede Apostolica vacante, Dataria quiescit, cum potestas Cardinalis Pro-Datarii expiret per obitum Pontificis.

303. **Pœnitentiaria instituta fuit præsertim in ordine ad forum pœnitentiale,** ut obtineatur absolutio a peccatis et censuris Sanctæ Sedi reservatis. Ampliores tamen facultates accepit: dispensat ab impedimentis et irregularitatibus occultis in foro interno; omnia quæ ad conscientiæ levamen et directionem referuntur, v. g. commutationes votorum, dispensationes a recitatione officii divini, resolutiones dubiorum in materiis fori conscientiæ, S. Pœnitentiariæ competunt; dispensat super impedimentis publicis, sed *in forma pauperum*.

Sacræ Pœnitentiariæ præest Cardinalis qui vocatur *Major Pœnitentiarius*, habens sub se *Pœnitentiarios minores*, qui certis diebus basilicas Romæ adeunt ut confessiones audiant; præterea adsunt plures officiales minores, v. g. theologus, canonista, datarius, consultores, etc.

304. **Omnes, sive fideles, sive clerici, recurrere possunt ad Pœnitentiariam,** litteras quocumque idiomate exaratas dirigendo ad Em. Card. Pœnitentiarium. Aliquando confessarii debent ad Sacram Pœnitentiariam recurrere pro absolutionibus et dispensationibus, sive quia episcopus non posset absolvere aut dispensare, sive quia episcopus posset suspicari quænam sit persona pro qua ad ipsum recurritur, cum detrimento sigilli confessionis. Confessarius, non

expresso nomine sui pœnitentis, hoc modo recursum habere poterit:

"Titia mulier emisit votum simplex castitatis; manet in periculo castitatis nisi nubat; supplicat secum dispensari in voto ad effectum contrahendi matrimonium." Sub fine epistolæ exprimitur nomen illius ad quem dirigendum est responsum, ideoque epistola solet concludi sequenti formula: "Dignetur Eminentia Vestra rescribere ad..." (nomen et locus).

Sacra Pœnitentiaria annuens precibus mittit rescriptum ut gratia executioni mandetur. Rescripta S. Pœnitentiariæ pro sua ipsorum executione committuntur vel Episcopo, vel Vicario Generali, vel confessario; quando fuerunt impetrata a pœnitente, committuntur "cuilibet confessario inter approbatos ab Ordinario."

305. **Sede Apostolica vacante, non cessat officium Majoris Pœnitentiarii,** qui expedire valet quæcumque *ad forum conscientiæ* pertinent; ideoque potest absolvere *ab eis quoque censuris a quibus, vivente Pontifice, non poterat,* hac tamen lege quod in hujusmodi censuris *ad tempus tantum et cum reincidentia* in easdem, absolutio concedatur. Hinc qui fuerunt absoluti, ad novum Pontificem intra terminum definiendum tenentur recurrere pro eadem causa. Const. *Pastor bonus* Bened. XIV.

306. **Secretaria Brevium** instituta est pro expeditione litterarum Pontificis quæ emittuntur in forma *Brevis,* sub annulo piscatoris. Ab hoc tribunali gratiæ expediuntur dispensationes, absolutiones, concessiones gratiosæ quæ per bullam expediri non debent.

APPENDIX

DE FAMILIA PONTIFICIA

307. **Ad familiam pontificiam plures adscribuntur clerici, officii aut honoris causa.** Quidam verum officium apud Pontificem obeunt; quidam honoris causa inter membra familiæ pontificiæ adnumerantur. Nobiliora membra sunt cardinales, quorum quidam dicuntur *palatini* seu in palatio Pontificis commorantes; postea veniunt prælati palatini, ut Majordomus, Auditor S. Sanctitatis, Magister Sacri Palatii, patriarchæ, archiepiscopi et episcopi adsistentes solio pontificali, protonotarii, prælati domestici, camerarii apostolici, capellani S. Sanctitatis, etc.

308. **Protonotarii originem ducunt a septem notariis** quos in septem Romæ regionibus S. Clemens I constituit ad conscribenda acta martyrum, et qui, transacto persecutionum tempore, litteras pontificales exararunt. Ut a cæteris notariis distinguerentur vocati sunt *Protonotarii*, quasi *primi-Notarii*.

309. **Protonotarii dividuntur in quatuor ordines:** 1° protonotarii de numero participantium, qui numero septem constituunt aliquod collegium; 2° protonotarii apostolici supranumerarii; 3° protonotarii ad instar participantium; 4° protonotarii honorarii. Ex Motu proprio Pii X *Inter multiplices*, 21 Feb. 1905.

310. **Proprium officium Protonotariorum participantium** est acta et gesta S. Pontificis in scriptis authenticis consignare.

Plurimis privilegiis donantur, quorum hæc sunt præcipua: 1° Sunt familiares et prælati domestici, et, qua tales, habent jus percipiendi, licet absentes, fructus suæ præbendæ; 2° eximuntur a jurisdictione Ordinarii et soli S. Pontifici sunt

immediate subjecti; 3° jus habent creandi, singulis annis, quatuor doctores in facultate theologica, et quatuor in jure canonico vel in utroque jure; 4° habent privilegium oratorii privati et altaris portatilis; 5° præcedunt omnes alios prælatos, solis exceptis episcopis.

Quoad eorum habitum prælatitium, confer constitutionem apostolicam citatam.

311. **Protonotarii apostolici supranumerarii** ex illis assumuntur qui canonicatu potiuntur in tribus capitulis basilicarum Sti Joannis Lateranensis, Sti Petri in Vaticano et Stæ Mariæ Majoris; item ex illis qui dignitate aut canonicatu potiuntur in capitulis aliarum quarumdam ecclesiarum, quibus privilegia protonotariorum *de numero* Apostolica Sedes concesserit ubique fruenda.

Illi protonotarii 1° gestare valent habitum prælatitium violacei coloris; 2° gaudent indulto oratorii privati domi rurique, ab Ordinario loci visitandi atque approbandi; 3° conficere possunt acta in causis beatificationis et canonizationis servorum Dei, quo privilegio uti non poterunt si in loco sit alter e collegio protonotariorum participantium. *Cf. Motu proprio Inter Multiplices.*

312. **Protonotarii ad instar participantium** sunt illi clerici quibus Apostolica Sedes hunc honorem contulit.

Illi protonotarii deferunt habitum prælatitium violacei coloris, gaudent juribus præcedentiæ, privati oratorii, non autem diebus solemnioribus, etc. *Cf. Motu proprio citatum.*

313. **Protonotarii titulares seu honorarii** sedent in gradu inferiori in collegio protonotariorum.

Extra Urbem deferunt habitum prælatitium nigri coloris.

Qui vicarii generalis aut etiam capitularis munere funguntur, hoc munere tantum perdurante, sunt protonotarii titulares.

314. **Ad familiam pontificiam plures alii adscri-**

buntur, quales sunt *prælati domestici, camerarii, capellani*, etc. Quidam verum officium adimplent in Curia, quidam, sine officio, solis honoribus hujus tituli honestantur.

CAPUT III

DE LEGATIS ET DELEGATIS APOSTOLICIS

315. " **Legati Apostolici** ii sunt qui a Romano Pontifice in certam provinciam mittuntur ad ecclesiastica negotia nomine S. Sedis administranda ". Pius VI, in brevi *De Nuntiaturis Apostolicis*, 20 *Jan.* 1790.

Dicitur *in certam provinciam*, quo legatus Papæ ab ejus delegato differt ; nam delegatus Pontificis dicitur ille cui una tantum vel certæ causæ committuntur terminandæ, dum legato competit auctoritas cognoscendi omnes causas commissæ sibi provinciæ, tanquam judici ordinario.

316. **Non est denegandum Romanum Pontificem posse mittere legatos apostolicos in ecclesias particulares :** " Agitur de graviori atque insigniori jure primatus in Petro ejusque successoribus a Christo instituti, quo præditus Romanus Pontifex, dum agnorum et ovium sibi concreditorum curam gerit universam, suo fungitur apostolico munere per ecclesiasticos viros, sive stabiles, sive ad tempus, veluti magis expedire censuerit, delegatos, præcipiens eisdem ut ibi suas vices obeant, eamque jurisdictionem exerceant quam Is per se, si adesset, exerceret." *Pius VI, in brevi relato.*

1° In historia legimus Romanos Pontifices habuisse legatos seu nuntios in Aula Constantinopolitana, quorum officium erat inter Ecclesiam et Statum pacem fovere ; a Græcis vocabantur *Apocrysarii*, a Latinis *Responsales*, quia responsa Papæ Imperatori communicabant, et vice versa.

2° Præter hos nuntios, officium delegationis fuit annexum quibusdam sedibus principalioribus, ita ut episcopi ad has sedes evecti *ipso facto* essent legati Sanctæ Sedis : exinde ortæ sunt *legationes natæ* Arelatensis in Gallia, Cantuariensis in Anglia, Hispalensis in Hispania, Pisana in Italia.

3° Præter legatos natos, Romani Pontifices consuluerunt utilitati fidelium per alios legatos quos, pro temporum opportunitate, mittebant, et qui, per oppositionem ad legatos natos, vocati fuerunt *legati missi Sanctæ Sedis.* Quando hi delegati erant dignitate cardinalitia ornati, vocabantur *legati a latere*, quasi assumpti a latere ipsius Summi Pontificis.

317. **Hodie Sancta Sedes habet legatos qui dicuntur nuntii et internuntii.**

Horum legatorum duplex est missio : una scilicet penes Imperatorem, Regem aut Primum Reipublicæ Magistrum ad fovendam pacem inter Ecclesiam et Statum, et sub hoc respectu æquiparari possunt antiquis *Apochrysariis*, altera apud episcopos et fideles, et sub hoc respectu imitantur antiquos *legatos missos* aut *natos*.

318. **Nuntii et internuntii habent attributiones et facultates determinatas a Summo Pontifice,** quibus adhærere debent ; quoad alios legatos, qui aliquando mittuntur cum jurisdictione ordinariâ, eorum jurisdictio determinatur in eorum litteris missionis. Potissima est potestas *legati a latere :* quando ingreditur suam provinciam, suspenditur potestas aliorum legatorum ; semel egressus ab Urbe, exercet jurisdictionem voluntariam etiam in personas extraneas a sua provincia ; in territorio suæ legationis, præcedit omnes episcopos, archiepiscopos et primates, imo ipsos etiam cardinales antiquiores et altioris ordinis. *Sebastianelli, De Clericis, n.* 94.

319. **Potestas legatorum cessat pluribus modis :**

1° *Finito tempore legationis*, si ad certum tempus legatus fuit constitutus ; 2° *morte ipsius legati*, quia munus lega-

tionis est omnino personale ; 3° *revocatione a Summo Pontifice,* modo legato intimetur ; 4° *discessu* legati a provincia sibi commissa cum animo non redeundi, quia si egrediatur ad tempus amittit jurisdictionem contentiosam, non voluntariam ; 5° *morte ipsius Pontificis,* quando legatus fuit missus cum clausula : *ab beneplacitum nostrum.* Generatim legati mittuntur *ad beneplacitum Sanctæ Sedis,* et eorum potestas non expirat morte Summi Pontificis.

320. **A nuntiis et internuntiis non multum differre videntur ii Delegati Apostolici,** qui Summi Pontificis vices gerunt in aliqua provincia modo permanenti, quales sunt Delegati Apostolici pro Statibus Fœderatis et pro Dominio Canadensi. Differunt in eo quod non obeunt munus *officiale* apud gubernium civile ; cum illis vero conveniunt in eo quod, complementum ecclesiasticæ hierarchiæ, personam Summi Pontificis apud Catholicos repræsentant, faciliorem, intimioremque reddunt cum Romana Cathedra conjunctionem. *Cf. litteras Card. Præfecti Cong. de Prop. Fide ad Episcopos Canadenses,* 20 *Aug.* 1899.

321. **Summa est dignitas et potestas Excellentissimi Delegati Apostolici hujus Dominii,** qui præest hierarchiæ ecclesiasticæ per totum Dominium diffusæ, et Summum Pontificem repræsentat apud archiepiscopos, episcopos, clericos et fideles hujus regionis.

1° Ea jurisdictione est instructus unde hujus regionis conditioni studeat, controversias sua prudentia et judicio solvat, causas vero graviores, de quibus præsertim agit Tridentinum, sess. XXIV, cap. 20, De Ref., judicio Sanctæ Sedis referat. *Breve apostolicum* 13 *Aug.* 1899.

2° Præterea Excellentissimus habet omnes facultates concessas episcopis per formulas I et T. Demum supponi potest Delegatum Apostolicum pluribus facultatibus pollere quæ publici juris non fiunt. *Putzer, Commentarium in facultates, n.* 27.

3° Excellentissimus Delegatus nominatur *ad beneplacitum Summi Pontificis et Sanctæ Sedis,* ideoque ejus jurisdictio non suspenditur per mortem Summi Pontificis.

322. **Delegatus Apostolicus extraordinarius definitur :** Persona ecclesiastica quæ mittitur ad aliquam provinciam unde exerceat jurisdictionem ex commissione Summi Pontificis.

Delegatus differt a legato, qui jure proprio et vi muneris exercet jurisdictionem, dum delegatus eam obtinet ex deputatione Summi Pontificis : hinc jurisdictio legati est ordinaria, dum e contra jurisdictio delegati est delegata.

323. **Potestas delegati apostolici determinari potest ex duobus principiis.** Primum est quod in delegato consideranda est potestas et auctoritas ipsius delegantis, siquidem delegatus nihil habet proprium et aliena tantum utitur jurisdictione atque auctoritate. Hinc sequitur delegatum Pontificis esse omnibus superiorem, quacumque fulgeant dignitate, episcopali, archiepiscopali aut primatiali ; etiam ipsis Ordinariis, quibus, præscindendo a delegatione, delegatus subjacere debet. Licet Ordinariis præcipiatur obtemperare mandatis delegati, si tamen nimis asperam vel iniquam delegati sententiam judicaverint, facultas eisdem conceditur instandi apud eumdem delegatum ne exsecutioni demandet sententiam, donec Papa consulatur.

Alterum principium est sequens : mandata causa, censentur mandata ea omnia quæ ad causæ definitionem ac sentententiæ executionem necessaria sunt,etsi hæc omnia reticeantur in litteris delegationis ; revera quando quid alicui committitur, ei media commissa intelliguntur sine quibus finis nequit obtineri. Ex quo descendit quod, delegata a Papa jurisdictione, delegatus acquirat etiam mixtum imperium, i. e. potestatem pœnis plectendi eos qui ei rebelles sunt, sive sint litigantes, sive testes, sive extranei ; denegato enim hoc mixto imperio, inanis et vacua redderetur jurisdictio.

In capite 11, *De Officio Judicis Delegati,* traditur Pontificis delegatum episcopo, qui ejus mandatis non vult parere, aut conatur ejus jurisdictionem impedire, posse prohibere ingressum in ecclesiam, eumque suspendere ab officio sacerdotali, aut diœcesim interdicto subjicere. Monet autem delegatos Bonifacius VIII ut antequam ad pœnas infligendas deveniant, conentur leviora media, quibus adhibitis, si perseveret contumacia, secundum facti et personarum qualitatem prudenter et temperate procedant. Hodierno jure, contra impedientes directe aut indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ, statuitur censura excommunicationis speciali modo Romano Pontifici reservata in Constitutione *Apostolicæ Sedis. Sebastianelli, De Clericis, n.* 106.

324. **Relate ad officium delegati et ad modum** quo amittit suam jurisdictionem, confer quæ diximus in capite II, tituli II, *De Jurisdictione Delegata, num.* 153.

CAPUT IV

DE VICARIIS ET PRÆFECTIS APOSTOLICIS

325. **Vicarius Apostolicus definitur:** Persona deputata a Sede Apostolica ad pastorale regimen exercendum, non suo sed Romani Pontificis nomine.

Differt Vicarius Apostolicus a Legato, qui exercet jurisdictionem ordinariam, et a Delegato, qui nomine Pontificis utitur jurisdictione sive voluntaria sive contentiosa; Vicarius Apostolicus mittitur ad pastorale regimen exercendum.

326. **Vicarii Apostolici dividuntur in duas classes.** 1° Quidam mittuntur ad loca in quibus jam existit hierarchia ecclesiastica, v. g. quando ecclesia jamdiu vacat, sive episcopus sit ab ætate impeditus et fere inhabilis, sive sit

jurisdictione suspensus ; 2° alii in regiones mittuntur in quibus, vel nullæ constitutæ sunt diœceses, vel, iis etiam constitutis, episcopi ad eas præfici non possunt.

Hi Vicarii Apostolici vocantur *Præfecti Apostolici*, quando charactere episcopali non sunt insigniti; vocantur *Vicarii*, si characterem episcopalem receperint.

327. **Primæ classis Vicarii Apostolici habent prærogativas** quibus gaudent vicarii generales episcopi; discriminantur a vicario episcopi tum ratione tituli, tum ratione sigilli, quod habent proprium. *Sebastianelli, De Clericis, n.* 115.

328. **Vicarii Apostolici secundæ classis habent potestatem et jurisdictionem** quæ jure communi competit episcopis Ordinariis locorum ; deinde gaudent facultatibus quas etiam sacerdotibus simplicibus communicare valent, eis exceptis quæ requirunt ordinem episcopalem et usum olei sacri.

1° Omnibus Vicariis Apostolicis neque Coadjutorem cum futura successione, neque vicarium generalem habentibus, mandatur ut unusquisque eorum teneatur deputare vicarium e clero sive sæculari, sive regulari, habilem tamen et idoneum. Is, post Vicarii Apostolici obitum, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, assumet regimen Vicariatus et in ejusmodi munere permanebit, donec a S. Sede aliter provideatur.

2° Hic administrator omnibus uti potest facultatibus quæ vicario capitulari ecclesiæ cathedralis competere dignoscuntur, et eis quibus defunctus Vicarius Apostolicus pollebat, eis exceptis quæ requirunt characterem episcopalem et usum sacri olei. Attamen, si necessitas urgeat, potest consecrare calices, patenas, altaria portatilia, cum oleis ab episcopo benedictis. Const. *Ex Sublimi* Bened. XIV.

329. **Quod diximus de Vicariis Apostolicis applicatur Præfectis Apostolicis.** Debent se abstinere ab eis

quæ requirunt characterem episcopalem; attamen ex delegatione S. Sedis possunt conferre sacramentum confirmationis.

330. **Vicarii et Præfecti Apostolici** pendent a S. C. de Propaganda Fide, quæ habet potestatem condendi leges observandas in vicariatibus et præfecturis, recipiendi querelas et appellationes contra Vicarios et Præfectos propositas, ipsosque revocandi, transferendi et judicandi in causis civilibus et criminalibus, aliaque gerendi, exceptis negotiis gravioribus, quæ eadem S. Congregatio non potest expedire, sine facta relatione Summo Pontifici.

331. **Quando Sacræ Congregationi de Propaganda Fide erectio novi vicariatus apostolici,** præfecturæ vel diœcesis proponitur, ii ad quos de jure pertinet sequentia exponere debent:

1° Breviter et distincte quæ ad missionis catholicæ initia ac progressum in regione referuntur;

2° Confinia territorii quibus nova diœcesis, vicariatus, vel præfectura contineri debet; et ut clarior terminorum delineatio præbeatur, cartæ geographicæ etiam coloribus distinctæ adjungantur. Qua in re, quantum fieri potest, cavendum ne montium series vel fluminum cursus, vel gradus longitudinis aut latitudinis tanquam limites assignentur; at potius curandum erit ut integri districtus, ubi homines eadem lingua, eodemque civili gubernio utuntur, intra terminos prædictos claudantur. Quamvis compertum sit aliam divinarum, aliam humanarum rerum rationem esse, adeoque Ecclesia, in diœcesium aut vicariatuum limitibus constituendis vel immutandis, civilium regnorum divisiones sequi non consueverit, nihilominus ad eas nonnumquam accedere non renuit, quoties opportunius et commodius sacri ministerii exercitium id requireret;

3° Exprimatur numerus civitatum, oppidorum et locorum, qui in tractu regionis exstant, necnon numerus incolarum,

eorumque origo, insuper qua indole sint comparati et quænam spes effulgeat progressus evangelici inter ipsos ;

4⁰ An in territorio adsint hæretici vel schismatici, et an eorum errores sint valde diffusi ;

5⁰ An et quo numero existant inibi scholæ, aliave instituta ab acatholicis vel infidelibus erecta ;

6⁰ An libere possit per ea loca prædicari et exerceri catholica fides, et an et quænam impedimenta obstent progressui religionis, sive ex parte civilis gubernii, sive ex parte hæreticorum vel schismaticorum aut paganorum ;

7⁰ Exprimatur numerus catholicorum et quinam eorum mores, et num fidem et observantiam sanctæ religionis practice servent ;

8⁰ An iidem catholici habeant media providendi expensis divino cultui necessariis ;

9⁰ An recipiantur consociati in aliquibus territorii tractibus, vel contra ita per totam regionem dispersi inter acatholicos aut infideles ut difficile admodum evadat operariis evangelicis exercere ministerium ecclesiasticum inter ipsos ;

10⁰ Qua in urbe vel loco constituenda proponatur residentia episcopi, vicarii vel præfecti apostolici, atque utrum et in quo statu adsit inibi ecclesia et domus in qua novus præsul commorari debeat ;

11⁰ Indicetur numerus et status ecclesiarum et sacellorum quæ in territorio erecta sunt ; num sint sacris supellectilibus necessariis instructa, et utrum saltem in præcipuis ecclesiis vel sacellis decenter asservari possit Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ; an illa in quibus residere debeant missionarii habeant conjunctum presbyterium, aut saltem in eisdem locis conveniens mansio pro sacerdote procurari possit ; denique an prædictæ ecclesiæ aliquos redditus vel oblationes habeant et quas, et qua ratione administrentur ;

12⁰ Qui redditus vel præstationes assignari possint episcopatui, vicariatui vel præfecturæ, et quomodo per eadem provideri valeat sustentationi præsulis et missionariorum;

13⁰ Utrum obtineri possint subsidia a civili gubernio ad fabricam ecclesiarum, victum sacerdotum et dotationem piorum quorumcumque operum, salva libertate et independentia Ecclesiæ;

14⁰ Quot missionarii in promptu sint ut deputentur ad pascendos fideles, qui in territorio prædicto commorantur, ad quam gentem pertineant, quot linguas calleant et a quanto tempore morentur in missionibus;

15⁰ An adsint sacerdotes indigenæ, et quæ utilitas ex cooperatione ipsorum ad fidem conservandam vel diffundendam sperari possit;

16⁰ An adsint catechistæ et quidem eo numero qui sufficiat ad subsidium ferendum sacerdotibus in cura populi christiani, et an necessaria instructione præditi sint;

17⁰ An aliquod regulare institutum sive virorum, sive mulierum introductum fuerit in regionem de qua sermo est, num habeat convenientem domum, quod ministerium exerceant religiosi viri qui ad ipsum pertinent, et an edocendæ juventuti dent operam;

18⁰ An sine difficultate gravi seminarium clericorum erigi et necessaria præsidia ad juvenes alendos, religiose educandos et disciplinis ecclesiasticis instituendos comparari possint; vel saltem constitui valeat locus aliquis in quo juvenes idoneam institutionem habeant ut sacerdotio initientur; aut demum, ceteris deficientibus, an spes sit idoneos juvenes mittendi ad seminarium præsertim vicinioris alicujus missionis, ut ecclesiasticam educationem in eo recipiant;

19⁰ An adsint scholæ catholicæ vel convictus sive masculorum sive feminarum, præsertim indigenarum, et utrum in

eis admittantur personæ diversæ communionis vel cultus; demum an in eo casu quo adhuc omnino desint, an facile aperiri possint;

20° Innuatur an in territorio erectæ sint aliquæ confraternitates, hospitalia, orphanotrophia, cathecumenatus, aliave pia loca, an, uti par est, regantur et quibus subsidiis, et an ab ecclesiastica auctoritate exclusive dependeant. *Zitelli, Apparatus Juris Canonici, pag. 4, in nota.*

TITULUS VII

DE PATRIARCHIS, PRIMATIBUS ET ARCHIEPISCOPIS

Licet jure divino omnes episcopi, excepto Summo Pontifice, sint pares ordine et jurisdictione, jure ecclesiastico dantur plures gradus jurisdictionis, " ut essent in singulis provinciis Prælati, quorum inter fratres prima haberetur sententia, et rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Sancti Petri Sedem universalis Ecclesia conflueret, et nihil unquam a suo capite dissideret." *S. Leo, in epistola ad Anastasium Thessalonicensem.*

Primo loco veniunt Patriarchæ, deinde Primates, postea Metropolitani, de quibus disserendum est, ut originem et prærogativas sedium majorum exponamus.

CAPUT I

DE PATRIARCHIS

332. **Patriarcha, si ad vim nominis attendatur, idem sonat ac princeps patrum ;** dicitur de episcopo qui jurisdictionem habet supra episcopos, archiepiscopos, ac ipsos primates præcedit honore.

333. **Antiquitas tres sedes patriarchales recognovit,** nempe Romanam, Alexandrinam et Antiochenam.

1° Origo dignitatis harum sedium repetenda est a primatu B. Petri, qui exaltavit sedem Romanam, in qua præsentem

vitam finire dignatus est ; sedem Alexandrinam, ad quam misit discipulum suum Marcum ; sedem Antiochenam, in qua septem annis regnavit.

2° Decursu temporis, dignitas patriarchalis fuit tributa episcopo Hierosolymitano, ob memoriam passionis et sepulturæ Domini Nostri. Episcopi Byzantini, quando sedes imperii romani Constantinopolim fuit translata, ambitiose laborarunt ut hæc sedes cunctis aliis anteferretur, et post Romanam Sedem primum locum teneret. Plures sese vocarunt patriarchas, et non defuit qui se nominaret patriarcham œcumenicum, quod speciatim reprehendit Gregorius Magnus. Innocentius III, in concilio IV Lateranensi, admisit privilegium Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ita ut quinque sint ecclesiæ patriarchales, quæ, ordine dignitatis, sunt *Romana, Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana.*

334. **Præter prædictos patriarchas, quidam sunt patriarchæ minores.** Romani Pontifices hoc titulo decoraverunt quosdam episcopos in Occidente et Oriente.

1° Antiquitus exstabat patriarcha Aquileiensis, cujus titulus, sæculo XV, a Nicolao V, fuit translatus ad episcopum Venetiarum ; Leo X instituit patriarchatum Indiarum Occidentalium, quem titulum assumpsit Cappellanus Regis Hispaniarum, quem nunc defert Archiepiscopus Toletanus ; Clemens XI, in bulla *In supremo apostolatus solio,* 22 Oct. 1716, instituit patriarchatum Ulyssiponensem, in Lusitania ; Leo XIII, 1 Sept. 1886, instituit patriarchatum Indiarum Orientalium, cujus titularis est episcopus Goanus.

2° In Oriente exstant patriarchæ minores diversorum rituum : tales sunt patriarchæ Alexandrinus Coptorum, Antiochenus Melchitarum, Antiochenus Sirorum, Antiochenus Maronitarum, Babylonensis Chaldeorum, Ciliciæ Armenorum.

335. **Maximam potestatem exercuerunt olim patriarchæ majores Ecclesiæ Orientalis.**

1° Ordine dignitatis, sedebant post Romanum Pontificem, metropolitanis pallium concedebant postquam illud a Romano Pontifice acceperant, crucem ferebant in toto territorio sui patriarchatus, nisi occurreret Summus Pontifex aut ejus legatus *a latere*, appellationes recipiebant a metropolitanis. *Concilium Lateranense IV.*

2° Hodie illæ sedes patriarchales occupantur ab infidelibus et schismaticis ; ne memoria illarum pereat, Romanus Pontifex creare solet patriarchas latinos qui titulum harum sedium et prærogativas honoris habent absque earum jurisdictione patriarchali.

336. **Quoad jurisdictionem patriarcharum minorum :** 1° jurisdictio patriarcharum minorum Occidentis non excedit jurisdictionem metropolitæ.

2° Patriarchæ minores Orientis exercent veram jurisdictionem patriarchalem in fideles sui ritus : hinc pallium concedunt episcopis sibi suffraganeis, quando ipsi illud acceperunt a Romano Pontifice, crucem ferunt in territorio sui patriarchatus, appellationes a sententiis episcoporum accipiunt.

3° Patriarchæ ritus orientalis exercere nequeunt jurisdictionem extra suos patriarchatus ; et consequenter, sacerdotes et fideles cujuslibet ritus orientalis, domicilium habentes extra respectivos patriarchatus, subjiciuntur Ordinario loci in quo morantur, præcipue in diœcesibus latinis. *S. C. de Prop. Fide, ad Archiep. Parisien.*, 12 *Maii* 1890.

CAPUT II

DE PRIMATIBUS

337. **Infra patriarchas sedebant primates.** Primatialis dignitas illa est cui in perpetuum adnexum est certum

quoddam jus supra omnes alicujus regionis metropolitanos ita tamen ut ipsa dignitate patriarchali inferior sit. In Occidente, plures exstiterunt primates : Carthaginiensis in Africa, Toletanus in Hispania, Cantuariensis in Anglia, Lugdunensis et Bituricensis in Gallia. In Oriente, primates vocabantur Exarchi ; erant Ephesinus, Cæsareensis, Heracleensis.

338. **Primates seu Exarchi habebant potestatem jurisdictionis** veluti mediam inter patriarchalem et metropolitanam. Invigilabant in provinciis sibi commissis, curantes ut metropolitæ officio suo rite fungerentur, appellationes a sententiis metropolitarum suscipiebant, controversias sua sententia dirimebant, extraordinaria officia sibi commissa, nomine Pontificis, exsequebantur. Ad ipsos pertinebat præesse concilio nationali, sed sine licentia Summi Pontificis non poterant illud concilium convocare.

Hodie nulla exstat ecclesia quæ habeat jurisdictionem primatialem ; in Gallia hæc dignitas fuit abolita per concordatum anni 1801. Primates hodie habent jurisdictionem metropolitæ in sua provincia. *Icard, Prœl. Jur. Can., vol. I, n.* 129.

CAPUT III

DE ARCHIEPISCOPIS

339. **Archiepiscopus, quoad vim nominis, idem sonat ac princeps episcoporum, et quoad rem, definitur :** Episcopus habens sibi subditos episcopos alicujus provinciæ ecclesiasticæ. Archiepiscopus adhuc vocatur metropolita, eo quod generatim est episcopus *metropolis*, i. e. urbis matris vicinarum urbium.

340. **Veteres originem metropolitanorum tribuerunt institutioni apostolicæ.** Revera Apostoli, licet provincias ecclesiasticas singulas non determinaverint cum

juribus hodiernis, quosdam tamen præsules majores constituerunt, uti Paulus Titum præficit Ecclesiæ Cretæ insulæ, Timotheum in Asia, ad specimen dignitatis metropolitanæ.

Hoc institutum Ecclesia judicavit utile fidei et disciplinæ; cum hæreses et schismata erumperent, interque episcopos orirentur controversiæ, maxime opportunum fuit ut in singulis provinciis unus esset episcopus qui integritati fidei et ecclesiasticæ disciplinæ consuleret. *Icard, loco citato.*

341. **Tota jurisdictio metropolitæ a jure ecclesiastico repetenda est.** Jure divino, omnes episcopi, excepto Romano Pontifice, sunt potestate æquales: unde nihil potest metropolita extra suam diœcesim, nisi quod invenitur in jure expressum, aut consuetudine legitima inductum, aut a Romano Pontifice specialiter demandatum. Lata olim fuit jurisdictio archiepiscopi in sua provincia, sed eam Romani Pontifices limitarunt, quia pluries suis juribus abusus est.

Archiepiscopus, seu metropolitanus, in diœcesi propria consideratur tanquam verus episcopus; hinc relate ad subditos suæ diœcesis habet eadem jura et easdem obligationes quas habent ceteri episcopi in propriis diœcesibus. Attenta disciplina hodierna, jurisdictio archiepiscopi in provincia considerari potest vel relate ad personam suffraganeorum, vel relate ad subditos suffraganeorum.

342. **Archiepiscopus seu metropolitanus habet jurisdictionem in suffraganeos suos,** tanquam superior immediatus, in casibus sequentibus:

1° Potest eisdem præcipere quæ pertinent ad eorum officium, etiam per censuras. At, recte monet Santi, Præl. Juris Can., lib. I, tit. XXXI, in usu censurarum contra suffraganeos debet archiepiscopus maximam moderationem et circumspectionem adhibere, nec procedere potest nisi ex licentia S. Congregationis Concilii. Aliquando debet instare apud suum suffraganeum ut suo officio non desit, aliquando debet ejus

negligentiam supplere vel admonere Summum Pontificem. Sic archiepiscopus, sub pœna interdicti ingressus ecclesiæ ipso facto incurrenda, per litteras vel nuntium, tenetur denuntiare Romano Pontifici suffraganeum absentem. *Conc. Trid., sess. VI, c. I, De Ref.*

2⁰ Archiepiscopus potestatem exercet in suffraganeos, eos convocando, quolibet triennio, ad concilium provinciale, cui concilio metropolitanus præest. *Conc. Trid., sess. XXIV, c. 2, De Ref.*

3⁰ Inspecto jure antiquo, causæ civiles et criminales episcoporum agitabantur et definiebantur in conciliis provincialibus; Concilium Trid., sess. XXIV, c. 5, statuit causas criminales *majores* episcoporum, id est, causas quæ involvunt pœnam depositionis, reservari Summo Pontifici; *minores* vero in synodo provinciali tractandas esse, vel a deputatis synodi ejusdem. Ex dispositione Tridentina, causæ civiles suffraganeorum non videntür eximi a tribunali concilii provincialis, attamen plures canonistæ referunt declarationem S. Congregationis Episcoporum et Regularium, diei 31 Maii 1588, in qua declaravit archiepiscopum non posse esse judicem in causis civilibus quæ agitantur contra suffraganeos. Cum illa responsio S. C. non sit decretum generale, tribuendum est illud jus archiepiscopo quando in ejus favorem introducta fuerit legitima consuetudo. *Sebastianelli, De Clericis, tit. VI, n.* 124.

4⁰ Ex jure decretalium, ad archiepiscopum pertinet confirmare et consecrare suffraganeum; sed hodie hæc potestas reservatur Summo Pontifici: hinc episcopo electo et confirmato dirigitur mandatum apostolicum ut consecrationem habeat a quocumque episcopo communionem habente cum Sede Apostolica.

5⁰ Patres Conc. Trid., sess. XXIV, c. 1, facultatem fecerunt metropolitanis discutiendi et in scriptis approbandi causas

allatas a suffraganeis qui volunt abesse a propriis ecclesiis; hodie instituta Congregatio super residentia episcoporum exclusive videt de licentiis absentiæ concedendis. Episcopi qui ditioni S. C. de Prop. Fide subjiciuntur, licentiam debent habere ab hac ultima Congregatione. *Zitelli, Apparatus Juris Ecclesiastici, pag.* 85.

343. **Quoad subditos suffraganeorum, metropolitanus non est superior immediatus,** nec jura Ordinarii potest sibi vindicare, sed tantum in casibus jure expressis, scilicet ratione *appellationis, devolutionis aut visitationis.*

1⁰ In casu *appellationis*, metropolitanus jus dicit inter illos qui a sententia, vel ab actibus extrajudicialibus suffraganeorum provocant. "Regulariter loquendo, ait *Reiffenstuel, De Appellationibus, n.* 32, quilibet potest appellare tum a gravamine sibi extrajudicialiter illato, tum a sententia contra ipsum lata, si per hanc se injuste gravatum existimet." Atqui appellatio a decretis judicialibus vel extrajudicialibus suffraganei fit apud metropolitanum, nisi suffraganeus processerit *tanquam Sedis Apostolicæ delegatus*, vel *ex informata conscientia. Icard, Præl. Jur. Can. Sti Sulpicii, vol. 1, num.* 137.

2⁰ In casu *devolutionis*, nempe quando suffraganeus negligens fuerit in suo officio fungendo. Hæc devolutio locum habet quando capitulum neglexit deputare vicarium capitularem intra octo dies a cognita vacatione sedis episcopalis; vel si episcopus neglexerit per sex menses, culpabili negligentia, conferre vacantia officia; vel si episcopus contulerit officium indigno. Quando episcopus est negligens in administratione justitiæ, distingui oportet inter justitiam protractam et justitiam denegatam; justitia injuste protrahitur, quando judex negligit litem terminare; justitia denegatur, quando judex recusat controversiam cognoscere. Jamvero in casu justitiæ protractæ, episcopus habet biennium a die motæ litis ut in

prima instantia controversiam solvat; elapso biennio, partes possunt adire tribunal superius. *Conc. Trid., sess. XXIV, c.* 20, *De Ref.* In casu justitiæ denegatæ, metropolitanus nequit appellationes a subditis suffraganeorum recipere, sed potest in illis suffraganeis instare, ne justitiam suis subditis denegent. *Sebastianelli, De Clericis, tit. VI, n.* 136.

3° In casu *visitationis*, sed probata causa in concilio provinciali. Quando archiepiscopus visitat diœcesim sui suffraganei, illa omnia peragere potest quæ secumfert officium visitationis. Sic potest audire confessiones, pœnitentias imponere, reos punire quando crimen est notorium, corrigere et reformare quæ corrigenda et reformanda ipse judicaverit.

Archiepiscopus potest, etiam extra casum visitationis, celebrare pontificaliter, solemniter benedicere, dare indulgentiam centum dierum in tota sua provincia.

344. **Primum privilegium dignitatis archiepiscopalis est crux** deferenda per totam provinciam, et etiam in locis exemptis. Significat " archiepiscopum nusquam procedere, nusquam progredi, nisi ad Christi crucem et imperium aut constabiliendum, aut propagandum." *Thomassinus, De veteri et nova Ecclesiæ disciplina.*

Mos gestandæ crucis a Summo Pontifice transiit primo ad ejus legatos, deinde ad patriarchas et primates. Non conveniunt auctores qua ætate illud privilegium omnibus metropolitanis fuerit indiscriminatim concessum; nam antiquitus illa dignitas modo uni, modo alteri archiepiscopo, ex speciali gratia, concedebatur. Hodie illud privilegium archiepiscopis reservatur; quando episcopis simplicibus a Sancta Sede conceditur, subest illa clausula, scilicet ut archiepiscopus non sit præsens, vel, si præsens sit, suum consensum non deneget.

345. **Aliud insigne dignitatis archiepiscopalis est pallium.**

1° Pallium, *materialiter sumptum*, est vestis ex lana alba

contexta in formam coronæ, pectus et humeros circumiens, quatuor crucibus nigri coloris ornata.

2° Pallium, *formaliter sumptum*, significat potestatem supra-episcopalem, seu participationem aliquam potestatis primatialis Petri residentis in Romano Pontifice. Pallium mittitur ad patriarchas, primates et metropolitanos, quibus Romanus Pontifex partem suæ sollicitudinis in universam Ecclesiam committit, in ordine ad aliquam provinciam, vel determinatam regionem ; *ex cap. Ad honorem*, 4, *De auctoritate et usu pallii.*

346. **Quoad originem ejus,** quidam tenent pallium ab initio nihil aliud fuisse quam imperiale indumentum quod Constantinus Magnus et alii imperatores Romanis Pontificibus concesserunt, ut decorarent Christi sacerdotium, et decursu temporis factum fuisse sacrum ornamentum, quo significaretur plenitudo potestatis Christi.

Juxta alios, pallium originem duxit a pallio B. Petri, quod in ejus successores translatum est, ut significaret conservationem potestatis B. Petri in successoribus. Juxta consuetudinem tunc vigentem, mortuo viro sancto, successor induebat ejus pallium ad significandam eamdem potestatem ; sic in Antiquo Testamento, Elisæus assumpsit pallium Eli, et in Novo Testamento, legitur B. Linum induisse pallium B. Petri. Quando, decursu temporis, pallium B. Petri fuit consumptum, ne ipsa significatio evanesceret, inductum est ut, singulis annis, die S. Agnetis, benedicerentur agni ex quorum lana conficiuntur pallia, quæ postea assumuntur e reliquiis Sti Petri. *Sebastianelli, De Clericis, n.* 139.

347. **Pallium concedit Romanus Pontifex,** in quo residet plenitudo potestatis supra-episcopalis, et competit patriarchis, primatibus et archiepiscopis clerum et populum habentibus. Hi omnes, intra tres menses a die consecrationis, vel confirmationis, si jam sint consecrati, a Summo Pontifice

pallium postulare debent ut plenitudinem suæ potestatis consequantur. Non conceditur archiepiscopis et aliis superioribus mere titularibus, quia jurisdictione carent. Aliquando conceditur quibusdam episcopis *ut clarificetur persona vel sedes episcopalis ;* hæc tamen concessio est merus honor qui non eximit a subjectione metropolitani, nec turbat ordinem præcedentiæ. *Bened. XIV, De Synodo Diœcesana, vol. I, pag.* 233.

348. **Plures sunt actus quibus se abstinere debet archiepiscopus, pallio nondum suscepto.** Actus archiepiscopi dividuntur in actus proprios muneris archiepiscopalis et in actus episcopis communes.

1⁰ Ante pallii receptionem, priores actus, e. g. provinciam visitare, concilium provinciale celebrare, peragere nequit archiepiscopus.

2⁰ Actus omnibus episcopis communes dividuntur in actus jurisdictionis episcopalis et in actus ordinis episcopalis. Actus jurisdictionis, quales sunt causas cognoscere, judices constituere, alteri episcopo potestatem ordinandi clericos committere, peragere potest, quia hæc omnia exercet confirmatus, licet nondum sit sacerdos.

3⁰ Inter actus ordinis episcopalis, alii sunt majores, alii sunt minores. Actus majores, ut sacrum chrisma conficere et clericos in sacris ordinibus ordinare, peragere nequit, pallio nondum suscepto ; unde interim ordinationes a suffraganeo possunt fieri. Actus minores, ut benedictio palmarum, etc., exercere potest. *Benedictus XIV, loco citato.*

349. **Concessio pallii est omnino personalis et afficiens aliquod territorium ;** unde archiepiscopus pallio suo utitur intra omnes ecclesias suæ provinciæ, etiam exemptas. Illud defert intra missarum solemnia, diebus solemnioribus ; excipitur concilium provinciale vel synodus diœcesana, quibus diebus cum pallio adesse potest.

1° Quoniam hæc concessio est omnino personalis, archiepiscopus nequit commodare suum pallium alteri vel illud concedere coadjutori cum futura successione. Proinde, mortuo archiepiscopo, sepeliri debet indutus pallio proprio ; et si duo pallia habuerit, eo quod translatus fuerit ad aliam sedem episcopalem, indui debet recentiori pallio, dum primum sub ejus capite deponitur.

2° Translato archiepiscopo ad sedem episcopalem, expirat jus pallii ; si fuerit translatus ad aliam sedem metropolitanam, gaudet jure pallii, sed novum petere debet.

350. **Summus Pontifex semper et ubique pallio utitur** ad significandam universalem jurisdictionem in Ecclesia ; eo præsente, vel ejus legato *a latere*, archiepiscopus non potest gestare pallium, quia consetur cessare illa supra-episcopalis jurisdictio, cujus ratione pallium fuit concessum. *Santi, Prælectiones Juris, tit. VIII, lib. I.*

TITULUS VIII

DE EPISCOPIS

351. “ **Administratio rei Christianæ, proxime et secundum Pontificem Romanum, ad episcopos devolvitur,** qui scilicet, quamquam pontificalis fastigium potestatis non attingunt, sunt tamen in ecclesiastica hierarchia veri principes; cumque singulas ecclesias singuli administrent, sunt quasi principales artifices in ædificio spirituali, atque habent munerum adjutores, ac ministros consiliorum, clericos.” Encycl. *Sapientiæ christianæ* Leonis XIII.

352. **Quid est episcopus?** Episcopus, si ad *vim nominis* attendatur, significat *inspectorem,* qui præest alicui populo ut ejus mores speculetur; *proprie* episcopus est sacerdos novæ legis cui adnexum est munus administrationis omnium sacramentorum et sacramentalium cum potestate spirituali regendi fideles. *De Angelis, Prœlectiones Juris Can., tit. XXXI, lib.* I.

Episcopus, jure divino, in hierarchia ordinis supremum gradum obtinet, dicente Conc. Trid., sess. XXIII, can. 6: “ Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris; anathema sit.” Imo ex eodem concilio, sess. XXIII, cap. 4, “ Episcopi in locum Apostolorum successerunt ”, et “ eos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei; ” *Act. Apost., cap. XX, v.* 28.

353. **Sed episcopi non recipiunt, neque exercent tantam potestatem quantam Apostoli receperunt et exercuerunt.** Revera Apostoli, præter præclara quædam charismata et dona spiritualia, veluti miraculorum, linguarum, prophetiæ, infallibilitatis et similia, quibus missionem suam

comprobarent, amplissima potestate donati fuerunt, quam dividere possumus in potestatem *apostolatus, sacerdotii, episcopatus.*

1° *Ratione apostolatus,* Apostolis amplissima potestas erat fidem ubique prædicandi, ecclesias fundandi, episcopos constituendi, episcopis a se constitutis et eorum subditis leges præscribendi, salvo primatu B. Petri, cui ipsi in usu suæ potestatis subjiciebantur. Hæc potestas apostolatus extraordinaria fuit; idcirco, fundatis et ordinatis ecclesiis, completo opere propter quod fuit concessa, cum Apostolis interiit. Solus Romanus Pontifex obtinet potestatem *ratione apostolatus* et succedit alicui apostolo.

2° *Ratione sacerdotii,* Apostoli, plenitudinem sacerdotii obtinentes, poterant omnia sacramenta conficere et administrare. Huic potestati succedunt episcopi, ut colligitur ex verbis *Conc. Trid., sess. XXIII, c.* 1.

3° *Ratione episcopatus,* Apostoli poterant ecclesias particulares regere. Huic potestati succedunt episcopi; hinc Conc. Trid., sess. XXIII, c. 4, declarat episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hierarchiam ordinis præcipue pertinere et positos esse a Spiritu Sancto ut regant Ecclesiam Dei. *Vecchiotti, Institutiones canonicæ, De Episcopis.*

Ex illis intelligitur ordinem episcopalem *in Apostolis divinitus esse institutum.* Episcopis, quatenus Apostolis succedunt, duplex potestas inest : alia *ordinis,* qua conficiunt sacra, alia *jurisdictionis,* qua ecclesiam particularem regunt.

Præcipuam materiam de episcopis attingere conabimur in quatuor sequentibus capitibus.

CAPUT I

DE INSTITUTIONE CANONICA EPISCOPORUM

354. **Jure antiquo, plebs clero adunata magnam partem habuit in electione episcoporum.** Attamen populus non concurrebat nisi voto, et episcopum a se expetitum non obtinebat nisi de assensu episcoporum provinciæ et metropolitani. Quapropter S. Leo sic episcopos interpellabat: "Docendus est populus, non sequendus"; et concilium Nicænum, can. 6, dicit: "Si quis præter sententiam metropolitani fuerit factus episcopus, hunc magna synodus definit episcopum esse non oportere."

Hæc disciplina, tunc temporis, utilis erat ut certius arcerentur indigni et facilius dignoscerentur idonei et vulgo probati: "Episcopus, aiebat *Stus Cyprianus,* eligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione prospexit."

355. **Jure novo, electio episcoporum ad canonicos Ecclesiæ vacantis fuit delata.**

1° Revera, successu temporis, plebs inter se divisa in factiones plerumque erumpebat et inordinata confusio oriebatur ex abusu potestatis sæcularis: hinc laici homines omnino exclusi fuerunt ab electionibus episcoporum, et electio ad canonicos fuit devoluta.

2° Episcoporum confirmatio ad metropolitanum in casu electionis suffraganei, ad primatem, vel patriarcham, vel Summum Pontificem in casu electionis archiepiscopi, devolvebatur. *Vecchiotti, Institutiones canonicæ, De confirmatione episcoporum.*

3° Capitula habebant tres menses ut electionem perficerent; hoc tempore inutiliter elapso, potestas eligendi ad superiorem devolvebatur; *Cap.* 41, *De electione.*

4° Capitula non satis præcaverunt factiones et electiones

simoniacas; unde tot abusus irrepserunt ex ambitione et avaritia eligentium et eligendorum, ut jam ab initio sæculi XIV Sancta Sedes incepit sibi reservare electiones et confirmationes episcoporum.

Clemens V Sedi Apostolicæ reservavit episcopatus in Curia vacantes, et ejus successores, per alias regulas Cancellariæ Apostolicæ, reservarunt omnes sedes episcopales, sive in Curia, sive extra Curiam vacantes.

5° Sancta Sedes, ad bonum pacis, indulsit in concordatis ut quidam principes Reipublicæ haberent privilegium *nominandi* seu *præsentandi* episcopos, sed illud jus præsentandi *ex concessione Ecclesiæ repetendum est, non ex jure nativo,* juxta propositionem 50 in Syllabo damnatam.

356. **Si quæratur quænam sit disciplina hodierna circa nominationem episcoporum,** hæc sequentia sunt notanda :

In Ecclesia occidentali, quatuor modis providetur episcopatibus vacantibus :

1° *Libera nominatione* Summi Pontificis in Italia, in Gallia, in Mexico et in regionibus infidelium quæ reguntur per vicarios apostolicos.

In locis in quibus hierarchia ecclesiastica instituta non est, et in quibus vicarii apostolici cum episcopali charactere ministerium sacrum exercent, Sanctæ Sedi ad munus episcopale proponuntur tres candidati a Superiore ordinis religiosi vel ecclesiastici instituti cui missio ipsa concredita est. Si nulli religioso ordini vel instituto regimen missionis sit demandatum, electio vicarii apostolici fit a Romano Pontifice, prævia tantum consultatione Sacræ Cong. de Prop. Fide. *Zitelli, Apparatus Juris Ecclesiastici, p.* 8.

2° *Electione proprie dicta,* servato jure Decretalium, ut servatur in quibusdam diœcesibus Germaniæ. Ipsa capitula provident ecclesiis cathedralibus in diœcesibus Coloniensi,

Trevirensi, Wratislaviensi, Paderbonensi et Monasteriensi, confirmatione Sedi Apostolicæ reservata.

3° *Præsentatione* ex parte principum, ut habetur in Austria et Hispania; Sancta Sedes indulsit per concordata ut quidam principes *nominarent* seu *præsentarent* novos episcopos, quibus, modo idonei reperiantur, confert institutionem canonicam.

4° *Commendatione* ab episcopis provinciæ,in locis quæ subjiciuntur ditioni S. C. de Prop. Fide. In quibusdam locis, soli episcopi proponunt nomina eorum quos dignos reputant ad dignitatem episcopalem; in aliis, clerus fit particeps hujus negotii.

357. **De commendatione in Provincia Canadensi.** Concilium III Quebecense, decreto V, quæsivit a Sancta Sede certam methodum servandam in commendandis sacerdotibus pro episcopali dignitate; huic petitioni annuit Sacra Cong. de Prop. Fide, quæ extendit ad hanc regionem decreta circa electionem episcoporum in Statibus Fœderatis Americæ Septentrionalis lata.

Hæc sunt decreta ad quæ erit attendendum in providenda ecclesia de novo pastore:

1° *Decretum* 18 *Martii* 1834:

a) Cum aliqua sedes episcopalis vacaverit, requirendum est episcoporum omnium provinciæ ecclesiasticæ suffragium de sacerdotibus singulis, qui Sedi Apostolicæ commendandi esse videntur pro nova episcopi electione. Quoniam vero id in concilio provinciali facillime et accurate fieri potest, si intra tres menses ab obitu episcopi concilium provinciale habendum sit, expectanda erit concilii celebratio, antequam ad commendandos sacerdotes, qui episcopatu digni censentur, ad S. Congregationem scribatur. In concilio autem, collatis inter se sententiis, episcopi statuant quos sacerdotes S. Sedi commendant vere idoneos et de Ecclesia benemeritos qui

sedes vacantes obtineant, vel coadjutoris officium suscipiant illius episcopi qui auxilio coadjutoris indigere censeater.

b) Quod spectat vero ad casus quibus, prout superius statutum est, concilii provincialis celebratio non ita proxima sit, ne sedes episcopalis aliqua diu vacet, primum hoc magnopere opportunum factu est, ut singuli episcopi litteras subscriptas et sigillo munitas duplici exemplo apud se habeant, quibus contineantur nomina trium saltem sacerdotum, quos idoneos arbitrentur ad diœcesim regendam ; hæ autem litteræ ita exterius obsignari debent, ut, adveniente episcopi morte, vicario generali tradendæ esse intelligantur; vicarius vero generalis alterum earum litterarum exemplum ad archiepiscopum, alterum ad propinquiorem, vel ad seniorem e duobus episcopis propinquioribus deferendum curet. Eo litterarum exemplo accepto, episcopus propinquior ad archiepiscopum scribet, suasque animadversiones adjiciet. Epistola episcopi propinquioris ad archiepiscopum delata, vel si neglexerit is scribere, rationabili elapso temporis intervallo, archiepiscopus ad omnes episcopos, ne propinquiori quidem excepto, scribet, et nomina illa cum suis animadversionibus communicabit, aliorum etiam nominibus additis, si illi quos episcopus designaverat, archiepiscopo idonei minime videantur. Post acceptas archiepiscopi litteras, omnes episcopi ad S. Congregationem sine mora scribent suas sententias, et suffragia de tribus illis, vel sex commendatis expondituri.

c) Vacante vero sede metropolitana, litteræ archiepiscopi demortui nomina trium sacerdotum designantes a vicario generali ad episcopum propinquiorem et ad suffraganeum episcopum seniorem mittendæ sunt. Episcopus autem senior suffraganeus faciet ea omnia quæ de archiepiscopo superius statuta sunt, ubi agitur de episcopi electione.

d) Quod si apud episcopum, vel archiepiscopum demortuum, litteræ memoratæ de trium sacerdotum designatione

non reperiantur, vicarius generalis episcopum propinquiorem vel seniorem ex duobus propinquioribus de ea re certiorem statim faciet, ut episcopus propinquior tria designet sacerdotum nomina in epistola ad archiepiscopum mittenda. Archiepiscopus, ea accepta, ad omnes episcopos scribet, et ea omnia fient quæ jam judicata sunt circa agendi rationem tenendam ubi litteræ episcopi, aut archiepiscopi sacerdotum nomina ante mortem designantis fuerint repertæ. Si episcopus propinquior ad archiepiscopum scribere neglexerit, archiepiscopus ipse tria nomina sacerdotum suffraganeis omnibus, propinquiori non excepto, designabit. Si agatur de archiepiscopi electione, senior episcopus suffraganeus faciet omnia quæ in episcopi electione ab archiepiscopo facienda esse decretum est.

e) Quod pertinet ad electionem coadjutorum, excepto casu quo Sedes Apostolica alia ratione agendum esse statuerit, episcopus qui coadjutorem petit, nomina trium sacerdotum archiepiscopo et episcopis suffraganeis significabit, supplicem libellum de ea re ad S. Congregationem mittet, et archiepiscopus atque episcopi S. Congregationi mentem suam de coadjutore eligendo communicabunt.

2° *Decretum* 10 *Augusti* 1850 :

a) In posterum servatis quoad reliqua iis quæ in supradicto decreto continentur, archiepiscopus provinciæ ad quam pertinet ecclesia de novo pastore providenda, commendationem sacerdotum qui proponuntur ad ceteros archiepiscopos transmittat, qui S. Sedi suam sententiam de sacerdotibus sic commendatis aperiant.

b) Sed mense Decembris 1856, S. Congregatio indulsit ut commendatio sacerdotum a solis episcopis comprovincialibus fieret, addita tantum obligatione scribendi ad metropolitanum vel episcopum non comprovincialam, quum res sit de candidatis a provincia extraneis.

3° *Ex decreto* 7 *Aug.* 1859, cum novus archiepiscopus vel

archiepiscopi coadjutor eligendus est, omnes metropolitani regionis circa hujusmodi electionem sunt consulendi.

In hac regione, commendatio fit a solis episcopis comprovincialibus, nisi agatur de electione archiepiscopi aut ejus coadjutoris, quo in casu exquirenda est sententia omnium archiepiscoporum hujus Dominii Canadensis.

4⁰ *Decretum* 21 *Januarii* 1861.

Firmis remanentibus decretis supra relatis 14 Junii 1834 et posterioribus declarationibus, S. Congregatio hæc sequentia stricte servanda mandavit :

a) Omnes et singuli antistites, tertio quoque anno, tum metropolitano provinciæ suæ, tum S. Congregationi de Propaganda Fide nomina sacerdotum exhibebunt, quos dignos atque idoneos ad munus episcopale obeundum existimaverint. Id vero secretissime præstabunt, ne forte cujuspiam ambitio excitetur.

b) In notulis ejusmodi conficiendis maxima pro viribus utentur cura, ut de qualitatibus eorum qui commendantur, certiores fiant.

c) Cum aliqua sedes vacaverit sive episcopalis, sive metropolitana, antistites omnes ad quos pertinebit Summo Pontifici commendare viros ecclesiasticos, ut eorum unus vacanti ecclesiæ præponatur, in synodum aut specialem cœtum convenient, ut proponendorum qualitates discutiant ad tramitem quæstionum quæ hanc in rem typis impressæ præsentibus litteris apponuntur.

d) Antequam vero prædictus conventus convocetur, ad archiepiscopum vel seniorem provinciæ episcopum eorum nomina transmittentur, quos singuli antistites commendandos esse putaverint.

e) Qualitates candidatorum publice in cœtu episcoporum discutientur, præsidente archiepiscopo, vel seniore provinciæ antistite; suffragia vero secreto in urnam immittentur.

f) Acta denique conventus ad S. Congregationem de Propaganda Fide ab archiepiscopo vel episcopo provinciæ seniore deferentur.

358. **Commendatio non est præsentatio.** S. Congregatio de Propaganda Fide, decreto 14 Junii 1834, declaravit nihil inveniri debere in *commendatione* quod electionem, nominationem, postulationem innuat, sed esse proprie dictam commendationem, ita ut Sancta Sedes non teneatur eligere aliquem ex commendatis. Commendationes lumen tantum et cognitionem S. Congregationi, non autem obligationem afferunt. *Cf. append. ad III Conc. Queb., pag.* 256.

359. **Hic modus commendationis, primum pro Statibus Americæ Fœderatis inductus,** notabilem mutationem passus est pro Statibus Fœderatis in concilio Baltimorensi, anno 1884 celebrato.

In hoc concilio, hæc fuerunt statuta :

1⁰ Quando ob sedem vacantem proponenda sunt Sanctæ Sedi nomina eorum qui commendandi videantur pro diœcesi vacante, convocentur consultores et rectores inamovibiles prædictæ diœcesis. Horum erit tria nomina eorum quos dignos judicaverint episcopis provinciæ indicare, ut hi præ oculis habeant hæc nomina in proponendis Sedi Apostolicæ candidatis.

2⁰ Consultoribus et rectoribus ita congregatis præsideat archiepiscopus, vel si impeditus est, episcopus suffraganeus ejusdem provinciæ ab ipso delegandus ; si vero de sede metropolitana vacante agatur, congregatis præsideat suffraganeus antiquior ratione ordinationis, vel, eo impedito, alius episcopus ab ipso delegandus.

3⁰ Antequam ad suffragium procedatur, consultores et rectores prædicti jurent se neque gratia, neque favore induci ad suffragium ferendum. Hujusmodi autem suffragium erit secretum et consultativum tantum.

4° Præses mittet verbale hujus conventus, secretarii subscriptione signatum, ad ceteros episcopos et ad S. Congregationem.

5° Die constituta, conveniant episcopi, et nomina sic proposita, vel alia ab eis proponenda, juxta instructionem S. Congregationis, 21 Jan. 1861, discutient et notulam trium candidatorum S. Sedi exhibendam conficient. Quod si judicaverint nomina a clero proposita esse rejicienda, rationes suas S. Congregationi exponere non omittant.

6° In reliquis omnibus, prædictam instructionem sequantur.

360. **In aliis regionibus missionum,** ubi sunt capitula cathedralia, v. g. in Anglia et in Scotia, canonici ecclesiæ viduatæ tria nomina designant episcopis provinciæ; in Australia, fere eadem methodus adhibetur ac in Statibus Fœderatis. *Zitelli, Apparatus Juris Ecclesiastici, pag.* 6, 7 *et seq.*

361. **In Ecclesia Orientali,** paucis abhinc annis, patriarcha eligebatur ab episcopis patriarchatus, interveniente clero et populo, et confirmatio a Summo Pontifice postulabatur; episcopi eligebantur a patriarcha, interveniente clero et populo, et notitia electionis mittebatur Romam simul cum professione fidei.

Pius IX, in duplici constitutione, *Reversurus*, 12 Julii 1867, *Cum Ecclesiastica*, 31 Aug. 1869, disciplinam immutavit pro Armenis et Chaldæis. Patriarcha eligitur a solis episcopis; quoad episcopos, patriarcha convocat concilium omnium episcoporum, in quo tria nomina eliguntur ut ad Summum Pontificem mittantur, ex quibus unus erit eligendus. *Bargilliat, Prœl. Jur. Can., n.* 542; *Zitelli, Apparatus, pag.* 9.

362. **Plures dotes in clerico ad officium episcopale promovendo requiruntur.**

1° In epistolis B. Pauli ad Timoth., cap. III, v. 2-7, et ad Titum, cap. I, v. 7-9, enumerantur quænam in episcopo exigantur.

2° De jure ecclesiastico, oportet ut in episcopo sit *a)* ætatis maturitas, quam quis habet quando est 30 annos natus; non sufficit ut trigesimus annus sit inceptus, oportet ut sit completus; *b)* gradus scientiæ eminens, nam, ait *Conc. Tridentinum, sess. XXII, c.* 2, *De Ref.;* " Assumendus ad ecclesias cathedrales scientia polleat, ut muneris sibi injuncti necessitati possit satisfacere; ideoque antea in Universitate studiorum magister, sive doctor, aut licentiatus in sacra theologia vel jure canonico merito sit promotus, aut publico alicujus academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur; " *c)* morum gravitas, quo ex capite arcentur a prælaturis criminosi, uti sunt simoniaci, infames, irregulares ex defectu vel delicto, censuris innodati; *d)* ordo debitus. Ex Conc. Trid., sess. XXII, c. 2, De Ref., oportet ut quis sit in sacris constitutus a sex mensium spatio.

363. **In locis missionum, et in specie in hac regione,** ut digniores ad munus episcopale promoveantur, omnes et singuli episcopi, quolibet triennio, tum metropolitano suæ provinciæ, tum S. Congregationi de Prop. Fide, nomina sacerdotum exhibent quos dignos atque idoneos ad munus episcopale obeundum existimaverunt. Qualitates illorum candidatorum discutient ad tramites quæstionum quas ipsa Congregatio typis mandavit.

NOTIONES AC QUÆSTIONES

circa qualitates quæ necessariæ sunt in promovendis ad episcopale munus ac dignitatem.

1° Nomen, cognomen, ætas, patria candidati?

2° Cujus diœcesis sit ac provinciæ ecclesiasticæ?

3° Ubinam studiis theologicis vacaverit, et quo profectu?

4° An gradus assecutus fuerit, et quos?

5° An professor exstiterit, et cujus facultatis?

6° An et ubi missiones sacras obiverit et quam in eis experientiam obtinuerit?

7⁰ Quot linguas calleat?

8⁰ Quibus officiis sit perfunctus et quo successu?

9⁰ Quam prudentiam exhibuerit in deliberationibus et agendi ratione?

10⁰ An sit corpore sanus, frugi, patiens, atque in administratione rerum temporalium versatus?

11⁰ Utrum sit propositi tenax, an ingenio mutabili?

12⁰ Num gaudeat fama honestatis et an fuerit unquam in eo quid contra mores?

13⁰ An in exercendis sacerdotalibus muniis sit attentus, compositus cum ædificatione, rubricarum studiosus observator?

14⁰ An habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus gravitatem ac religionem præ se ferat?

364. **De confirmatione.** Episcopi electi, nominati vel præsentati ad sedes episcopales vacantes, sub nullo titulo et nomine, suscipere possunt earum curam, regimen et administrationem, antequam canonice instituti fuerint a Romano Pontifice, imo antequam litteras pontificias de sua confirmatione jam acceperint et capitulo exhibuerint. Const. *Romanus Pontifex* Pii IX, 1873. Revera electione et præsentatione non confertur *jus in re*, id est, officium cum jurisdictione ecclesiastica, quia beneficium ecclesiasticum non confertur sine canonica institutione. *Cf. tit. II, De Potestate Jurisdictionis, num.* 123.

Ex præfata constitutione eruitur 1⁰ canonicos ecclesiæ cathedralis vacantis, qui ad curam illius ecclesiæ sub nomine vicarii capitularis, œconomi, aut quovis titulo personas electas, nominatas seu præsentatas a supremis publicarum rerum moderatoribus deputant, præter nullitatem deputationis, incurrere excommunicationem speciali modo Summo Pontifici reservatam; 2⁰ easdem pœnas incurrere personas electas, nominatas seu præsentatas, si regimen ecclesiæ, antequam

confirmentur, suscipere ausæ fuerint; 3° personas electas, nominatas seu præsentatas amittere jus per electionem vel præsentationem quæsitum.

Si persona, antequam præsentetur vel eligatur, jam habeat actualem administrationem ecclesiæ vacantis, v. g. ut vicarius capitularis, probabiliter potest adeptam administrationem continuare. *De Angelis, in tituto De electione, lib. I, num.* 13.

365. **Confirmatio datur in consistorio cardinalium,** post præviam causæ cognitionem, quæ versatur super natalibus, ætate, morum honestate, scientia, aliisque dotibus quæ in episcopo desiderantur. In alio consistorio, judicium de promovendi idoneitate profertur, et tunc Summus Pontifex dat institutionem canonicam illum præficiendo ad ecclesiam vacantem, et ei curam et administrationem ecclesiæ, in spiritualibus et temporalibus, plenarie committendo. Tunc emittitur in Curia documentum apostolicum quod mittitur ad metropolitanum et ad clerum populumque cui novus pastor præficitur.

366. **Episcopus confirmatus plenam administrationem et sacram jurisdictionem accipit,** iis exceptis quæ sunt ordinis episcopalis, quæ tamen alteri episcopo delegare potest; nequit tamen hanc jurisdictionem exercere antequam exhibuerit capitulo litteras apostolicas de sua promotione.

367. **In locis missionum, sacerdos commendatus ad officium vicarii capitularis aut administratoris potest deputari.** Revera sacerdos tantum commendatus non habet *jus ad rem* seu ad officium ecclesiasticum ad quod commendatur; unde, non obstante constitutione *Romanus Pontifex*, potest deputari ad curam et administrationem illius officii ecclesiastici. Perfecta electione, emittitur breve nominationis, et electus in proximo consistorio *præconizatur*, seu denuntiatur.

368. **De consecratione.** Episcopus intra tres menses

debet consecrari ut plenitudinem potestatis ordinis consequatur. De consecratione episcoporum egimus in cap. 2, tit. I, *De Potestate Ordinis, num.* 116.

CAPUT II

DE JURIBUS EPISCOPI

369. **Ratione potestatis ordinis,** episcopus in propria diœcesi potest valide et licite administrare omnia sacramenta.

1° Quamvis quædam sacramenta sint ordinis sacerdotalis et parochis reservata, attamen episcopus, a quo hæc reservatio est repetenda, non præsumitur se spoliasse sua potestate, in parochiis constitutis, conferendi omnia sacramenta. Unde episcopus, etiam contradicente parocho, potest baptismum et extremam unctionem conferre, interesse sive per se, sive per alium matrimoniorum celebrationi, confessiones audire.

2° Quamvis presbyteri in sua ordinatione potestatem absolvendi a peccatis recipiant, tamen confessiones audire nequeunt quin a suo episcopo approbentur et mittantur; in hac delegatione, episcopus potest sibi reservare quædam graviora crimina, a quibus sacerdos nequit absolvere sine speciali licentia.

370. **Duo sunt sacramenta ordinis episcopalis,** scilicet confirmatio et ordo: 1° "Si quis, ait *Conc. Trid., sess. XIII, can.* 7, dixerit episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem, anathema sit." Ex illis verbis, deducitur episcopum de *jure divino* esse ministrum ordinarium sacramenti confirmationis.

2° Olim fuit disputatum an simplex sacerdos, ex delegatione Summi Pontificis, posset illud sacramentum conferre; sed hodie non est disputandi locus de hac Pontificis potestate, nam missionarii, qui dependent a S. C. de Prop. Fide, talem

facultatem recipiunt, sed debent uti oleo ab episcopo consecrato. Hoc minime inficit verba Concilii Trid.; nam sacerdos constituitur minister *extraordinarius*, dum episcopus remanet minister *ordinarius* hujus sacramenti, quemadmodum in baptismo sacerdos est minister *ordinarius*, quamvis in casu necessitatis laicus possit esse minister *extraordinarius*.

371. **Quæri posset utrum quilibet episcopus possit delegare simplicem sacerdotem** ad illud sacramentum conferendum.

1° Seclusa Sedis Apostolicæ reservatione, disputatur inter auctores. Omnes admittunt irritam nunc fore confirmationem a simplici presbytero latino ex sola episcopi delegatione collatam, quia S. Sedes illud jus delegandi sibi reservavit; revera conferre illud sacramentum est actus ordinis, sed delegare ad illud conferendum est actus jurisdictionis, quæ a Pontifice limitari potest. *Benedictus XIV, De Synodo,lib. VII, cap.* 8.

2° Ex speciali Sanctæ Sedis licentia in Formula T, sub numero 23, concessa episcopis Canadensibus, potest unus ex missionariis, in quamcumque regionem longe ab episcopo dissitam missis, illud sacramentum administrare, servata instructione S. Cong. de Prop. Fide, 4 Maii 1774.

3° In Ecclesia Græca, valet confirmatio a simplici presbytero collata, quia ratione consuetudinis immemorialis, Sedes Apostolica presbyteros ad id muneris delegare censenda est. *Benedictus XIV, De Synodo, lib. VII, c.* 9.

372. **Aliud sacramentum ordinis episcopalis est ordo.** Jam exposuimus in cap. 1 tituli I quæ referuntur ad clericorum ordinationem.

373. **Ratione plenitudinis sacerdotii,** episcopis reservantur consecrationes regum, ecclesiarum, altarium, benedictio abbatum, et generatim omnis benedictio in qua sacra unctio adhibetur. Ex delegatione Summi Pontificis, episcopi

possunt simplicibus sacerdotibus delegare potestatem quasdam benedictiones perficiendi. *Cf. Formulam I, art.* 26, *num.* 30.

374. **Ratione potestatis jurisdictionis,** multa possunt episcopi ad ecclesiam sibi commissam regendam.

1° Cum hierarchia fuerit divinitus instituta et " Spiritus Sanctus episcopos posuerit regere Ecclesiam Dei ", ad divinam Ecclesiæ constitutionem pertinet ut variæ Ecclesiæ partes episcopis tanquam ordinariis pastoribus regendæ committantur, non autem tanquam Papæ delegatis aut vicariis ; unde jurisdictio episcopalis est ordinaria, non autem delegata.

2° Aliquando tamen, justis de causis, R. Pontifex regionem vel diœcesim regendam episcopo committere potest, ut delegato Sanctæ Sedis: hinc in missionum regionibus, Sedes Apostolica quandoque constituit episcopos ejusdem Sedis vicarios, vel illis regionibus præficit simplices presbyteros, qui ideo vocantur præfecti apostolici.

375. **Episcopi non habent in administratione suæ diœcesis illimitatam aut nemini subordinatam potestatem.** Cum enim S. Pontifex, *jure divino*, habeat sollicitudinem et curam omnium ecclesiarum, potestatemque ordinariam et immediatam in omnes et singulas diœceses, episcoporum jurisdictionem restringere potest, tum sibi reservando graviores causas, tum reservando beneficiorum collationes, tum eorum diœceses dismembrando, tum personas et loca eximendo ab eorum jurisdictione. Hinc falsum est id posse episcopum in sua diœcesi quod potest Papa in universa Ecclesia; nam S. Pontifex habet plenam et supremam jurisdictionem, quæ soli Petro et ejus successoribus est commissa, dum jurisdictio episcopi, in propria etiam diœcesi, restringi potest, ut de facto restringitur a Summo Pontifice, sive quoad causas, sive quoad personas.

In specie, jura episcoporum sunt docendi, leges ferendi, dispensandi, coercendi, administrandi.

376. **Episcopus habet jus docendi.** 1° Jus docendi non importat in episcopis potestatem definiendi quæstiones ad fidei et morum doctrinam pertinentes; hoc enim est solius Summi Pontificis ob prærogativam infallibilitatis, qua solus pollet. Episcopus excederet limites suæ potestatis, si *auctoritative* vellet definire controversias quæ libere agitantur inter auctores; *Bened. XIV, De Synodo, lib. VII, c.* 11. In illis quæstionibus determinare valet modum se habendi ut habeatur uniformitas *in agendo*, sed non potest urgere uniformitatem *in sentiendo.*

2° Episcopus ea docere debet suos subditos quæ ab Ecclesia fuerunt definita, ea jubere quæ sive in synodo, sive extra synodum fuerunt determinata. Item spectat ad episcopum condemnare sententias quæ contra sanam doctrinam vulgantur in diœcesi, aut libros prohibere qui novitates in rebus fidei inducunt, aut bonis moribus adversantur. Const. *Officiorum et munerum*, tit. VI, num. 271.

377. **Ad jus docendi revocatur jus designandi concionatores** qui in diœcesi verbum annuntient. Clerici non possunt prædicare absque venia episcopi; parochi, ratione officii quod exercent, obtinent potestatem prædicandi, quam tamen exercent sub dependentia episcopi.

1° Regulares, qui in suis ecclesiis prædicare volunt, ab episcopo diœcesano benedictionem petere tenentur; si episcopus benedictionem negaverit, in prædictis ecclesiis licet regularibus prædicare non possunt. " Nullus, ait *Conc. Trid., sess. XXIV, cap* 4, *De Ref.*, sive sæcularis, sive regularis, etiam in ecclesiis suorum ordinum, contradicente episcopo, prædicare præsumat." In ecclesiis quæ suorum ordinum non sunt, regulares, ultra licentiam suorum superiorum, etiam episcopi licentiam habere tenentur. Posset episcopus licentiam concessurus exigere ut regularis prævium examen circa doctrinam subeat, modo hoc necessarium aut utile reputetur.

2° Si prædicator errores aut scandala disseminaverit, episco-

pus ei interdicat prædicationem, etiamsi prædicator sit regularis prædicans in ecclesia sui ordinis, non obstante ejus exemptione. In hoc casu, episcopus procedit *tanquam Sedis Apostolicæ delegatus. Conc. Trid., sess. V, cap.* 2, *De Ref.*

378. **Ad episcopum pertinet educationem juventutis moderari.** Cum enim ad solos episcopos pertineat ordines conferre iis tantum qui spem certam faciunt se valde profuturos Ecclesiæ, sequitur episcopum habere jus et officium, tota Antiquitate testante, suos instituendi clericos, eorumque vitam, studia, et quoad religionem ac bonos mores præcipue moderandi, invigilandi institutoribus atque hos, ubi opus fuerit, removendi. *Conc. Trid., sess. XXIII, c.* 18.

Sequitur ad episcopum spectare jus inspectionis relate ad scholas etiam laicorum, saltem *negative*, quatenus in iis nihil tradatur quod rectæ fidei bonisque moribus adversetur ; atque *positive* exigere ut discipuli in schola laicorum in sacra catechesi informentur. *Cf. vol. II, tit. De Scholis et Seminariis.*

379. **Episcopi jure divino habent potestatem leges ferendi,** cum eos posuerit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei.

1° Episcopus leges ferre potest sive in synodo diœcesana, sive extra synodum, et leges semel promulgatæ perpetuo obligant, i. e. vigent usquedum non revocentur.

2° Leges autem episcopales non debent canonibus repugnare, nam episcopi nequeunt quidquam contra jus commune aut decreta synodi provincialis statuere, quia lex superioris per inferiorem tolli non potest. *Clementina, Ne Romani, tit. De Electione.*

380. **Episcopus habet potestatem leges interpretandi.** Interpretatio est legis explicatio juxta mentem legislatoris.

1° Interpretatio dicitur *authentica*, dum fit a legislatore in lege sua, aut antecessorum, aut inferiorum ; *usualis*, quæ est ipsa consuetudo ; *doctrinalis*, quæ fit a viris peritis.

2° Episcopus *authentice* interpretatur leges suas aut antecessorum ; relate ad leges concilii provincialis aut leges communes, eas interpretatur *doctrinaliter*, ut doctor privatus. Unde tanti valent interpretationes quanti rationes quibus nituntur.

381. **Episcopus potest leges immutare, eas abrogando aut ab illis dispensando.** Et certe non dubitatur episcopum posse immutare et abrogare leges quas ipse aut prædecessores ediderunt. Si agatur de legibus latis a superioribus, episcopus potest dispensare a legibus latis in concilio provinciali, nam hoc expedit ad bonum regimen. *Craisson, Manuale Jur. Can., vol. I, n.* 972.

Episcopus nequit dispensare a dispositionibus juris communis, nisi expressam aut tacitam habeat Romani Pontificis delegationem. Hinc episcopus, *ordinaria potestate*, dispensare non potest super irregularitatibus, impedimentis matrimonium dirimentibus, votis solemnibus et votis reservatis, aliisque legibus quæ a concilio generali, aut a Summo Pontifice pro tota Ecclesia constitutæ sunt.

1° *Ex speciali juris delegatione*, episcopus dispensat in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis ad forum contentiosum deductis ; dispensat super bigamia similitudinaria, super lege interstitiorum ; item eximit a lege proclamationum quæ ante matrimonium fieri debent, etc. Præterea episcopus relaxat vota simplicia, si quinque excipias reservata : votum scilicet castitatis perpetuæ et perfectæ, votum ingrediendi religionem in qua emittuntur vota solemnia, votum peregrinandi ad sepulcrum Domini, ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum Compostellanum. Item solvit omnia juramenta in quibus ratio justitiæ non intervenit.

2° *Ex legitima consuetudine*, episcopus dispensat in jejuniis, in esu ciborum, in festorum observantia, in recitatione divini officii, et in aliis casibus frequenter occurrentibus.

Revera gubernatio inferiorum prælatorum redderetur odiosa, si sua potestate quasi-ordinaria non valerent consulere necessitatibus quotidie occurrentibus.

3° *Ex præsumpta Pontificis voluntate*, episcopus dispensat in casu urgentis necessitatis, quando periculum est in mora, et absque animarum detrimento non potest expectari S. Sedis dispensatio.

Hinc communis hodie doctrina est episcopum posse auferre occultum impedimentum dirimens quod matrimonio contrahendo obsit, si tales urgeant circumstantiæ ut neque dispensatio facile peti a S. Sede, neque matrimonium sine scandalo et infamia differri possit. *Vecchiotti, De Episcopo, cap.* 6.

4° *Ex speciali delegatione S. Sedis*, episcopi a pluribus legibus juris communis dispensare possunt.

a) Episcopi Canadenses, ut bono spirituali missionum consulant, recipiunt a S. C. de Prop. Fide plures facultates ordinarias et extraordinarias, quibus dispensant a dispositionibus juris communis. *Formulæ I et T, num.* 29 *et* 30.

b) Aliquando S. Pontifex quasdam facultates omnibus episcopis concedit; e. g. Leo XIII, ex decreto S. Officii, 20 Feb. 1888, indulsit Ordinariis locorum ut " dispensare valeant, sive per se, sive per ecclesiasticam personam sibi bene visam, ægrotos in gravissimo mortis periculo constitutos qui in concubinatu vixerunt, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, super impedimentis quantumvis publicis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus ordine, et affinitate lineæ rectæ ex copula licita proveniente." *Lehmkuhl, Theologia Moralis, vol. II, n.* 791.

c) Item Leo XIII, 5 Dec. 1894 " omnibus locorum Ordinariis concessit facultatem anticipandi, die sibi bene visa, atque ob gravissimas causas etiam dispensandi super lege jejunii et abstinentiæ, quando festum sub utroque præcepto servandum patroni principalis aut titularis, vel solemne aliquod festum item magno populorum (etiam civitatis vel loci tantum)

concursu celebrandum, inciderit in ferias sextas aut sabbata per annum, excepto tempore quadragesimæ, diebus quatuor temporum et vigiliis per annum jejunio consecratis; atque ut eadem anticipandi seu etiam dispensandi potestate uti possint pro diebus quibus nundinæ extraordinariæ, magno item populorum concursu (etiam civitatis vel loci tantum) habeantur." Ex declaratione Sti Officii 18 Martii 1896, inter causas dispensandi, etiam grave periculum generale assignatur quod abstinentia non observetur. Attamen facultas episcopis concessa dispensandi super lege jejunii et abstinentiæ in diebus majoris solemnitatis non valet pro feriis sextis et sabbatis infra Adventum jejunio consecratis. *Declaratio Sti Officii*, 15 *Dec.* 1897.

382. **Episcopus est judex ordinarius in sua diœcesi** omnium causarum.

1⁰ " Causæ omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum tantum cognoscantur, atque omnino, saltem infra biennium a die motæ litis, terminentur." *Conc. Trid., sess. XXIV, cap.* 20, *De Ref.*

2⁰ Huic dispositioni Concilii Tridentini consonat sententia Consilii Supremi Majoris Britanniæ (Conseil Privé d'Angleterre) in causa *Brown* vs *La Fabrique de Montréal* (Guibord) : " Judices tribunalis non denegant quod sententia excommunicationis possit in regione Canadensi ferri in Catholicum, et quod tribunalia civilia debeant eam vereri et ejus executionem urgere. Non existunt hodie in regione Canadensi tribunalia ecclesiastica recognita a Statu, sicut olim quando provincia erat pars dominii Galliæ. Attamen notandum est quod, juxta Jus Canonicum, Episcopus est semper *judex ordinarius*, qui valeat tribunal erigere et jus dicere, si non habeat officialem qui ejus vicem agat. Nisi hæ sententiæ recognoscantur, non haberentur media solvendi, inter Catholicos regio-

nis Canadensis, quæstiones circa fidem et disciplinam quæ inter eos oriuntur." *Lower Canada Jurist, vol. XXV, p.* 279.

383. **In pœnis autem infligendis, ea norma servanda est quam episcopis proposuit Tridentinum.** Sancta synodus omnes episcopos et prælatos monet "ut se pastores, non percussores, esse meminerint; atque ita præesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tanquam filios et fratres diligant; elaborentque ut hortando et monendo, ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur. Quos tamen, si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda præceptio, ut "illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia" *(II ad Tim. IV-2)* : cum sæpe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus charitas quam potestas. Si autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibenda est." *Conc. Trid., sess. XIII, c.* 1, *De Ref.*

384. **Episcopus habet jus administrandi :** ad ipsum enim spectat rectum regimen diœceseos; atqui ad rectum diœcesis regimen spectat cura et tutela bonorum temporalium.

Hinc ad ipsum non solum spectat ecclesias et beneficia erigere, beneficia conferre, nisi reservata et affectata fuerint, sed etiam curam bonorum temporalium suscipere et executionem piarum voluntatum curare, quando executores a pio fundatore designati in suo munere fungendo negligentes fuerunt. *Conc. Trid., sess. XXII, cap.* 8, *de Ref.*

Episcopi jus administrandi considerari potest secundum quod exercetur in personis, in locis et in rebus.

385. **Episcopus habet jus in propriis clericis,** qui non possunt, absque licentia et consensu superioris, ab ejus auctoritate sese subducere.

1° Clerici, præsertim illi qui sunt presbyteratus ordini initiati, non possunt in aliam diœcesim migrare absque licentia sui episcopi. Hoc imprimis verum est de presbyteris alicui ecclesiæ *ex officio* adscriptis, ut sunt canonici, parochi, imo et vicarii. Concilium Trid., sess. XXIII, cap. 16, loquens de illo quem episcopus ordinavit pro bono Ecclesiæ, ait: "Quod si locum, inconsulto episcopo, deseruit, ei sacrorum exercitium interdicatur."

2° Idem etiam tenendum de presbyteris quos episcopus necessarios judicat suæ diœcesi, quamvis non sint *actu* alicui determinato ministerio addicti; nam illos hac lege ordinavit episcopus ut suæ ecclesiæ deservirent. Præterea episcopus habet onus providendi utilitati suæ ecclesiæ, ergo jus habet retinendi suos clericos, vel eos, si discesserint, revocandi. Hoc *a fortiori* tenendum est de clericis qui ad titulum missionis ordinantur. *Cf. tit. I, cap.* 1, *art. III, n.* 76*; Craisson, Manuale, vol. I, n.* 1006 *et seq.*

3° Episcopus non potest clericos invitos retinere, nisi adsit justa causa, et eisdem provideat de congrua sustentatione, id est, de officio quod sufficiat ad honestam sustentationem; *S. Congregatio Concilii,* 14 *Aug.* 188J. Neque assensum denegare potest clericis religionem ingredi volentibus, etiamsi beneficium curatum habeant, nisi urgeat gravis necessitas. Bened. XIV, Const. *Ex quo*, 14 Jan. 1747.

386. **Facultas transeundi ad aliam diœcesim datur per litteras speciales quibus clericus absolvitur** a potestate sui episcopi, et quæ ideo vocantur litteræ *excardinationis*, vulgo *exeat.*

Ne clericus incertis vagetur sedibus, *ex Trid., sess. XXIII, cap.* 16, *De Ref.*, litteræ hujusmodi ante clerici incardinationem in altera diœcesi plenum non sortiuntur effectum. Quoad clericos ordinatos ad titulum missionis ad novam diœcesim transire cupientes, confer *tit. I, cap.* 1, *art. III, De qualita-*

tibus ordinandorum, n. 76 ; *Craison, vol. I, num.* 1007 *et sequentes.*

387. **Clerici tenentur, salvo jure sibi a sacris canonibus quæsito, obire munus quod illis commiserit episcopus.**

1° Solemnis illa obedientiæ et reverentiæ promissio facta, juxta vetustissimum morem, intra ritus sacræ ordinationis, presbyterum obligat ut suo præsuli obsequatur in his omnibus quæ, juxta sanctiones canonicas, in bonum diœcesis episcopus præcipit. Non enim sufficit, ad rectum regimen diœcesis, ut clerici non deserant ipsam diœcesim, inconsulto vel invito episcopo, sed insuper omnino necesse est ut episcopus valeat providere tum observationi disciplinæ clericalis, quæ scilicet de vita et moribus clericorum statuit, tum necessitatibus ecclesiæ, committendo varia officia clericis pro singulorum idoneitate, tum demum rectæ executioni commissi officii.

2° Hinc patres I Concilii Baltimorensis omnes sacerdotes admonent, "sive fuerint in suis diœcesibus ordinati, sive in easdem cooptati, ut memores promissionis in ordinatione emissæ, non detrectent vacare cuilibet missioni ab episcopo designatæ, si episcopus judicet sufficiens ad vitæ decentem sustentationem subsidium illic haberi posse, idque munus valetudini et viribus sacerdotum ipsorum convenire."

388. **Jurisdictio episcopi in clericos extraneos sub duplici respectu consideranda est:** 1° utrum clerici vagi aut peregrini teneantur legibus diœcesis in qua actu morantur; 2° utrum in illa diœcesi functiones sacras peragere possint. Peregrini non adstringuntur legibus locorum per quæ transeunt, nisi ratione scandali aut publicæ tranquillitatis; quare peregrini et vagi in loco in quo actu degunt, tenentur observare leges locales, quæ latæ sunt ad tutandam securitatem et ordinem in loco. Ratio autem desumitur ex eo quod superior, per breve hospitium peregrini aut vagi, non

acquirit jurisdictionem in eum; atqui virtus legis sequitur limites jurisdictionis. *Santi, Præl. Jur. Can., tit. I, lib. I, n.* 34.

389. **Relate ad sacras functiones a peregrinis perficiendas,** episcopus non tantum potest sed et debet prohibere ne in sua diœcesi ad celebrandam missam admittantur presbyteri peregrini qui litteras commendatitias a suo episcopo non habent, id est, testimonium scriptum de legitima ordinatione, de bonis moribus atque de immunitate a censuris. *Conc. Trid., sess. XXIII, cap.* 16, *De Ref.*

1° Illi qui noti sunt et qui ex vicinis diœcesibus adveniunt, ad sacrificium missæ celebrandum admitti solent, quin hujusmodi litteræ exigantur. Jamvero duplici modo episcopi huic legi obtemperare possunt : vel decernentes ut clerici peregrini teneantur tantum litteras commendatitias proprii Ordinarii præsentare rectori ecclesiæ in qua celebrare volunt, vel etiam præcipientes ut dictæ litteræ commendatitiæ sibi ipsis, vel propriis vicariis aut officialibus præsententur, ita ut, nisi licentia in scriptis a curia referatur, peregrini nullibi in diœcesi ad celebrandum admittantur. *Sebastianelli, De Clericis, num.* 152.

2° Hæc dispositio episcopalis afficit etiam regulares, etsi ecclesiæ quibus præsunt sint exemptæ, dummodo agatur de clericis ignotis sæcularibus et regularibus non sui, sed alterius ordinis. Nam per const. *Quam grave*, 2 Aug. 1757, Benedicti XIV, regulares peregrini absque prævia licentia episcopi missam celebrare poterunt in omnibus ecclesiis sui ordinis; quia cura, ne missa celebretur ab advena regulari non presbytero, reservata est propriis superioribus regularibus.

390. **Ob solam rationem quod sint peregrini,** non potest episcopus extraneos sacerdotes litteris commendatitiis munitos, nec ullatenus suspectos, arcere a celebranda missa; sacerdos, vi ordinationis, jus habet ad celebrationem missæ, et jure aliquando versari potest extra propriam diœcesim.

Cæterum legitima est, et quandoque valde utilis, praxis dictam facultatem concedendi ad tempus limitatum, etiam iis qui commendatitiis litteris sunt muniti, dummodo ita intelligatur ut, elapso termino, iterum dari debeat facultas, si nulla causa eam denegandi extiterit. *Bargilliat, Prœl. Jur. Can., vol. I, n.* 615.

391. **Episcopo subduntur loca pia diœceseos,** sive erecta fuerint cum auctoritate episcopi, quo in casu dicuntur *religiosa loca*, sive absque ejus auctoritatis interventu, quo in casu vocantur *loca pia.*

Loca religiosa subduntur potestati episcopi, in cujus diœcesi reperiuntur, nisi fuerint ab ejus jurisdictione per exemptionem subtracta; loca pia, erecta absque episcoporum auctoritate, non subjiciuntur eorum visitationi, atvero episcopi possunt videre an bona applicentur juxta fundatoris intentionem et singulis annis exigere rationem administrationis. *Conc. Trid., sess. XXII, cap.* 9, *De Ref.*

392. **Ratione administrationis, episcopus habet jus in rebus;** revera est custos omnium bonorum ecclesiasticorum suæ diœcesis. Hinc ad ipsius munus pertinet invigilare ut in singulis locis suæ jurisdictioni subjectis bona ecclesiastica caute et sapienter administrentur; proinde quilibet episcopus potest et debet exigere a singulis clericis parochiis et missionibus præpositis, plenam et perspicuam rationem administrationis bonorum ecclesiasticorum quæ administrant.

393. **In administratione bonorum, episcopus debet curare ut servetur jus commune in bonorum alienationibus,**

1° Nomen alienationis in hac causa sumitur late, et comprehendit non solum dominii translationem venditione et donatione, sed etiam permutationem, emphyteusim, locationem ultra triennium, oppignerationes, hypothecas, impositionem novi gravaminis, census, denique pacta quælibet per quæ

dominium Ecclesiæ sive directum, sive utile, vel usus fructus in alium transfertur. *Extravagantem Ambitiosæ, De rebus Ecclesiæ non alienandis, inter communes.*

2° Nomen Ecclesiæ in sensu lato accipitur ita ut significet quodcumque religiosum institutum ab auctoritate ecclesiastica erectum, et ad opera religionis vel charitatis destinatum ; hinc nomine Ecclesiæ in sensu tituli veniunt hospitalia, monasteria, congregationes et collegia ecclesiasticarum personarum.

3° Res Ecclesiæ sunt vel pretio non æstimabiles, ut indulgentiæ, sacramenta, reliquiæ sanctorum, vel pretio æstimabiles. Res quæ pretio æstimari possunt dividuntur in res mobiles vel se moventes, et in res immobiles.

Res mobiles sunt usu consumptibiles, quæ scilicet ad modicum tempus, id est, non ultra triennium possunt servari et inde corrumpuntur, e. g. fruges, arborum fructus ; aliæ sunt usu non consumptibiles.

Insuper res mobiles aliæ sunt pretiosæ, aliæ non pretiosæ. Res pretiosæ sunt bona quæ propter pretium, artem, raritatem, aut antiquitatem, conferunt Ecclesiæ specialem splendorem, ut sunt vasa aurea, argentea, vestes pretiosæ, gemmæ, pictura famosa, copiosa bibliotheca et similia.

Res immobiles sunt non solum prædia, domus, agri et similia, sed etiam jura et actiones ad immobilia, census et redditus annui, necnon pecunia quæ est ad emptionem immobilium specialiter deputata.

Res immobiles in duas classes dividuntur : aliæ exigui, aliæ magni valoris esse dicuntur. Exigui valoris sunt quæ comprehenduntur in celebri canone *Terrulas* 53, *c.* 12, *q.* 2, et quæ ex veteri jure alienari poterant a prælatis sine consensu sui capituli. Ex practica interpretatione, res hujusmodi dicuntur, quarum valor 25 scutata aurea de camera non excedit, scilicet 220 francos nostræ monetæ ; imo plures reputant modici valoris esse summam quæ 500 francos ($100)

non excedit. *Craisson, Manuale Juris Canonici, n.* 2945.— *Smith, Elements of Ecclesiastical law, vol. I, n.* 668.

394. **Intentio juris est ut res Ecclesiæ conserventur,** ne divinus cultus et decus Ecclesiæ imminuantur, ne ministri sacri careant necessaria et honesta sustentatione, et ne desint media pro sublevandis pauperibus. Verum ab ipso jure alienatio bonorum Ecclesiæ aliquando permittitur, modo habeatur causa legitima, et solemnitates quædam serventur.

1° Si sermo sit de rebus mobilibus, quæ servando servari non possunt, absque ulla solemnitate juris possunt alienari, et ordinarie, nisi episcopus aliter disposuerit, eas res alienat ipse rector vel administrator ecclesiæ. Dispositio rerum mobilium non pretiosarum et immobilium exigui valoris penes Ordinarios locorum residet; hinc absque ulla solemnitate juris alienatio harum rerum ab episcopo, ex justa causa, fieri potest.

2° Si sermo sit de rebus immobilibus non exigui valoris, vel de mobilibus aut se moventibus pretiosis, præter causam legitimam, quædam solemnitates requiruntur.

a) Si bona ecclesiastica ad ecclesiam cathedralem, aut mensam episcopalem, vel ad capitulum, vel ad monasterium, vel ad ecclesiam collegialem pertineant, requiritur ut prælatus cum capitulo seu collegio rite congregato consultet utrum alienatio ad utilitatem ecclesiæ conducat, necne; in illo negotio, ea sententia valet quæ universo capitulo, vel saltem majori parti placuerit. *Cap.* 8, *De Rebus Ecclesiæ non alienandis.*

b) Si bona ecclesiastica capitulum aut collegium non habent, eorum alienatio decreto solius episcopi celebratur, salvo semper beneplacito apostolico.

c) Ex celebri constitutione Pauli II in extravagante *Ambitiosæ,* et ex decreto Urbani VIII, in quavis alienatione rerum ad ecclesias vel loca religiosa pertinentium, requiritur consensus Sanctæ Sedis, seu beneplacitum apostolicum, sine quo alienatio tum illicita, tum invalida est, et contrahentes gravis-

simas pœnas incurrunt in constitutione *Apostolicæ Sedis* inflictas.

Hæc solemnitas requiritur non solum quando alienatio conficitur ab Ecclesia in favorem laicorum, sed insuper quando alienatio fit ab una ecclesia ad alteram. *Santi, Præl. Jur. Can., tit. XIII, lib. III.*

395. **Pœna in male alienantes** est excommunicatio nemini reservata contra alienantes et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque beneplacito ecclesiastico, ad formam extravagantis *Ambitiosæ.*

1° Controvertitur utrum episcopi et abbates huic pœnæ subjaceant; verum nihil est, ut videtur, in constitutione Pauli II quod huic exceptioni faveat.

2° Non incurritur excommunicatio nisi alienatio perfecta fuerit; proinde non incurretur, re nondum tradita; imo, etiamsi tradita fuerit, vendita sub conditione suspensiva.

3° Olim ingressus ecclesiæ penitus interdictus erat episcopis et abbatibus qui bona ecclesiastica alienabant contra tenorem constitutionis *Ambitiosæ.* De hoc interdicto silet constitutio *Apostolicæ Sedis*, ideo amplius non vigere dicendum est.

396. **Bona ecclesiastica male alienata revocari possunt et debent**, ab ipso rectore seu prælato qui alienavit, necnon a successore prælati vel clerici alienantis. *Cap.* 6, *De rebus Eccl. non alienandis.*

Ecclesia habet duplicem actionem, alteram *personalem* adversus prælatum vel alium administratorem beneficii et ejus hæredes, ut servetur idemnis; alteram *realem* adversus possessorem rei male alienatæ, ut res ipsa restituatur cum omnibus suis fructibus. *Cap.* 2, *ejusdem tituli.*

397. **In provincia Quebecensi, episcopis conceditur facultas alienandi bona ecclesiastica** juxta se-

quentes terminos, et onerata episcopi conscientia super adimplemento sequentium conditionum :

1⁰ Ut alienationem suadeat necessitas aut evidens utilitas Ecclesiæ.

2⁰ Ut occasio rei utiliter alienandæ prudenter timeri possit, ne interposita mora pro venia Apostolicæ Sedis impetranda, ratione temporis, elabatur.

3⁰ Ut pretium rei alienatæ fructiferum perpetuo reddatur per aliquod legitimum, utile ac tutum investimentum.

4⁰ Ut secuta alienatione, de eadem ac de pretii investimento certior reddatur Apostolica Sedes.

Hoc indultum pluries renovatum concedi solet ad decennium.

398. **Omnes vident quam restrictum sit prædictum indultum:** ex una parte, alienatio in sensu tituli significat quemcumque contractum quo pejor fit conditio Ecclesiæ et induci posset amissio alicujus juris, ex altera parte, episcopus in alienando debet attendere ad quatuor conditiones indulti ne incurrat pœnas contra male alienantes.

Amplissimum indultum impetrarunt et obtinuerunt episcopi Statuum Fœderatorum. Quando agitur de bonis et fundis diœcesis vel missionum permutandis, aliisque agendis quæ speciem alienationis præ se ferunt, ubi summa pecuniæ non excedat valorem quinque millium scutatorum, episcopi liberi erunt; ubi vero negotium eam summam superat, tunc requiritur consilium consultorum, eoque præhabito, necessaria est S. Sedis permissio. Verum S. Sedes concessit specialem facultatem et dispensat a recursu quando constat de necessitate vel utilitate Ecclesiæ, modo in fine cujuslibet triennii, episcopi ad S. Congregationem referant quibus in casibus et pro quibus summis ea usi sint, exposito etiam statu œconomico illarum missionum pro quibus æs alienum contractum fuit. *III Conc. Baltim., cap. II, De Consultoribus, et decretum S. C. de Prop. Fide, die* 25 *Sept.* 1885.

399. **Episcopus habet jus ut ei honeste provideatur.**

Ex jure communi, episcopus habet jus ad quartam decimarum totius diœcesis, *ex cap. Quoniam,* 13, *tit. XXX, De decimis, lib. III Decretalium.* Episcopus debet suam quartam exigere ab ecclesiis, non autem a personis laicis, quæ de jure illas decimas solvere tenentur rectoribus ecclesiarum parochialium. Parochi possunt quartam decimationem episcopo debitam per quadragenariam consuetudinem præscribere. De facto, multis in locis præscribitur illud jus episcoporum. *Reiffenstuel, lib. III, tit. XXX.*

400. **Taxæ quas episcopus, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, exigit,** aliæ sunt *ordinariæ*, aliæ *extraordinariæ.*

1° *Subsidium cathedraticum* est certa pensio singulis annis episcopo solvenda in signum subjectionis et in honorem cathedræ episcopalis, ad onera ejusdem cathedræ, seu officii episcopalis, sustentanda. Taxatio juris cathedratici, seu quantitas solvenda, determinatur juxta probatas consuetudines locorum ; debetur ab omnibus parochis et beneficiatis, non vero a clericis qui non habent beneficium ; solvitur regulariter in synodo, sed si synodus non habeatur, non eximitur clericus a cathedratico solvendo. *Bened. XIV, De Synodo, lib. V, cap.* 7.

2° *Procurationes* sunt victualia, vel æquipollens pecuniæ summa, quæ episcopo ejusque comitatui subministranda sunt ab ecclesiis in visitatione diœcesis ; *tit. XXIX, lib III Decretalium.*

3° *Subsidium seminaristicum* est determinata pecuniæ summa quæ ab ecclesiis est singulis annis solvenda ad seminarii diœcesani erectionem et sustentationem. Dicitur *singulis annis,* non *perpetuo,* quia quando seminarium est sufficienter fundatum, illa taxa ex parte, vel ex toto, cessare debet. Quantitas singulis annis solvenda determinatur ab

episcopo cum consilio illorum deputatorum, qui regimini temporali seminarii præponuntur. *Conc. Trid., sess. XXIII, cap.* 18, *De Ref.*

4° *Taxa extraordinaria est subsidium charitativum* quod definitur: " Quædam exactio extraordinaria propter manifestam et rationabilem causam ex charitate a subditis postulata." *De Angelis, lib. III, tit. XXXIX.*

Plures conditiones requiruntur ut episcopus hanc taxam exigere possit: *a)* ut adsit causa sufficiens, v. g. ad onera consecrationis sustentanda, ut visitet limina Apostolorum vel attendat ad concilium universale; *b)* ut causa sit manifesta; *c)* ut taxa sit moderata, non oppressiva; *d)* requiritur consensus, vel saltem consilium capituli cathedralis. In illa taxa datur locus præscriptioni, ideoque communiter recessit. *De Angelis, loco citato.*

401. **Episcopus nequit imponere novas taxas, inconsulta Sancta Sede;** " Prohibemus, *ait Conc. Lateran. III,* ne ab episcopis vel aliis prælatis novi census imponantur ecclesiis, nec veteres augeantur...Si quis aliter fecerit, irritum quod egerit habeatur."

In Statibus Fœderatis, ut imponatur nova taxa pro episcopo quæ excedat limites a canonibus constitutos, præhabito consilio consultorum, necessarius erit in singulis casibus recursus ad S. Sedem. *III Conc. Baltim., n.* 20.

402. **In provincia Quebecensi, episcopi percipiunt quædam emolumenta** ex dispensationibus matrimonialibus. In formula T, sub numero 15, datur facultas " exigendi modicas mulctas tam a divitibus quam a pauperibus juxta vires in elargiendis dispensationibus matrimonialibus, exceptis ab hoc mendicis, et dummodo mulctæ sic exactæ in pios usus fideliter omnino erogentur." *Collectanea S. C. de Prop. Fide, num.* 1504-1505; *Discipline du diocèse de Québec, p.* 80.

403. **Ex decreto S. C. de Prop. Fide ad Patres IV concilii Quebecensis,** episcopi qui huic concilio adfuerunt et eorum successores, donec aliter a Sede Apostolica provideatur, possunt decimam partem fructuum parochiarum et missionum percipere. Hæc taxa solvitur in diœcesi Rimouskiensi. *Cf. appendicem ad I Conc. Queb.*

404. **Præter taxas quæ ad utilitatem episcopi et diœcesis referuntur, taxa Innocentiana** ad onera cancellariæ episcopalis sustentanda ordinatur.

1° Cancellaria episcopalis est tribunal episcopi per quod litteræ episcopales conficiuntur, scribuntur et expediuntur.

2° Taxa Innocentiana, ab Innocentio XI statuta, decernit an et quale emolumentum exigi aut acceptari possit, tum pro variis cancellariæ episcopalis actibus et scripturis, tum pro aliis præstandis officiis ecclesiasticis.

3° Quid statuerit taxa Innocentiana, confer *Ferraris*, ad verbum *Taxa*, et *Smith, Comp. Juris Canonici, num.* 625 *et seq.*

405. **Cum plures catholici orbis præsules retulerint hanc taxam Innocentianam necessitatibus præsentis ætatis non accommodari,** Leo XIII peculiarem congregationem instituit quæ videret quasnam modificationes ejusdem taxæ temporum circumstantiæ suaderent. Hæc peculiaris commissio, tribus dubiis ad examen revocatis, sic respondit :

1° Taxam imponi posse juxta prudentiæ et justitiæ regulas in materia sacramentali, necnon in matrimoniali, itemque in materia beneficiaria, ita tamen ut quoad actus qui directe respiciunt sacramentorum administrationem servetur dispositio *cap.* 42 *Decretalium, De Simonia ;* scilicet ut libere conferantur ecclesiastica sacramenta, et piæ consuetudines observentur.

Quod vero ad reliquos actus qui directe non respiciunt administrationem sacramentorum, uti sunt dispensatio a

denuntiationibus matrimonii, venia conferendi baptismum in privatis domibus et cetera hujusmodi :

a) Servandas laudabiles consuetudines, et rationem prudenter habendam locorum, temporum ac personarum ;

b) Vere pauperes eximendos a quibusvis expensis ;

c) Taxas non adeo graves esse debere ut arceant fideles a receptione sacramentorum ;

d) Quoad matrimonium in specie, remittendas ipsas taxas esse in casibus in quibus adsit periculum ne fideles in concubinatum proruant ;

e) Tandem quoad beneficia ecclesiastica, taxas esse non debere proportionaliter inadæquatas redditibus beneficiorum.

2° Specificam præfinitionem taxarum in singulis diœcesibus Ordinariorum arbitrio non esse relinquendam, sed hac de re agendum esse in synodis provincialibus, et quatenus synodi haberi nequeant, in conventibus episcoporum in singulis provinciis ad hunc effectum peculiariter habendis, sub lege nempe ut uniformis taxa in singulis provinciis, seu regionibus, quoad fieri potest, statuatur, Sacræ Concilii Congregationi pro approbatione subjicienda.

3° Taxarum descriptionem seu notulam modo et normis superius expositis confectam quamprimum transmittendam esse ad S. Concilii Congregationem pro approbatione ; quæ tantum concedenda erit ad instar *experimenti*, pro diœcesibus Europæ ad quinquennium, pro reliquis vero ad decennium. *S. C. Concilii, die* 10 *Junii* 1896.

406. **In diœcesi Quebecensi,** antequam taxa uniformis approbetur, viget sequens notula taxarum ab archiepiscopo die 20 Aug. 1893 approbata :

Décret d'érection canonique d'une paroisse	$2 00
Autres décrets ou ordonnances	1 00
Demande d'une dispense de mariage à Rome	1 00
Demande de privilège à Rome	0 50
Certificat d'ordination	0 50

Celebret	$0 50
Exeat	0 50
Lettres de voyage	0 50
Diplôme d'érection de chemin de croix	0 50
Diplôme de confréries ou autres diplômes et documents de ce genre	0 50
Enrégistrement des résolutions de fabrique	0 50
Nomination de procureurs	0 50
Permis d'exhumations	0 50
Authentiques de reliques ou de documents	0 25
Lettres testimoniales	0 25
Lettres dimissoriales	0 25
Copie de documents par 100 mots	0 10

407. **Episcopi habent plura jura honorifica:**

1° Habent jus ut eorum nomen recenseatur in canone missæ, et singulis annis fiat commemoratio eorum electionis et consecrationis. Dies electionis, etiam pro episcopis qui ditioni S. C. de Prop. Fide subjiciuntur, est dies quo episcopus proclamatur in consistorio. *Decretum* 15 *Dec.* 1895.

2° Episcopi oratorium in suo palatio habere possunt, ubi quotidie, etiam ab his sacerdotibus qui non sunt ex familia, plures missæ celebrantur; et qui missæ intersunt in oratorio episcopi, præcepto audiendi missam satisfaciunt. *S. Rituum Cong.*, 10 *Junii* 1896.

3° Privilegio *altaris portatilis* donantur episcopi, et possunt " in eo celebrare ac facere celebrari ubicumque, absque interdicti transgressione." Bened. XIV, Encycl. *Magno cum animo* 1751.

4° In sua diœcesi, omnes archiepiscopos et episcopos, metropolitano excepto, præcedit episcopus; extra diœcesim, ordinem promotionis sequitur. Si ad archiepiscopatum promoveatur, omnes episcopos etiam antiquiores procedit. *S. Congregatio Rituum*, 10 *Jan.* 1609.

5° Præterea episcopi deferunt plura insignia suæ dignitatis, v. g. annulum, baculum pastoralem, mitram, etc. Episcopus sepeliendus est in ecclesia cathedrali, etiamsi extra diœcesim moriatur. *S. Congregatio Concilii, Mart.* 1873.

CAPUT III

DE OFFICIIS EPISCOPORUM

408. **Onus sequitur honorem,** hinc dignitas episcopalis non destituitur obligationibus tum in suscipiendo, tum maxime in exercendo episcopatu.

1° Jamvero episcopus in suscipiendo ordine tenetur juramentum fidelitatis Summo Pontifici præstare et professionem fidei in prima synodo provinciali emittere. " Quod si renuerit, episcopi comprovinciales statim S. Pontificem admonere sub pœna divinæ indignationis teneantur; interimque ab ejusdem communione abstineant." *Trid., sess. XXV, cap.* 2, *De Ref.*

2° Præcipua onera episcopi in exercitio sui officii sunt residentia, visitatio diœcesis, prædicatio, missa pro populo, visitatio liminum Apostolorum.

409. **Episcopus tenetur ad residentiam** non materialem et otiosam, sed formalem seu laboriosam. *Trid., sess. XXIII, cap.* 1, *De Ref.*

1° Residentia tribus continetur legibus, scilicet: *a)* episcopi persona, etiamsi habeat coadjutorem, saltem intra diœcesis ambitum commorari debet. Tempore autem Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis et Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi, ab ecclesia cathedrali abesse non potest, nisi forte ratio ipsa muneris episcopalis eum alio avocet intra suam diœcesim; *b)* curia seu tribunal episcopi apud ecclesiam cathedralem esse debet, quamvis episcopus in alia parte suæ diœcesis commoretur; *c)* per duos aut tres menses sive continuos, sive interruptos, licet episcopis, singulis annis, a sua diœcesi abesse, dummodo id fiat sine ullo gregis detrimento et ex æqua causa, quæ eorum conscientiæ dijudicanda relinquitur, neque incidat in dies exceptos, quibus episcopus debet esse in ecclesia cathedrali. *Trid., sess. XXIII, cap.* 1, *De Ref.*

2° Non licet illud trimestre conjungere sive cum eo tempore quo permittitur episcopis, post suam promotionem, in Urbe commorari, sive cum eo quod ad peragendam sacrorum liminum visitationem eisdem fuit concessum.

3° Neque fas est absentiæ tempora ita disponere, ut tres ultimi menses unius anni continuentur cum tribus prioribus mensibus anni subsequentis.

4° Qui, uno anno, non est usus suo trimestri non potest, anno sequenti, diutius ab ecclesia abesse.

410. **Causæ legitimæ absentiæ ultra trimestre** sunt christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, evidens Ecclesiæ utilitas. Exstantibus illis causis, oportet ut episcopus habeat debitam licentiam.

1° Olim hæc licentia concedebatur a metropolitano, sed Urbanus VIII reservavit hanc licentiam *Congregationi super residentia Episcoporum*, quam instituerat, et quæ etiam nunc temporis concedit hujusmodi licentias.

2° Ex decreto S. C. de Prop. Fide, episcopi qui dependent a S. C. de Prop. Fide, hujus congregationis licentiam habere debent, etiam ut Romam petant. *Zitelli, Apparatus Juris ecclesiastici, p.* 85; *Collectanea S. Cong. de Prop. Fide, n.* 103.

411. **Episcopi non residentes incurrunt diversas pœnas quas confirmavit Bened. XIV,** in sua constitutione *Ad universæ :*

1° Ipso facto amittunt quartam partem fructuum unius anni, quando sine rationibus legitimis et absque licentia S. Sedis, per sex menses continuos extra suam ecclesiam morantur; et aliam quartam partem fructuum ipso facto amittunt, si absentia ad alios sex menses protrahatur.

2° Committunt peccatum grave, et tenentur fructus in absentia perceptos applicare fabricæ ecclesiæ aut locis piis.

3° Amittunt ipso facto jura et privilegia quæ forsan ipsis tanquam *pontificio solio adsistentibus* concessa fuerunt.

4° "Metropolitanus suffraganeos episcopos absentes, metropolitanum vero absentem suffraganeus episcopus antiquior residens, sub pœna interdicti ingressus ecclesiæ eo ipso incurrenda, infra tres menses, per litteras seu nuntium, Romano Pontifici denuntiare teneatur." *Trid., sess. VI, cap.* 1, *De Ref.*

412. **Episcopus tenetur visitare propriam diœcesim,** cujus scopus est "tueri orthodoxam doctrinam et bonos mores, cohortari populum ad religionem, pacem et innocentiam atque generatim ea providere quæ sunt ad fidelium bonum ordinata." *Trid., sess. XXIV, c.* 3, *De Ref.*

Hinc visitatio est *personalis* et *realis*; est *personalis* quatenus episcopus inquirit de personis, de earum moribus et officiis; est *realis* quatenus inquirit de administratione, custodia et statu ecclesiarum et rerum ecclesiasticarum, et de adimpletione legatorum piorum. *Vecchiotti, Inst. Can., vol. I, De Episcopis.*

413. **Quinam tenentur visitare?**

1° "Patriarchæ, primates, metropolitani et episcopi propriam diœcesim per seipsos, aut, si legitime impediti fuerint, per suum generalem vicarium aut visitatorem, si quotannis totam, propter ejus latitudinem, visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen ut tota biennio per se vel visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant." *Concilium Trid., sess. XXIV, cap.* 3, *De Ref.*

2° Sede vacante, vicarius capitularis, post elapsum annum a die ultimæ visitationis factæ ab Ordinario, potestatem habet visitandi diœcesim. *Bened. XIV, De Synodo, lib. II, c. IX.*

3° Vicarii generales nequeunt, sine episcopi mandato, sacram visitationem explere.

4° Metropolitanus nequit visitare diœceses suorum suffraganeorum quin causa visitationis fuerit probata in concilio provinciali. *Trid., sess. XXIV, cap.* 3, *De Ref.*

414. **Quo jure diœcesim suam visitat.**

1 Episcopus visitat, *jure proprio*, personas omnes, ecclesias, loca pia quæ manifesta exemptione non potiuntur; habet intentionem fundatam in jure, hinc in dubio an sit vera exemptio, standum est pro jurisdictione episcopi. Eodem jure, visitat fratres et sorores Congregationum quæ emittunt vota simplicia, salvis tamen constitutionibus ab Apost. Sede approbatis.

2° Tanquam *Sedis Apostolicæ delegatus*, visitat hospitalia, collegia, confraternitates laicorum, omnia loca pia et omnia quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem seu pauperes sustentandos instituta sunt. *Trid., sess. XXIV, cap.* 8, *De Ref.*

415. **Summa est episcopi potestas in visitando.**

" Episcopi, ut aptius populum quem regunt possint in officio et obedientia continere, in omnibus iis quæ ad visitationem ac morum correctionem subditorum suorum spectant jus et potestatem habent, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi, exsequendi, juxta canonum sanctiones, quæ illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione ac diœcesis suæ utilitate, necessaria videbuntur." *Conc. Trid., sess. XXIV, cap.* 10, *De Ref.*

1° A decretis latis tempore visitationis, non datur appellatio *in suspensivo*, id est, appellatio, si quæ sit, non suspendit efficaciam decreti a quo appellatur.

2° Appellari potest *in devolutivo tantum ;* sed si episcopus, confecto processu, servatisque juris solemnitatibus, quidquam decreverit, ab ejus sententia datur appellatio etiam *cum effectu suspensivo.*

416. **Episcopus, quatenus doctor, habet officium docendi populum suum** et præcepto divino tenetur oves suas verbi divini prædicatione pascere. *Trid., sess. XXIII, cap. I, De Ref.*

1° Ut episcopi adimpleant hoc munus, quod eorum præcipuum est, oportet ut " in ecclesia sua ipsi per se, aut, si legitime impediti fuerint, per eos quos ad prædicationis munus assument, in aliis autem ecclesiis per parochos..., saltem omnibus dominicis et solemnibus diebus festis, tempore autem jejuniorum quadragesimæ et adventus Domini, quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, Sacras Scripturas, divinamque legem annuntient, et alias, quotiescumque id opportune fieri posse judicaverint." *Trid., sess. XXIV, cap. 4, De Ref.*

2° Item debent curare ut pueri, singulis diebus dominicis et festivis, edoceantur rudimenta fidei, obedientiam erga Deum et parentes. *Trid., loco citato.*

3° Episcopi, ex proprii ministerii officio, in christianam juventutis educationem procurandam totis viribus incumbere debent, ideoque vigilare ne quid fidei, morumve disciplinæ adversum in scholis privatis vel publicis tradatur. *Litteræ Pii IX, 5 Sept.* 1851.

417. **Episcopus tenetur missam celebrare pro populo.** 1° Hæc obligatio oritur de *jure divino*, ut dicitur apud Apost., Epist. ad Hæb., cap. V: " Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis... Et propterea debet, quemadmodum *pro populo*, et ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis."

2° Cum auctores non convenirent quibus diebus episcopus teneatur *pro populo* celebrare, Leo XIII, in constitutione *In suprema*, constituit et decrevit " omnes et singulos episcopos, quacumque dignitate etiam cardinalitia auctos, item abbates jurisdictionem quasi-episcopalem in clerum et in populum cum territorio separato habentes, in dominicis, aliisque festis diebus qui ex præcepto adhuc servantur, et qui ex dierum de præcepto festorum numero sublati sunt, omni exiguitatis reddituum excusatione, aut alia quavis exceptione

remota, ad missam *pro populo* sibi commisso celebrandam et applicandam teneri."

Episcopus adimplet præceptum per unius missæ celebrationem et applicationem, quamvis duas vel plures diœceses principaliter unitas regat.

3° Vicarii Apostolici qui præficiuntur territoriis nondum canonice erectis non tenentur ad missam *pro populo*, quamvis *ex charitate* deceat ut celebrent. *S. C. de Prop. Fide*, 16 *Jan.* 1803.

Idem dicatur de episcopis titularibus, qui ad sedes ab infidelibus occupatas nominantur: " Oportet aliquem existere cui singulariter incumbat, si non regere captivam illam miseri gregis portionem, preces saltem ac lacrymas pro eadem ad misericordiarum Patrem assidue effundere." *Pius VI.*

418. **Aliud officium episcopi est statis temporibus sese Romam conferre et visitationem sacrorum liminum peragere.** 1° Scopus hujus visitationis est vinculum unitatis inter episcopos et Romanum Pontificem confortare et relationem status ecclesiarum Pontifici præsentare, ut ipse statum omnium ecclesiarum perspectum habeat. Constitutio Sixti V, *Romanus Pontifex.*

2° Visitatio liminum fieri debet ad episcopo ; sed, si legitimo detineatur impedimento, uti potest delegato, modo delegatus mittatur ex diœcesi et speciale mandatum habeat. Si episcopus coadjutorem habeat, satis est ut vel episcopus, vel coadjutor, illius nomine, visitationem expleat et relationem status ecclesiæ suppeditet. *Bened. XIV, de Synodo, lib. XIII, cap. VI.*

3° Episcopi Americæ tenentur, singulis decenniis, limina Apostolorum visitare. Initium decennii desumendum est non a die quo episcopus proclamatus est in consistorio, vel possessionem suæ sedis adeptus est, sed a die 20 Dec. 1585, quo die constitutio Sixti V fuit edita. *Inst. S C. de Prop. Fide*, 1 *Junii* 1877.

Episcopi Italiæ et insularum adjacentium, quolibet triennio; episcopi citra mare germanicum et balticum, quolibet quadriennio; episcopi aliarum partium Europæ et Africæ, quolibet quinquennio ad limina accedere tenentur.

4° Actus visitationis triplicem actum continet: visitationem basilicarum Apostolorum Petri et Pauli, accessum ad Summum Pontificem et relationem suæ ecclesiæ. Episcopus debet Sedem Apostolicam informare de personis, ecclesiis et rebus suæ diœcesis. Episcopi, qui a S. Congregatione de Prop. Fide dependent, respondent ad plures quæstiones, quas reperies apud *Zitelli, Apparatus, pag.* 98.

5° Pœna contra eos qui sacram visitationem tempore a Sixtina constitutione præfinito omittunt, est suspensio ab omni episcopatus administratione et perceptione fructuum, imo et suspensio ab ingressu ecclesiæ die quo visitationis tempus recurrit ipso facto incurrenda, donec a contumacia non resipiscant. *Zitelli, loco citato.*

Plura alia sunt episcoporum officia quæ in decursu materiæ exponentur.

CAPUT IV

DE MODIS QUIBUS CESSAT JURISDICTIO EPISCOPALIS

419. **Episcopi amittunt suam jurisdictionem simpliciter et absolute vel relative.** Amittunt *simpliciter*, quando cessat eorum jurisdictio in aliqua diœcesi quin identica in alia acquiratur; amittunt *relative*, quando cessat eorum jurisdictio in una ut æqualis in alia diœcesi exerceatur.

Ex priori capite, potestas episcopi, præter casum mortis, cessat sive per renuntiationem, sive per depositionem.

420. **Renuntiatio definitur:** " Libera cessio alicujus beneficii, facta ex justa causa, coram legitimo superiore illam acceptante."

Hinc ad habendam renuntiationem, requiritur 1⁰ ut quis sponte dimittat beneficium suum; proinde si beneficiatus dolo aut vi circumventus, vel vi coactus beneficio renuntiaverit, renuntiatio est nulla; si renuntiatio processerit ex metu injusto et gravi, est valida, sed ad petitionem partis quæ metum passa est, est rescindibilis; 2⁰ ut acceptetur a legitimo superiore: hinc non valet antequam constet de illa superioris voluntate; 3⁰ ut adsit justa causa. *Cf. tit. II, De Potestate jurisdictionis, num.* 141.

421. **Episcopus renuntiare potest sedi tantum, vel sedi et dignitati.** Dicitur renuntiare sedi, qui renuntiat curæ seu officio et administrationi episcopali, retenta dignitate episcopali, ita ut evadat episcopus titularis; huic renuntiationi fit locus, si episcopus, ex. gr. hostilem patiatur persecutionem vel infirmitate detineatur. Sedi et dignitati renuntiare dicitur episcopus, qui cum juribus et administratione diœceseos dimittit etiam exercitium ordinis episcopalis, dignitatem et denominationem episcopalem. Hæc renuntiatio regulariter locum habet ob delictum admissum, quod pœna depositionis puniri deberet, ad quam vitandam emittitur renuntiatio.

1⁰ Quando episcopus renuntiavit loco et sedi, nequit sine licentia episcopi loci ordines conferre, sed cum licentia ejusdem episcopi licite exercet pontificalia et confert ordines sive minores, sive majores; ratio est, quia, non obstante renuntiatione, dignitatem episcopalem et ea quæ sunt ordinis episcopalis retinet.

2⁰ Si vero episcopus et sedi et dignitati renuntiaverit, tunc primam tonsuram tantum et ordines minores conferre potest, accedente semper licentia episcopi loci; ipsi prohibetur conferre ordines majores, etiam cum licentia episcopi Ordinarii. Qui ordinatur a tali episcopo, valide ordinatur sed illicite; ordinatus manet suspensus ab exercitio ordinis suscepti, et si scienter ordines receperit, non potest dispensari nisi a

Summo Pontifice; si ignoranter, dispensationem obtinere potest ab episcopo. *Bargilliat, Præl. Jur. Can., vol. I, n.* 687.

422. **Depositio est sententia qua episcopus dejicitur a munere episcopali.**

1⁰ Hæc depositio potest fieri ob grave delictum vel ob gravem necessitatem.

2⁰ Jure antiquo, episcopi, in concilio provinciæ congregati, suum comprovincialem judicabant, reservata sententia definitiva Summo Pontifici in casu appellationis; *Canon VII Conc. Sardicensis.* Jure recentiori, decursu temporum, prævaluit in disciplina canonica ut, ne in prima quidem instantia, episcopus judicetur ab alio quam a Summo Pontifice. Hanc legem jamdiu vigentem approbavit Conc. Trid., sess. XXIV, cap. 5, statuens causas criminales graviores contra episcopos, quæ depositione aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantum Pontifice agitari et terminari; minores vero causas criminales episcoporum agitari et terminari in concilio provinciali, vel a deputandis per concilium provinciale.

3⁰ Judex ordinarius causarum majorum episcoporum est *Auditor cameræ apostolicæ*, sed nequit procedere sine commissione speciali, manu Summi Pontificis signata. Episcopi qui S. C. de Prop. Fide sujiciuntur ab eadem congregatione judicari possunt.

423. **Non solum ob delictum, verum etiam ob necessitatem aut utilitatem Ecclesiæ,** Summus Pontifex potest procedere ad depositionem episcopi. Hoc eruitur ex primatu jurisdictionis Summi Pontificis et ex facto. Sufficiat referre factum Pii VII, qui anno 1801 postulavit ab omnibus episcopis Galliæ, Belgii et Sabaudiæ sedium suarum renuntiationem, præfinito eisdem episcopis termino ad resignationes faciendas. Præterlapso tempore statuto, quamvis multi episcopi renuntiationem recusassent, renuentes deposuit, et exstincta omnium episcoporum jurisdictione in priori-

bus diœcesibus, erexit novas diœceses et instituit novos episcopos.

424. **Translatio, qua cessat relative jurisdictio episcopalis, definitur:** " Mutatio personæ ecclesiasticæ de una ecclesia ad aliam, facta ab auctoritate superioris."

1° In genere translationes episcoporum menti Ecclesiæ repugnant, quia inter episcopum et ecclesiam particularem contrahitur unio spiritualis, in cujus signum episcopus defert annulum. Stante ratione sufficiente, Ecclesia, nostra ætate, translationes admittit, modo verificentur sequentes conditiones :

a) Requiritur causa gravis, qualis est necessitas aut Ecclesiæ utilitas. Utilitas verificatur, quando episcopus patitur hostilem persecutionem, vel majus bonum speratur pro particulari ecclesia.

b) Requiritur ut ordo servetur in translatione facienda ; ordo autem hic est ut quis *regulariter* transferatur de ecclesia minori ad majorem.

c) Requiritur consensus episcopi qui transfertur.

2° Si quæratur *in abstracto* an Pontifex possit episcopum invitum transferre, respondemus affirmative, quia quemadmodum potest ejus unionem dissolvere cum priori ecclesia, ita illum conjungere cum alia ecclesia ; et ad hoc uti potest pœnis, si episcopus aliam ecclesiam suscipere nollet.

425. **Effectus translationis rite factæ triplex est:**

1° Dissolvitur vinculum inter episcopum translatum et ejus ecclesiam.

2° Ecclesia ab eo tempore vacare censetur quo episcopus a vinculo illius ecclesiæ in consistorio a Romano Pontifice absolvitur, etiam ante expeditionem litterarum apostolicarum et ante adeptam possessionem secundæ ecclesiæ. Postquam vero, ex testimonio secretarii Sacri Collegii, vel alio modo, hujusmodi absolutionis notitiam episcopus translatus habuerit, illico ab exercitio jurisdictionis ordinariæ

abstinere debet; eaque in capitulum transit, ita ut capitulum statim eadem jurisdictione utatur, sedem vacantem publicare et officialem seu vicarium, ad concilii præceptum, constituere possit et debeat; *Decretum Urbani VIII*, 20 *Martii* 1625.

Antequam admoneatur, jurisdictionem exercet episcopus *ex commissione S. Sedis*, quæ ita restringitur ut ad beneficiorum collationem non extendatur; *Bened. XIV, De Synodo, lib. XIII, cap.* 16. Unde melior est conditio beneficiatorum minorum qui, si transferantur, non amittunt jurisdictionem suam, nisi possessionem alterius beneficii fuerint adepti.

3° Episcopus translatus conjungitur cum secunda ecclesia ad quam transfertur.

426. **Aliquando suspendi potest exercitium jurisdictionis episcopalis,** v. g. *per sententiam excommunicationis aut suspensionis.* Quamdiu censura non est denuntiata, episcopus retinet suam jurisdictionem; denuntiatione autem facta, eo ipso suspenditur ejus jurisdictio et vicariorum generalium potestas. Jurisdictio episcopalis in casu non devolvitur ad metropolitanum, cum id non inveniatur a jure concessum; neque ad capitulum transit, sed ex diuturna praxi ad regendam diœcesim Vicarius Apostolicus a Romano Pontifice deputatur. *Bargilliat, Præl. Jur. Can., vol. I, n.* 696.

Quando administratio diœcesis episcopo facta est *plane impossibilis*, ex captura hostium, amentia perpetua, ita ut *neque per delegatos, neque per litteras* ullatenus valeat officium suum exercere, tunc, suspensa quoque ipsius vicarii generalis jurisdictione, administratio diœcesis a capitulo suscipitur et exercetur per vicarium capitularem, usquedum Sancta Sedes aliter ecclesiæ provideat. *Cf. plura decreta S. Sedis, apud Bargilliat, vol. I, n.* 697.

APPENDIX

DE EPISCOPIS TITULARIBUS ET COADJUTORIBUS

427. **Episcopi titulares** sunt quædam personæ ecclesiasticæ episcopali charactere insignitæ quas Summus Pontifex assumpsit ad titulum ecclesiæ existentis in regionibus infidelium, carentis clero et populo christiano.

Hi prælati vulgo dicebantur olim episcopi *in partibus infidelium*, sed ex decisione S. C. de Prop. Fide, 27 Feb. 1882, quam Summus Pontifex approbavit, abrogata est hæc formula, cui substituitur alia indicans nomen regionis, e. g. N. Episcopus Corinthius in Græcia. Hi episcopi vocantur simpliciter *episcopi titulares*.

428. **Episcopi titulares, licet vinculo spirituali cum suis ecclesiis sint conjuncti, nullam tamen in eas jurisdictionem episcopalem exercent,** quia Summus Pontifex providet eis per Vicarios Apostolicos: unde non tenentur ad visitationem liminum Apostolorum et ad mittendam relationem circa statum ecclesiarum quarum titulum habent; decet ex charitate ut missam legant *pro populo.*

429. **Episcopi coadjutores** sunt illi qui constituuntur a legitima potestate ad adjuvandum episcopum in administratione diœcesis.

Coadjutores nominantur *cum futura successione*, vel *sine futura successione ;* priores sunt perpetui, et, mortuo coadjuto, statim et *ipso facto* evadunt episcopi proprii diœcesis; posteriores, qui adhuc vocantur *auxiliares*, non sunt perpetui, sed eorum jurisdictio expirat per mortem, depositionem aut renuntiationem coadjuti.

430. **Ad determinandum jura et obligationes coadjutoris,** in primis attendendum est ad tenorem litterarum apostolicarum quibus coadjutor fuit deputatus. In genere,

coadjutor, si datus fuerit episcopo in amentiam lapso, habet totam potestatem episcopalem in spiritualibus et in temporalibus; si coadjutus sit sui compos, coadjutor minime potest sese immiscere in exercitio pontificalium, quin consentiat episcopus. Ea quæ episcopus coadjutus nequit per seipsum facere, tenetur suo coadjutori committere.

431. **Coadjutor, etsi non adhibeatur, tenetur residere** et discedere nequit absque licentia episcopi; coadjutus revocare nequit ea quæ coadjutor in casibus sibi a jure permissis gessit, nec potest coadjutorem punire, quia causæ majores episcoporum pertinent ad Summum Pontificem, minores ad concilium provinciale.

Episcopus coadjutus debet dare suo coadjutori commoditatem habitationis in palatio episcopali et omnia necessaria pro exercitio pontificalium. *Bargilliat, Præl. Jur. Can., n.* 707.

TITULUS IX

DE CONCILIIS

432. **Concilium ecclesiasticum definitur:** Congregatio seu conventus virorum ecclesiasticorum, auctoritate prælati convocatorum, ad tractandum de rebus Ecclesiæ utilibus aut necessariis. In praxi, *saltem in Ecclesia Occidentali,* habetur discrimen inter concilium et synodum ; concilium est congregatio episcoporum sub aliquo prælato, dum synodus est conventus sacerdotum alicujus diœcesis sub præsidentia episcopi diœcesani.

433. **Concilia dividuntur in generalia et particularia.** Generalia sunt quæ congregantur auctoritate Summi Pontificis, omnibus christiani orbis episcopis convocatis ; vocantur a Græcis *œcumenica,* quasi concilia orbis terræ ; appellantur *plenaria* quia universalem Ecclesiam repræsentant. Particularia sunt congregationes episcoporum alicujus nationis vel provinciæ ecclesiasticæ ; in primo casu, concilium vocatur *nationale, provinciale* in secundo. De illis conciliis agendum erit in sequentibus capitibus.

CAPUT I

DE CONCILIO ŒCUMENICO

434. **Ut concilium generale legitimum et perfectum dicatur, requiritur ut mandato Summi Pontificis convocetur,** vel saltem convocatio prius facta sine auctoritate Summi Pontificis, postea rata habeatur ab eodem

Pontifice. Aliter invalide celebrantur concilia, quæ sunt conciliabula et latrocinia potius quam concilia. Ratio est evidens, nam cum convocatio sit indicenda omnibus episcopis Ecclesiæ, ab eo fieri debet qui accepit primatum jurisdictionis in omnes et singulas ecclesias, et cui soli competit cura Ecclesiæ universalis.

435. **Aliquando concilium generale potest ab alio convocari quam a Summo Pontifice,** v. g. quando plures de summo pontificatu contendunt; "in eo casu, non datur verus papa in conspectu Ecclesiæ, quæ proinde minime tenetur illi obedire. Manet ergo jus Ecclesiæ ad eligendum pontificem verum cui teneatur obedire, atque adeo ad deponendum dubium." *Mazella, De Religione et Ecclesia, pag.* 747.

Exemplum hujusmodi convocationis habemus in concilio Constantiensi, celebrato ad tollendum schisma occidentale. Hujusmodi concilium non est perfecte œcumenicum, nec habet aliam auctoritatem quam ut de certo pontifice provideat Ecclesiam.

436. **Requiritur ut ad concilium vocentur omnes qui jus habent suffragii,** nec ullus eorum excludatur, quia illud concilium repræsentat totam Ecclesiam, et juxta regulam juris 29^{am}, in 6^{0}: "Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari." Sufficit tamen ut ex intentione vocantis convocatio per se ad omnes referatur.

437. **Ad concilium quidam vocandi sunt de jure ordinario, quidam ex privilegio et consuetudine.**

1^{0} Vocandi sunt omnes totius orbis episcopi, idque jure proprio; quia sunt pastores Ecclesiæ quam tanquam primates regere debent. "Tenendum est, *ait Schmalzgrueber, Dissert. prœm., n.* 325, potestatem suffragii decisivi seu definiendi solis episcopis divinitus concessam esse. Cum enim jus definiendi ea quæ credenda, aut quæ agenda sunt, a potestate pascendi et regendi proficiscatur, ii tantum qui jure divino

pastores et doctores Ecclesiæ constituti sunt, in eodem jure divino suffragium ferunt, propositasque quæstiones definiunt. Quapropter episcopi in conciliis generalibus non consiliarii, non consultores, sed veri judices sunt."

Disputatur inter auctores an episcopi titulares sint jure ordinario vocandi. Ratio dubitandi est, quia non habent jurisdictionem in ecclesia cujus titulum deferunt. Attamen juxta plures vocandi sunt, quia per consecrationem obtinent jurisdictionem *in actu primo*, et sunt pastores veri qui *per accidens* tantum suam potestatem non exercent, ex eo quod eorum ecclesia ab infidelibus detinetur. Summus Pontifex potest episcopos titulares vocare, et semel vocati habent suffragium decisivum.

2⁰ Præter episcopos solent insuper cardinales non episcopi, abbates et præpositi generales ordinum regularium suffragium ferre, quia jurisdictione quasi episcopali potiuntur. Hoc jus eis conceditur ex privilegio ; si hanc facultatem vi characteris non habent, eamdem vi dignitatis obtinent.

3⁰ Præter istos admittuntur etiam nonnulli theologi doctrina et prudentia conspicui, aliquando etiam laici. Hi omnes non habent nisi votum consultativum et adhibentur ut juvent Patres concilii in disputando. Multo minus habent votum decisivum reges et imperatores qui concilio intersunt; sedent ut protectores concilii et executores decretorum.

4⁰ Prælati vel alii clerici qui loco episcoporum absentium intersunt concilio olim ferebant suffragium decisivum, sed in Concilio Tridentino nemo ad suffragium decisivum admissus est qui ab alio subrogatus fuerat. *Bened. XIV, De Syn. diœc., lib. III, cap.* 12.

438. **Facta convocatione, necesse non est ut omnes episcopi conveniant,** sed sufficit ille numerus episcoporum qui cum Pontifice dici potest repræsentare Ecclesiam docentem. Episcopi impediti possunt mittere procuratorem.

439. **Concilio legitime convocato præsidet Summus Pontifex per se, vel per suos legatos.** Præsidentia concilii non hoc tantum secumfert ut Pontifex in digniori loco sedeat, sed etiam ut prævio suo consilio proponantur quæstiones et negotia quæ in concilio tractari debent, et ab eodem dirigantur discussiones.

In definitionibus dogmaticis et decretis disciplinaribus non requiritur unanimitas suffragiorum, nec majoritas; per se, sufficit minor pars, si eidem adhæreat Pontifex: " Non tenetur Pontifex illi parti accedere quæ pluribus suffragiis juvatur, cum sententia paucorum melior esse possit." *Card. Sfrondatus, apud Sebastianelli, De Clericis, n.* 124.

440. **Decreta conciliorum generalium, si a Sede Apostolica confirmata sint, obtinent plenum robur et auctoritatem.** Decreta quæ doctrinam fidei orthodoxæ respiciunt, ut quatuor Evangelia sunt retinenda; quæ spectant ad morum reformationem, vim obtinent legis omnes Christi fideles obligantis. Ratio de decretis reformatoriis est, quia hujusmodi leges Papa solus potest condere: ergo multo magis eas condere potest cum concilio generali; quoad decreta doctrinalia, sunt oracula Ecclesiæ, quæ habens assistentiam Spiritus Sancti, est columna et firmamentum veritatis.

Decreta disciplinaria concilii generalis non ligant Summum Pontificem, quia inferior in superiorem, imo par in parem, legem condere nequit; unde Papa potest ea immutare, sive eis derogando, sive ab eis dispensando, sive etiam ea revocando. Attamen convenit ut nonnisi ob rationem necessitatis vel utilitatis legibus communibus deroget: unde Papa custodit canones et debet eos servare.

CAPUT II

DE CONCILIIS PARTICULARIBUS

441. **Concilia particularia sunt duplicis generis;** 1° *nationalia,* quæ celebrat aliquis patriarcha, vel primas, aut etiam Papa cum archiepiscopis et episcopis unius alicujus regni vel nationis ; 2° *provincialia,* quæ archiepiscopus, seu metropolitanus celebrat cum suis suffraganeis episcopis, abbatibus, aliisque clericis suæ provinciæ.

442. **Concilia nationalia convocantur a primate, annuente Summo Pontifice,** et sub ejus præsidentia celebrantur. A pluribus annis recessit auctoritas primatialis, et omnes archiepiscopi obtinuerunt ut dependerent immediate a Sancta Sede. Hinc non amplius celebrantur concilia nationalia; ipsa concilia Baltimorensia dicuntur nationalia quatenus fuerunt congregationes omnium episcoporum Unionis Americanæ, sed non sunt stricte nationalia, quia auctoritate apostolica, non primatiali, archiepiscopus Baltimorensis ea convocavit et eis præfuit. *Sebastianelli, De Clericis, n.* 144.

443. **Convocatio concilii provincialis pertinet ad metropolitanum,** et, eo legitime impedito, ad antiquiorem episcopum suffraganeum ; *Trid., sess. XXIV, cap.* 2, *De Ref.* Sede archiepiscopali vacante, indictio fit ab eodem antiquiore episcopo, non vero a vicario capitulari.

Antiquitus concilia provincialia bis in anno convocabantur ; jure Decretalium expresso in cap. *Sicut olim,* 25, *De accusationibus,* semel singulis annis coadunabantur ; Concilium Tridentinum mandavit convocationem concilii faciendam esse singulis trienniis. Hoc decreto non prohibetur quominus frequentius celebretur, sed ne diutius celebratio differatur. Illud decretum Concilii Trid. non potest abrogari per contrariam

consuetudinem, quæ potius corruptela juris esset appellanda; imo Sedes Apostolica non cessat hortari metropolitanos ad hanc Tridentinæ præscriptionis observentiam. *Sebastianelli, De Clericis, n.* 146.

444. **Ad concilium provinciale vocandi sunt:**

1° *Omnes episcopi suffraganei* seu comprovinciales, etiam non consecrati. Eis assimilantur *administratores apostolici* in spiritualibus et temporalibus, necnon *episcopi coadjutores,* quando coadjutus diœcesi regendæ omnino impar factus est, ita ut coadjutor jam per se diœcesim administret. Si episcopus coadjutus intersit concilio, non est conveniens ut ejus coadjutori tribuatur votum decisivum, attento præsertim quod in sententiarum discrepantia, duplici suffragio una pars adversus alteram juvaretur; ita S. Cong. de Prop. Fide in litteris quibus acta I Concilii Queb. fuerunt revisa et recognita.

2° *Abbates* et alii *Prœlati* habentes jurisdictionem quasi-episcopalem in clerum et populum alicujus loci intra ambitum ipsius provinciæ.

3° *Vicarii Capitulares* ecclesiarum vacantium, quia eis, sede vacante, devolvitur tota jurisdictio episcopalis.

445. **Episcopi et omnes qui concilio provinciali interesse debent ad ipsum convenire omnino tenentur.** Si vero justa causa impediantur, procuratorem mittere debent cum excusatione. Huic procuratori competit votum consultativum, nisi concilio provinciali placuerit ei dare votum decisivum. *Bargilliat, Prœl. Jur. Can., vol. I, tit. V, n.* 681.

446. **Ad concilium provinciale invitantur:**

1° *Capitula ecclesiarum cathedralium,* ut per suos delegatos adsint.

2° *Plures viri ecclesiastici,* qui plura officia obeunt, puta notarii, secretarii, promotoris. Patres solent plures theologos

et canonistas sibi adjungere, quorum doctrina utuntur ad pleniorem discussionem rerum agendarum.

447. **Concilio legitime convocato præesse debet metropolitanus,** vel, eo nolente aut non valente, antiquior suffraganeus. Ipsius metropolitani est designare locum in quo celebrabitur concilium, et, nisi exstet aliqua causa legitima, non potest relinquere ecclesiam metropolitanam.

Alii episcopi sedent in concilio juxta ordinem suæ consecrationis, non vero juxta dignitatem suæ ecclesiæ.

Ea censetur sententia concilii in quam convenit major pars eorum qui votum decisivum habent.

448. **Antiquitus in concilio provinciali agitabantur omnes causæ sive civiles, sive criminales episcoporum in prima instantia**; atvero Concilium Trid., sess. XXIV, cap. 5, decrevit causas criminales majores judicandas esse in tribunali Summi Pontificis, minores vero in concilio provinciali. Idem Concilium, sess. XXIV, cap. 2, statuit concilium provinciale convocandum esse " pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque in sacris canonibus permissis." Benedictus XIV, in opere *De Synodo diœcesana*, *lib.* 7, plura recenset a quibus episcopi in suis constitutionibus cavere debent, sive in concilio provinciali, sive in synodo diœcesana.

449. **Ex constitutione Immensa Sixti V, acta concilii provincialis non possunt publicari** antequam a S. Sede expendantur et recognoscantur. Porro acta concilii provincialis possunt probari *in forma communi*, vel *in forma specifica.*

1° Approbantur acta in forma communi, quando Sacra Congregatio eadem expendit, corrigit, si quæ minus recta vel opportuna occurrant, et ea recognita restituit metropolitæ ut vulgare eadem possit. Hæc recognitio novam non elargitur eisdem actis auctoritatem; unde hæc decreta in forma com-

muni et simplici approbata retinent valorem decreti provincialis. Hinc in alio concilio provinciali immutari queunt; non possunt vero a metropolitano corrigi vel abrogari extra synodum provincialem. Doctores tamen tenent episcopos singulos in propria diœcesi posse in eisdem dispensare quoad casus particulares, accedente legitima causa. *Santi, Præl. Jur. Can., lib. I, tit. XXXI, n.* 161.

2° Romanus Pontifex potest revocare decreta ad suum tribunal et ea approbare per speciales litteras; hæc approbatio dicitur in *forma specifica.* Hæc decreta non possunt a metropolitano, neque ab alio concilio provinciali, sine Romani Pontificis licentia, corrigi aut immutari, siquidem obligant in provincia perinde ac si essent constitutiones pontificiæ. Hæc tamen specialis confirmatio minime extendit decreta ad universalem Ecclesiam, nisi aliter expresserit Pontifex, vel quædam hujusmodi decreta in Corpore Juris retulerit.

450. **Decreta concilii provincialis rite recognita et, si opus fuerit, emendata, promulganda sunt** a singulis episcopis infra semestre, in synodo diœcesana, vel extra synodum. Facta promulgatione, statim obligant; licet dubitetur an leges generales Ecclesiæ obligent nisi post bimestre, ad instar legis civilis, omnes fatentur legem latam ab inferiore statim obligare post promulgationem, nisi legislator aliud decernat. *Benedictus XIV, De Synodo, lib. XIII, cap.* 4, *n.* 2.

CAPUT III

DE SYNODO DIŒCESANA

451. **Hæc synodus sic definitur:** " Legitima congregatio ab episcopo coacta ex presbyteris et clericis suæ diœcesis, aliisque qui accedere ad eam tenentur, in qua de his quæ

pastorali incumbunt agendum et deliberandum est." *Benedictus XIV, De Synodo, lib. I, c. I.*

452. **Synodum diœcesanam convocare potest :**

1° Episcopus Ordinarius loci, etsi non adhuc consecratus, quia convocatio est actus jurisdictionis quam episcopus obtinet per suam confirmationem ;

2° Vicarius Generalis non potest, sine speciali mandato, synodum indicere et celebrare ;

3° Sede vacante, Vicarius Capitularis nequit synodum celebrare, nisi elapsus fuerit annus ab ultima synodo celebrata ab episcopo ;

4° Prælati episcopis inferiores non possunt synodum indicere, nisi habeant territorium omnino separatum cum jurisdictione quasi episcopali in populum et in clerum, et insuper habeant beneplacitum apostolicum.

453. **Ad synodum diœcesanam vocantur :**

1° Abbates sæculares qui in diœcesi reperiuntur ;

2° Abbates regulares et superiores conventuum, licet exempti sint a jurisdictione episcopi, nisi in eorum religione exstet capitulum generale cui conventus totius congregationis subjiciatur ;

8° Parochi omnes et quicumque curam animarum gerunt in diœcesi, sive sæculares, sive regulares, sive beneficium curatum sit perpetuum, sive manuale ;

4° Cœteri presbyteri et clerici inferiores, quando in synodo agendum est de reformatione morum aut de promulgatione decretorum concilii provincialis ;

5° Capitulum ecclesiæ cathedralis, saltem per aliquot deputatos ;

6° Vicarii generales et vicarii foranei.

Quamvis plures clerici diœcesis in synodo conveniant, tamen episcopus solus est judex et legislator, qui incipit et dissolvit synodum, et qui suo nomine decreta conficit et promulgat. Quare votum adstantium est solum consultativum,

non vero decisivum; episcopus exquirit consilium adstantium, sed non tenetur illud sequi.

454. **Quæritur quodnam sit objectum Synodi diœcesanæ.** Materia quæ expendi potest in synodo plane exponitur in celebri opere *Bened. XIV, De Synodo.* Decreta synodi præcipiunt observantiam sacræ liturgiæ et removent abusus qui forte irrepserunt; vitia præcipua et mores depravatos præsertim clericorum emendare satagunt; pericula ab hostibus christianæ fidei opposita præveniunt et arcent salubribus monitis et sanctionibus; pacem et unitatem fovent; religionis studium et honorem in populo necnon legum ecclesiasticarum observantiam aptis dispositionibus promovent.

In synodo nominantur 1° *examinatores synodales*, quorum officium est examinare clericos promovendos ad ordines vel ad beneficia ecclesiastica, *Trid., sess. XXIV, cap.* 18, *De Ref.*; 2° *judices synodales*, quibus committenda est executio rescriptorum Sanctæ Sedis; *Trid., sess. XXV, cap.* 10, *De Ref.*

Episcopus debet se abstinere a decidendis quæstionibus quæ, salva fide, agitantur in scholis vel a doctoribus. Caveat enim ne per suas constitutiones synodales deroget juri communi, aut lædat privilegia Regularium.

455. **Remanet aliquid dicendum de tempore et de loco celebrationis synodi diœcesanæ.** Antiquitus semel vel etiam bis in anno celebrabatur; Innocentius III, in cap. 25, *De accusationibus*, edixit ut semel in anno haberetur, quam dispositionem renovavit Trid., sess. XXIV, cap. 2.

1° Lex de annuali celebratione synodi diœcesanæ abrogata non est, sed non stricte urgetur; in pluribus diœcesibus, suppletur per praxim et confirmationem eorum quæ in aliqua synodo diœcesana fuerunt constituta. Jamvero in approbatione relationum quas de statu diœcesis episcopi faciunt occasione visitationis liminum Apostolorum, S. Congregatio Con-

cilii non instat ut absolute servetur lex Tridentina, sed episcopos hortatur ut synodum diœcesanam celebrent quoties viderint bono spirituali diœcesis expedire. *Santi, Prœl. Jur. Can., lib. I, tit. XXXI, n.* 176.

2º Synodus diœcesana constituit exercitium publicum et solemne jurisdictionis episcopalis; quare in territorio episcopo subjecto celebrari debet. Licet, stricto jure, episcopus possit synodum congregare in quolibet oppido suæ diœcesis, tamen ubi nullum obstet impedimentum, maxime expedit ut illam convocet in civitate, et apud ecclesiam cathedralem, ut declaravit S. Congregatio Concilii, 17 Maii 1636.

Tandem notandum est episcopum posse statim publicare decreta synodi, quin exquirat eorum revisionem a Sancta Sede. *Cf. Santi, loco citato.*

[redacted]

TITULUS X

DE PRÆCIPUIS ADJUTORIBUS EPISCOPI

Præcipui adjutores episcopi in exercitio potestatis jurisdictionis sunt vicarii generales, vicarii foranei, canonici ecclesiæ cathedralis et consiliarii, vicarius capitularis et administrator diœcesis; de singulis agendum erit in sequentibus capitibus.

CAPUT I

DE VICARIO GENERALI

456. **Vicarius Generalis definitur:** Persona legitime deputata ad exercendam generaliter jurisdictionem episcopalem vice episcopi, ita tamen ut actus ejus ab episcopo gesti videantur.

Dicitur 1° *persona legitime deputata,* quia potest vicarius constitui sive ab episcopo, sive a Romano Pontifice.

Dicitur 2° *ad exercendam jurisdictionem episcopalem,* quia vicarius generalis repræsentat personam episcopi non in eis quæ sunt potestatis ordinis, sed jurisdictionis; hinc etiamsi vicarius generalis reperiatur insignitus dignitate episcopali, non potest conferre sacramenta confirmationis et ordinis, nec conficere chrisma aut oleum sanctum, aliaque peragere quæ sunt ordinis episcopalis, absque episcopi proprii delegatione.

Dicitur 3° ad exercendam *generaliter,* quia vicarius generalis constituitur ad universalitatem causarum totius diœcesis,

ita ut in rebus jurisdictionis possit quidquid potest episcopus. Excipiuntur actus jurisdictionis graviores et actus quos episcopus sibi reservavit.

Dicitur 4⁰ *ita ut actus ejus ab episcopo gesti videantur*, quia est de essentia vicarii generalis ut actus ab ipso positi in jure valeant eodem modo ac si ab episcopo positi fuissent. Unde a tribunali vicarii generalis non datur appellatio ad episcopum, quia appellatio fit de judice inferiori ad superiorem; jamvero episcopus et ejus vicarius generalis sunt una persona juridica et constituunt unum et idem tribunal.

Juxta praxim hodiernam, vicarii generalis et officialis nomina sunt synonyma et idem omnino officium exprimunt; generatim vicarius vocatur *generalis* quando exercet jurisdictionem voluntariam, vocatur *officialis* quando utitur jurisdictione contentiosa.

457. **An episcopus semper teneatur sibi constituere vicarium generalem,** doctores in hoc non concordant.

1⁰ Alii sentiunt episcopum, absolute loquendo, non teneri sibi vicarium constituere; alii volunt eum ad id teneri, etiam extra casum necessitatis; alii tandem distinguunt inter casum quo episcopus commode posset per seipsum omnia diœcesis negotia expedire et casum quo id non posset. Videtur episcopum non teneri ad constituendum sibi vicarium generalem; hoc expresse declaravit S. Congregatio Concilii, 11 Feb. 1695, apud *Ferraris*, v. *Vicarius generalis*, *art.* 1. Etenim episcopus satisfacit legi naturali, si sufficienti numero virorum idoneorum jurisdictionem suam deleget, et per eos negotia expedit; quo in casu, nullus exstabit in diœcesi vicarius generalis.

2⁰ Obligatio constituendi vicarium generalem sustineri tantum potest, quando episcopus non residet; unitas enim regiminis ad rectam diœcesis curam necessario postulat, ut, absente episcopo, relinquatur in diœcesi superior, qui eamdem

jurisdictionem ordinariam, quæ episcopo competit, exerceat. Hæc autem unitas non obtineretur, si episcopus absens diœcesim administraret per delegatos; quia a delegato daretur appellatio ad delegantem, qui commorans extra suam diœcesim nequiret has appellationes expedire. In hoc casu, Sancta Sedes, non metropolitanus, supplebit negligentiam episcopi vicarium generalem sibi constituere nolentis. *Sebastianelli, De Clericis, tit. X, num.* 246.

458. **Episcopus qui præest duabus diœcesibus æque principaliter unitis,** duos potest habere vicarios generales, unum pro unaquaque diœcesi. Si uni tantum ecclesiæ præficiatur, episcopus potest unum aut plures assumere, in regionibus præsertim ubi viget consuetudo habendi plures vicarios generales.

Requidem vera, canones loquuntur in numero singulari de vicario generali, de officio vicarii episcopalis, quin eo ipso prohibitum censeatur plures simul ad idem officium assumi: "Episcopus, ait *Pirhing,* non tantum unum, sed etiam plures vicarios principales, eosque cum jurisdictione ac potestate *in solidum* constituere potest;" et "nullo jure, ait *Vecchiotti, lib. II, cap.* 7, vetatur episcopus plures sibi vicarios constituere." Attamen "ubi consuetudo jam viget, jus patitur ut plures vicarii *in solidum* constituantur; at ubi hæc consuetudo non est, non permittitur introduci;" *De Angelis, tit. XXXVIII.* Hinc S. C. Concilii, interrogata an in Italia episcopus duos nominare possit vicarios generales, respondit, die 29 Aprilis 1893: *Negative.*

459. **Quando plures constituuntur vicarii generales in aliqua diœcesi,** pluribus committitur tota jurisdictio episcopalis tum voluntaria, tum contentiosa.

1⁰ Hi vicarii generales non possunt constitui ut procedant *collegialiter,* ita ut id valeat quod pluribus placuerit; hic modus in jure reprobatur, quia non expedit ut diœcesis regatur per aliquod collegium.

2° Vicarii generales non possunt hoc modo constitui ita ut unusquisque suum territorium in diœcesi habeat, et in quo tantum valide exerceat suam jurisdictionem ; in hoc haberetur vicarius particularis, non vero generalis.

3° Neque magis in jure probatur quod vicarii ita constituantur ut unus exerceat tantum jurisdictionem voluntariam, et non possit *valide* exercere contentiosam, alius deputetur ad jurisdictionem contentiosam absque jurisdictione voluntaria ; si attendatur ad naturam hujus officii, hoc modo non haberetur vicarius *generalis quoad jurisdictionem.*

460. **Vicarii generales constituuntur in solidum,** ita ut unusquisque valeat, *quoad rei validitatem*, omnia negotia tractare, et ille negotium solvere possit qui prior illud occupaverit. Diximus *quoad rei validitatem*, quia episcopus habens duos vicarios generales, potest quærere ab uno, vel ut jurisdictionem non exerceat, vel ut utatur tantum jurisdictione voluntaria aut contentiosa ; huic episcopi dispositioni stare debet vicarius generalis, *ad rei liceitatem.*

461. **Relate ad dotes requisitas in vicario generali,** oportet 1° ut quis sit clericus saltem tonsuratus, quia laicus est incapax jurisdictionis exercendæ ; 2° debet esse 25 annos natus, ex *Conc. Trid., sess. XXIV, cap.* 12 ; 3° ex stylo S. C. Concilii, requiritur ut sit doctor aut licentiatus in jure canonico ; 4° mens ejusdem congregationis est ut episcopus non eligat fratrem, aut nepotem, aut alium sibi communitate sanguinis conjunctum ; 5° item tradunt canonistæ non posse in vicarium assumi pœnitentiarium ecclesiæ cathedralis, ne suspicio oriatur quod utatur scientia habita in confessione pro dirimendis causis, præsertim criminalibus ; 6° etiam excluduntur parochi ab hoc officio, quia nimis distraherentur ab administratione suæ parochiæ, et præsertim non possent servare residentiam. *Craisson, Manuale Jur. Can., n.* 1137 *et seq.*

462. **Vicarius generalis repræsentat episcopum in exercitio jurisdictionis,** ita ut cuncta quæ agit intra limites juris, acta conseantur ab ipso episcopo. Potest consequenter agere quidquid refertur ad jurisdictionem episcopalem, iis solum exceptis quæ episcopus sibi reservari declaravit, vel quæ pro rei gravitate reservata censentur. Proinde vicariis non competunt ea quæ episcopis tribuuntur jure extraordinario, sive ex privilegio, sive ex delegatione. Hinc vicarius generalis nequit dispensare ab irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, quia hanc facultatem Tridentinum, sess. XXIV, cap. 6, concessit ut per episcopum vel vicarium *specialiter* deputandum exerceatur.

Idem dicatur de aliis facultatibus quas Sancta Sedes committit, *non Ordinariis*, sed *Episcopis*. Quamvis episcopus et vicarius generalis habeant idem tribunal in his quæ sunt jurisdictionis ordinariæ, diversum habent in his quæ sunt jurisdictionis delegatæ. Unde delegationes quæ committuntur episcopo vel vicario generali, ab episcopo vel a vicario generali executioni mandari debent.

463. **Quando delegationes committuntur Ordinario loci,** hoc nomine, juxta decretum editum a. S. C. Inquisitionis, die 20 Feb. 1888, veniunt episcopus, vicarii generales, et, sede vacante, vicarius capitularis; unde vicarius generalis est competens ut has delegationes exsequatur.

1° Illa rescripta quibus Sancta Sedes dispensat ab impedimentis matrimonialibus, committuntur Ordinariis locorum ; hinc possunt executioni mandari ab episcopo aut vicario generali, vel, sede vacante, a vicario capitulari aut ab administratore diœcesis.

2° Ex stylo Curiæ, facultates quas Sancta Sedes episcopis communicat *sub specie formularum*, conceduntur *Ordinariis locorum ;* appellatione Ordinariorum veniunt episcopi, administratores seu vicarii apostolici, prælati seu præfecti habentes jurisdictionem cum territorio separato, eorumque

officiales seu vicarii in spiritualibus generales, et, sede vacante, vicarius capitularis vel legitimus administrator. *Decretum Sti Officii*, 20 *Ap.* 1898.

3⁰ Idem Sanctum Officium, die 3 Maii 1899, declaravit verba decreti diei 24 Nov. 1897 : " facultates speciales habitualiter a S. Sede episcopis concessas," comprehendere etiam *a)* illas quibus utuntur quotiescumque voluerint, licet ad præfinitum tempus, cujusmodi sunt facultates de Pœnitentiaria dictæ, reductionis missarum ; *b)* facultatem benedicendi et delegandi ad sacra paramenta benedicenda, eamque transire ad vicarium capitularem, quamvis episcopali dignitate non insignitum ; *c)* facultates quibus dumtaxat uti valent pro determinato numero casuum, ut sunt facultates dispensandi a sacræ ordinationis titulo pro definito ordinandorum numero.

4⁰ Imo cum vicarii generales relate ad facultates speciales habitualiter a S. Sede episcopis concessas sint delegati Sanctæ Sedis, possunt subdelegare easdem facultates, dummodo in facultatibus non prohibeatur, aut subdelegandi jus pro aliquibus non coarctetur, quo in casu servanda erit forma rescripti. *Cf. Introductionem, num.* 32.

464. **Vicarius generalis non potest sine speciali mandato exsequi negotia graviora,** aut ea quæ episcopus sibi reservavit. Si quæratur quænam in specie graviora existimentur, potiores casus sunt, juxta *Zitelli, Apparatus Juris Ecclesiastici, p.* 144, synodum convocare vel constitutiones synodales mutare, diœcesim visitare, cognoscere, juxta plures, causas matrimoniales, cognoscere et punire delicta quæ graviores exigunt pœnas, concedere litteras dimissoriales ad ordines recipiendos ab alieno episcopo, nisi forte episcopus in longinquis regionibus diu commoretur, dare litteras incardinationis aut excardinationis, conferre beneficia, mutare statum beneficiorum per unionem aut dismembrationem, indulgentias concedere, etc.

465. **Negotia, quæ vi generalis mandati non intelliguntur concessa vicariis generalibus,** possunt iidem expedire vi mandati specialis habiti ab episcopo. Mandatum autem speciale, ut aliquid valeat, debet exprimi verbis tam claris, ut satis constet de intentione committentis, quia specialia non committuntur nisi exprimantur, juxta regulam juris 81^{am}: "In generali concessione non veniunt ea quæ quis in specie non esset verisimiliter concessurus."

Hinc 1° nulla intelligitur concessa potestas ad graviora negotia, quando episcopus in mandato generali fatetur se proprio vicario liberam conferre potestatem. Hæc enim expressio non indicat extensionem potestatis, sed tantum liberum exercitium potestatis vicario competentis, vi generalis mandati.

2° Nulla etiam jurisdictio ad gravis momenti causas data censetur per clausulam qua facultas fit vicario generali exsequendi quoque *ea quæ speciale mandatum requirunt*. Aliud dicendum, si episcopus, præter hujusmodi clausulam, nonnulla negotia speciale mandatum requirentia expresserit. Etenim species jurisdictionis expressæ intelliguntur designatæ veluti exempla, a quibus quasi ad similia voluntas episcopi extendi debet. Hæc tamen ultima clausula valet ut vicarius possit tractare negotia graviora ejusdem, non majoris momenti.

3° Si in mandato generali expressa fuerint negotia mandatum speciale requirentia, hæc solum agere potest vicarius, non vero nominatis similia, quia quod voluit superior expressit. *Sebastianelli, De Clericis, tit. X, cap.* 1, *num.* 250.

466. **Potest episcopus ejusmodi specialia negotia vicario generali committere, vel tanquam vicario, vel tanquam delegato.** Si dicta specialia commiserit in ipso instrumento quo vicarium constituit, vel extra commissionem, sed cum expressa clausula *tanquam vicario*, in utroque casu vicarius generalis habet jurisdictionem ordinariam in specialibus. Si vero episcopus extra commissionem

vicariatus specialia commiserit, nec expresserit an *tanquam vicario* vel an *tanquam delegato* ea concesserit, vicarius *quoad ea delegatus* censendus erit; unde tunc a vicario dicta specialia cognoscente et judicante, dabitur appellatio ad episcopum. *Bouix, de Judiciis, part. II, cap.* 4.

467. **Potestas vicarii generalis quam descripsimus, est ordinaria, non delegata.** Vicarii generalis et episcopi una et eadem est jurisdictio, proinde sicuti episcopi ita et vicarii ordinaria dicenda est jurisdictio. Præterea jurisdictio ordinaria est illa quæ alicui officio publico competit; jamvero eo ipso quod vicarius generalis constituitur, sortitur potestatem quæ in jure huic officio devolvitur. In episcopi facultate est hanc jurisdictionem limitare, sed non potest ita multiplicare reservationes ut jurisdictio proprii vicarii generalis desinat esse generalis. Tandem Congregationes Romanæ habent jurisdictionem vicarii generalis uti ordinariam; revera rescripta circa dispensationes matrimoniales debent committi *Ordinario loci;* jamvero, hoc nomine, veniunt non tantum episcopi, sed etiam vicarii generales. *S. Cong. Concilii,* 20 *Feb.* 1888.

468. **Pluribus modis vicarius generalis amittit suam potestatem :** 1^0 Si episcopus ipse jurisdictionem amittat per mortem, depositionem, aut renuntiationem, vel si episcopus eam exercere nequeat per excommunicationem aut alias pœnas quibus forsan innodatur. Jurisdictio vicarii generalis ita pendet a jurisdictione episcopi, ut vicarius generalis, mortuo episcopo, non possit prosequi negotia incœpta. 2^0 Expirat jurisdictio vicarii generalis per renuntiationem sive expressam, sive tacitam. 3^0 Cessat per revocationem sive expressam, sive tacitam, factam ab episcopo. Habetur tacita revocatio quando, non vigente consuetudine plures constituendi vicarios, episcopus alium nominat. Quocumque modo fiat revocatio, requiritur gravis et justa causa, quia revocatio,

[redacted]

præterquam quod esset causa mirandi, infamat revocatum. Non exstante causa legitima, vicarius potest ad S. Congregationem recurrere ut restituatur in officio. *Sebastianelli, De Vicario Generali, n.* 253.

CAPUT II

DE VICARIO FORANEO

469. **Vicarius foraneus est ille** qui permanenter ab episcopo in certa diœcesis parte ad certos actus deputatur. Dicitur *foraneus*, quia extra fores, seu civitatem in qua residet episcopus, constituitur.

Hinc multum differt vicarius foraneus a vicario generali :

1⁰ Vicarius foraneus *delegatam* jurisdictionem habet, vicarius generalis vero *ordinariam ;* et a sententia prioris appellatur ad episcopum, non vero a sententia posterioris.

2⁰ *Universalis* est, moraliter loquendo, vicarii generalis potestas quoad causas et loca ; foranei vero *partialis* et *restricta*, tanta scilicet quantam episcopus mandaverit.

3⁰ Vicario generali competit, ex lege ipsa et vi officii sui, certa quædam et determinata jurisdictio, ipsa nempe ordinaria jurisdictio episcopi, exceptis iis quæ jure excipiuntur, vel episcopus sibi expresse reservavit. Vicarius autem foraneus nihil exsequi valet quod expresse ipsi non commiserit episcopus. *Apud Bargilliat, Prœl. Jur. Can., vol. I, n.* 795.

470. **Vicarii foranei successerunt chorepiscopis, quorum fit mentio in primis Ecclesiæ sæculis.** Quando episcopi in cathedrali, interveniente universo clero, sacra ministeria peragebant, ad solatium plebis in pagis ac ruri degentis, iidem antistites mittebant sacerdotes res sacras fidelibus administraturos : unde dicebantur *chorepiscopi,* quasi vices

episcopi gererent. Verum chorepiscopi, multis prærogativis dotati, abusi sunt sua potestate, et medio sæculo decimo exstinctus est totus ordo chorepiscoporum. Eorum loco, archipresbyteri rurales, seu decani rurales fuerunt suffecti, et vocati fuerunt vicarii rurales seu foranei episcopi. *Benedictus XIV, De Synodo, lib. III, cap.* 3.

471. **Potestas vicarii foranei est delegata :** unde tantum potest quantum ei fuerit demandatum ab episcopo.

Duplici modo episcopus ejus potestatem definit, vel litteris quibus illum constituit, vel aliquo decreto synodi diœcesanæ.

1° Vicarius foraneus, antequam procedat in illis causis ei ab episcopo commissis, cogitur ostendere mandatum, si forte ejus jurisdictio in dubium revocetur, quia quilibet delegatus factum delegationis probare tenetur. A sententia vicarii foranei, interponi debet appellatio ad tribunal episcopi vel vicarii generalis.

2° Attenta Ecclesiæ disciplina hodierna, vicarius foraneus vigilat in clero et populo sui vicariatus ; vigilat supra parochos, an servent residentiam, prædicent diebus festivis verbum Dei, an eorum incuria divinus cultus detrimentum patiatur, etc., et informare debet episcopum.

472. **Episcopus omnes vicarios foraneos ad synodum diœcesanam vocare tenetur,** quia ab istis, tamquam a testibus oculatis, melius quam a vicario generali, certior fieri poterit de iis quæ in remotis partibus occurrunt et aliquam fortasse synodalem sanctionem exposcunt. *Benedictus XIV, De Synodo, lib. III, cap.* 3.

[redacted]

præterquam quod esset causa mirandi, infamat revocatum. Non exstante causa legitima, vicarius potest ad S. Congregationem recurrere ut restituatur in officio. *Sebastianelli, De Vicario Generali, n.* 253.

CAPUT II

DE VICARIO FORANEO

469. **Vicarius foraneus est ille** qui permanenter ab episcopo in certa diœcesis parte ad certos actus deputatur. Dicitur *foraneus*, quia extra fores, seu civitatem in qua residet episcopus, constituitur.

Hinc multum differt vicarius foraneus a vicario generali :

1° Vicarius foraneus *delegatam* jurisdictionem habet, vicarius generalis vero *ordinariam ;* et a sententia prioris appellatur ad episcopum, non vero a sententia posterioris.

2° *Universalis* est, moraliter loquendo, vicarii generalis potestas quoad causas et loca ; foranei vero *partialis* et *restricta,* tanta scilicet quantam episcopus mandaverit.

3° Vicario generali competit, ex lege ipsa et vi officii sui, certa quædam et determinata jurisdictio, ipsa nempe ordinaria jurisdictio episcopi, exceptis iis quæ jure excipiuntur, vel episcopus sibi expresse reservavit. Vicarius autem foraneus nihil exsequi valet quod expresse ipsi non commiserit episcopus. *Apud Bargilliat, Prœl. Jur. Can., vol. I, n.* 795.

470. **Vicarii foranei successerunt chorepiscopis, quorum fit mentio in primis Ecclesiæ sæculis.** Quando episcopi in cathedrali, interveniente universo clero, sacra ministeria peragebant, ad solatium plebis in pagis ac ruri degentis, iidem antistites mittebant sacerdotes res sacras fidelibus administraturos : unde dicebantur *chorepiscopi*, quasi vices

episcopi gererent. Verum chorepiscopi, multis prærogativis dotati, abusi sunt sua potestate, et medio sæculo decimo exstinctus est totus ordo chorepiscoporum. Eorum loco, archipresbyteri rurales, seu decani rurales fuerunt suffecti, et vocati fuerunt vicarii rurales seu foranei episcopi. *Benedictus XIV, De Synodo, lib. III, cap.* 3.

471. **Potestas vicarii foranei est delegata :** unde tantum potest quantum ei fuerit demandatum ab episcopo.

Duplici modo episcopus ejus potestatem definit, vel litteris quibus illum constituit, vel aliquo decreto synodi diœcesanæ.

1° Vicarius foraneus, antequam procedat in illis causis ei ab episcopo commissis, cogitur ostendere mandatum, si forte ejus jurisdictio in dubium revocetur, quia quilibet delegatus factum delegationis probare tenetur. A sententia vicarii foranei, interponi debet appellatio ad tribunal episcopi vel vicarii generalis.

2° Attenta Ecclesiæ disciplina hodierna, vicarius foraneus vigilat in clero et populo sui vicariatus ; vigilat supra parochos, an servent residentiam, prædicent diebus festivis verbum Dei, an eorum incuria divinus cultus detrimentum patiatur, etc., et informare debet episcopum.

472. **Episcopus omnes vicarios foraneos ad synodum diœcesanam vocare tenetur,** quia ab istis, tamquam a testibus oculatis, melius quam a vicario generali, certior fieri poterit de iis quæ in remotis partibus occurrunt et aliquam fortasse synodalem sanctionem exposcunt. *Benedictus XIV, De Synodo, lib. III, cap.* 3.

CAPUT III

DE CAPITULO ECCLESIÆ CATHEDRALIS

473. **Hæc describitur origo capituli cathedralis.** 1° Antiquitus una erat in singulis diœcesibus ecclesia quæ cathedralis dicebatur, a cathedra episcopi ibidem præsidentis. Ad hanc conveniebat totus clerus diœcesis qui, tribus primis Ecclesiæ sæculis, fere ubique constabat duodecim sacerdotibus ad instar collegii apostolici, septem diaconis et clericis minoribus, e quibus assumebantur presbyteri et diaconi. Clerici omnes adhærebant episcopo tanquam principi, eumque adjuvabant sive in administratione sacramentorum, sive in eis quæ sese referebant ad jurisdictionis exercitium : qua de causa appellabantur *consilium*, *corona*, *senatus* et *presbyterium episcopi*.

2° Hæc disciplina viguit usque ad sæculum quartum, quo tempore, ruri instituti fuerunt sacerdotes ibidem sacra ministraturi. Sacerdotes rurales, quasi inferioris ordinis, exclusi fuerunt a tractandis negotiis diœcesanis, et hoc proprium evasit clericorum in ecclesia cathedrali inservientium. Hinc ab initio Ecclesiæ usque ad nostra tempora, clerici cathedralis ecclesiæ habiti sunt veluti majores præ reliquis clericis diœcesanis, et, ut peculiari nomine distinguerentur a ceteris, vocati fuerunt communiter *canonici*, *quasi de canone ecclesiæ assumpti*, et collegium canonicorum dictum est capitulum ecclesiæ cathedralis. *Sebastianelli, De Clericis, tit. IX, num.* 203.

474. **Capitulum recte definitur :** Collegium clericorum ab Ecclesia institutum ut officium chori persolvat, auxilietur episcopo in diœcesis regimine, illumque suppleat, sede vacante.

1° Magna fuit olim potestas capituli in regimine diœcesis : « Episcopus nullus, *juxta canonem* 22um *concilii Carthagi-*

niensis IV, causam audiat absque præsentia clericorum suorum; alioquin irrita erit sententia episcopi, nisi clericorum sententia confirmetur." Cum canonici, multis in locis, abuterentur sua potestate, Ecclesia limitavit eorum jura, ut facilius explicaretur actio episcopi. Hoc factum est præsertim in Concilio Tridentino.

2º Non est tamen credendum actum esse de capitulis cathedralibus; nam quamvis Ecclesia eorumdem capitulorum auctoritatem intra certos fines coarctaverit, nunquam ipsam institutionem de medio tollendam esse duxit, imo nec etiam essentiam ipsorum capitulorum immutandam esse credidit. "S. Congregatio de Prop. Fide episcopos suæ jurisdictioni subditos hortari nunquam destituit ad capitula ipsa in propriis diœcesibus constituenda. Quod si rerum adjuncta alicubi id fieri non sinant, voluit ut episcopi capituli deficientiæ suppleant, instituendo consilium aliquot missionariorum, quos adhibeant in negotiis gravioris momenti expediendis, et potissimum in causis clericorum judicandis; quorum quidem suffragia, etsi consultativa sint apud episcopum, valebunt tamen non solum ad sententiam pleniori cum cognitione causæ ferendam, sed etiam ita ut episcopus ab eorum pluralitate in suo judicio nonnisi ex gravissimis et manifestis rationibus discedat." *Zitelli, Apparatus Juris, pag.* 148.

475. **Capitulum ecclesiæ cathedralis non ab alio erigitur quam a Summo Pontifice.** Quando diœcesim erigit, capitulum in ea constituit; quod si, ob temporum difficultates, capitulum non erigeretur una simul cum cathedrali, remaneret tamen inter causas majores Sedi Apostolicæ reservatas.

Die 28 Sept. 1852, S. Congregatio de Prop. Fide, annuens votis Patrum I concilii Quebecensis, eos delegavit ut in suis ecclesiis cathedralibus capitula erigerent juxta normas infra describendas.

476. **Capitulum cathedrale constat dignitatibus, personatibus et officiis.**

1° *Dignitas*, juxta primitivam significationem, erat titulus beneficialis annexam habens præcedentiam cum jurisdictione. Sed a pluribus sæculis tituli quibus olim jurisdictio cum præcedentia competebat, velut archidiaconatus et archipresbyteratus, hac jurisdictione spoliati sunt et tamen tanquam dignitates adhuc habentur. Dignitates non differunt *de facto* a personatu; attamen differunt *in jure* ex eo quod olim aliquæ ex ipsis annexam habuerunt jurisdictionem, et ex eo quod cæteræ per statutum aut consuetudinem fuerunt constitutæ, quales sunt in pluribus locis decanatus, præpositura, primiceriatus.

2° *Personatus* est titulus qui in capitulo confert præeminentiam sine jurisdictione proprie dicta ; hujusmodi est officium sacristæ.

3° *Officium* est titulus conferens administrationem in capitulo sine præeminentia et jurisdictione, quale est officium theologalis et pœnitentiarii.

4° Præter dignitates et canonicatus, in quibusdam capitulis majoribus alia reperiuntur inferiora beneficia quæ non sunt de corpore capituli. Hujusmodi sunt *mansionarii*, qui in eadem ecclesia assidue et veluti permanenter officium canendi in choro et divina celebrandi suscipiunt ; tales sunt *portionarii*, quibus tribuitur portio fructuum ob aliquod officium quod obeunt in capitulo. *Bouix*, *De Capitulis*, *pag.* 122.

477. **In cathedralibus ecclesiis tot esse debent canonici quot pro servitio ecclesiæ satisfacere possint.**

1° Requiritur ut sint saltem tres ut habeatur capitulum, juxta receptum effatum : " Tres faciunt capitulum." Attamen si, capitulo semel constituto, pleraque membra deficiant et unus tantum canonicus supersit, capitulum adhuc sub-

sistit et canonicus conservat suum titulum et sua jura, nam "quod dictum est tres saltem requiri ad capitulum, ait *Fagnanus*, verum est ab initio, sed postea jus collegii etiam in uno retinetur."

2° Quæritur an episcopus possit augere numerum canonicorum. Distinguendum est inter capitula quibus præfixus est numerus canonicorum et alia capitula. Si præfixus non sit numerus, omnes canonistæ docent episcopum posse novos canonicatus constituere, modo tamen singulis assignet proventus certos, qui locum præbendæ teneant. Si præfixus fuerit numerus canonicorum, videndum erit an illa determinatio facta fuerit decreto absoluto S. Pontificis, aut tantummodo ob rationem proventuum qui impares censentur pluribus canonicis. In priori casu, servandum erit decretum apostolicum; in posteriori casu, episcopus valet numerum canonicatuum adaugere, modo simul adaugeantur proventus. *Icard, Præl. Jur. Can. Sti Sulpicii, vol. II, n.* 385, 386.

478. **Collatio dignitatum et canonicatuum, salvis regulis Cancellariæ Apostolicæ, ad episcopum et capitulum pertinet.** *Craisson, Manuale Jur. Can., n.* 2269.

1° In hac simultanea collatione, æquale est jus episcopi et jus capituli, quasi duæ essent personæ, quarum una repræsentat episcopum, altera capitulum. Cum, ob vocum æqualitatem, iste modus conferendi sæpe ad praxim deducibilis non est, prudenter exercitium juris dividi potest, ita ut *per alternas vices* collatio fiat ab episcopo, vel a capitulo. *Bargilliat, Præl. Jur. Can., vol. I, n.* 729.

2° Jus illius simultaneæ collationis originem ducit ex eo quod primitus communes erant redditus episcopi et capituli. Cum massa communis reddituum tum ad episcopum, tum ad capitulum pertineret, non æquum erat ut aliquis clericus ad participationem hujus massæ admitteretur, nisi consentiente utroque, id est, episcopo simul et capitulo. Et licet postea

divisa fuerit massa inter episcopum et canonicos, perseveravit collatio simultanea. *Bouix, De Capitulis, II part., cap.* 4.

3⁰ Ex longa consuetudine, jus conferendi canonicatus firmari potest in episcopo solo. De facto, a tempore concordati anni 1801, consuetudo in Gallia obtinuit ut episcopi sibi unice reservarent collationem canonicatuum ; et Sancta Sedes statuta quorumdam capitulorum approbavit, quæ hujusmodi jura episcopo adscribunt.

479. **Attentis regulis Cancellariæ Apostolicæ,** collatio dignitatum et canonicatuum R. Pontifici reservari potest.

Per 1^am regulam reservantur Summo Pontifici dignitates et canonicatus vacantes apud *Sedem* vel in *Curia Romana*. Beneficium dicitur vacare apud Sedem, quando ejus titularis apud eam moritur ; dicitur vacare apud Curiam, quando quis in Curia resignavit suum beneficium vel eo privatus fuit in Curia sive per sententiam sive per promotionem.

Eadem regula reservantur canonicatus qui essent conferendi præter dispositiones juris communis. *Cf. vol. II, n.* 825.

Per regulam 2^am reservantur S. Pontifici dignitates et canonicatus, sede episcopali vacante, vacantes.

Per regulam 4^am reservatur prima dignitas in capitulo.

Per regulam 9^am reservantur dignitates et canonicatus vacantes mensibus papalibus. *Cf. vol. II, loco citato.*

480. **Si agatur de canonicis ad honorem,** episcopus, præter consensum sui capituli, ad sequentia attendere debet :

1⁰ Episcopus, seu Ordinarius, ecclesiasticum quempiam virum alienæ diœceseos canonicum *ad honorem* nominaturus, præter capituli sui consensum, Ordinarii cui nominandus subjicitur, notitiam et votum obtineat, eumdemque Ordinarium insignia edoceat ac privilegia quorum usus nominando tribueretur.

2⁰ Canonici *ad honorem* extra diœcesim in qua nominati sunt, degentes, numero sint tertia parte minores cunctis canonicis...... ecclesiæ cathedrali adsignatis.

3° ....Qui vero alicujus metropolitanæ, vel cathedralis, aut collegiatæ ecclesiæ, seu basilicæ minoris extra Urbem canonici sunt *ad honorem*, privilegiis et insignibus tantum utantur in diœcesi ubi nominati sunt, nullo modo extra illius territorium.

4° Hæc omnia serventur quoque a canonicis *ad honorem* usque ad hanc diem nominatis." *Const. Leonis XIII*, 29 *Jan.* 1894.

481. **Si quæratur quinam assumendi sint ad dignitates et canonicatus,** juxta Conc. Trid., sess. XXIV, cap. 12, oportet 1° ut omnes canonicatus annexum habeant ordinem presbyterii, diaconatus, vel subdiaconatus, ita ut canonicorum " dimidia saltem pars presbyteri sint, cœteri vero diaconi aut subdiaconi. Ubi vero consuetudo laudabilior habet ut plures vel omnes sint presbyteri, omnino servetur."

2° Concilium ibidem hortatur episcopos, " ut in provinciis ubi id commode fieri potest, *dignitates omnes* et saltem *dimidia pars canonicatuum* in cathedralibus conferantur tantum magistris vel doctoribus, aut etiam licentiatis in theologia vel jure canonico."

3° Relate ad officia theologalis et pœnitentiarii, Benedictus XIII, litteris *Pastoralis officii*, mandavit ut præbenda theologalis et pœnitentiarii conferatur doctori in sacra theologia, vel qui infra annum lauream doctoralem in eadem facultate suscipiat, et magis idoneo in concursu ab examinatoribus renuntiato, eo fere modo quo parochiales ecclesiæ conferuntur. Hæc constitutio, lata pro Italia et insulis adjacentibus, nunc valet ubique. *Ferraris, Bibliotheca*, v. *Canonicatus, art.* 9, *num.* 14. Saltem valet pro capitulis in hac regione erectis.

Quoad canonicum pœnitentiarium, præter requisita in litteris *Pastoralis officii*, oportet ut sit 40 annos natus. *Concilium Trid., sess. XXIV, cap.* 8, *De Ref.*

divisa fuerit massa inter episcopum et canonicos, perseveravit collatio simultanea. *Bouix, De Capitulis, II part., cap.* 4.

3° Ex longa consuetudine, jus conferendi canonicatus firmari potest in episcopo solo. De facto, a tempore concordati anni 1801, consuetudo in Gallia obtinuit ut episcopi sibi unice reservarent collationem canonicatuum ; et Sancta Sedes statuta quorumdam capitulorum approbavit, quæ hujusmodi jura episcopo adscribunt.

479. **Attentis regulis Cancellariæ Apostolicæ,** collatio dignitatum et canonicatuum R. Pontifici reservari potest.

Per 1am regulam reservantur Summo Pontifici dignitates et canonicatus vacantes apud *Sedem* vel in *Curia Romana*. Beneficium dicitur vacare apud Sedem, quando ejus titularis apud eam moritur ; dicitur vacare apud Curiam, quando quis in Curia resignavit suum beneficium vel eo privatus fuit in Curia sive per sententiam sive per promotionem.

Eadem regula reservantur canonicatus qui essent conferendi præter dispositiones juris communis. *Cf. vol. II, n.* 825.

Per regulam 2am reservantur S. Pontifici dignitates et canonicatus, sede episcopali vacante, vacantes.

Per regulam 4am reservatur prima dignitas in capitulo.

Per regulam 9am reservantur dignitates et canonicatus vacantes mensibus papalibus. *Cf. vol. II, loco citato.*

480. **Si agatur de canonicis ad honorem,** episcopus, præter consensum sui capituli, ad sequentia attendere debet :

1°. Episcopus, seu Ordinarius, ecclesiasticum quempiam virum alienæ diœceseos canonicum *ad honorem* nominaturus, præter capituli sui consensum, Ordinarii cui nominandus subjicitur, notitiam et votum obtineat, eumdemque Ordinarium insignia edoceat ac privilegia quorum usus nominando tribueretur.

2° Canonici *ad honorem* extra diœcesim in qua nominati sunt, degentes, numero sint tertia parte minores cunctis canonicis...... ecclesiæ cathedrali adsignatis.

3° ....Qui vero alicujus metropolitanæ, vel cathedralis, aut collegiatæ ecclesiæ, seu basilicæ minoris extra Urbem canonici sunt *ad honorem*, privilegiis et insignibus tantum utantur in diœcesi ubi nominati sunt, nullo modo extra illius territorium.

4° Hæc omnia serventur quoque a canonicis *ad honorem* usque ad hanc diem nominatis." *Const. Leonis XIII*, 29 *Jan*. 1894.

481. **Si quæratur quinam assumendi sint ad dignitates et canonicatus,** juxta Conc. Trid., sess. XXIV, cap. 12, oportet 1° ut omnes canonicatus annexum habeant ordinem presbyterii, diaconatus, vel subdiaconatus, ita ut canonicorum " dimidia saltem pars presbyteri sint, cœteri vero diaconi aut subdiaconi. Ubi vero consuetudo laudabilior habet ut plures vel omnes sint presbyteri, omnino servetur."

2° Concilium ibidem hortatur episcopos, " ut in provinciis ubi id commode fieri potest, *dignitates omnes* et saltem *dimidia pars canonicatuum* in cathedralibus conferantur tantum magistris vel doctoribus, aut etiam licentiatis in theologia vel jure canonico."

3° Relate ad officia theologalis et pœnitentiarii, Benedictus XIII, litteris *Pastoralis officii*, mandavit ut præbenda theologalis et pœnitentiarii conferatur doctori in sacra theologia, vel qui infra annum lauream doctoralem in eadem facultate suscipiat, et magis idoneo in concursu ab examinatoribus renuntiato, eo fere modo quo parochiales ecclesiæ conferuntur. Hæc constitutio, lata pro Italia et insulis adjacentibus, nunc valet ubique. *Ferraris*, *Bibliotheca*, v. *Canonicatus*, *art*. 9, *num*. 14. Saltem valet pro capitulis in hac regione erectis.

Quoad canonicum pœnitentiarium, præter requisita in litteris *Pastoralis officii*, oportet ut sit 40 annos natus. *Concilium Trid.*, *sess. XXIV*, *cap*. 8, *De Ref.*

4º Tandem requiritur in canonicis ea morum integritas ut merito senatus ecclesiæ dici possint. *Conc. Trid., sess. XXIV, cap.* 12, *De Ref.*

482. **Ad jura quod attinet, canonici, sede plena, constituunt senatum episcopi.** Quamvis episcopus in exercitio suæ jurisdictionis non pendeat a capitulo, tamen debet aliquando exquirere consensum vel consilium capituli, in his casibus in quibus jus expresse alterutrum exigit.

Porro *consensus* in eo consistit quod major et sanior pars capitularium approbet illud quod proponitur; *consilium* in eo est quod ante rem statuendam adhibeatur consultatio canonicorum capitulariter congregatorum. Hinc quando requiritur consensus, tenetur prælatus sequi id quod sanior et major pars capitularium decrevit, ne aliquid invalide agat; quando requiritur consilium, sola consultatio sufficit ad validitatem actus, et prælatus consilium sequi non tenetur. Ne inde concludas canonicorum consilium esse inutile: etsi episcopus non teneatur illud sequi, consulentium tamen rationibus instruitur atque edocetur ne inconsiderate agat.

483. **Regulariter necessarius est capituli consensus in illis negotiis** in quibus, aut ecclesiæ obligatio aliqua notabilis imponitur, aut eidem ecclesiæ notabile præjudicium generari potest. Speciatim requiritur consensus, 1º in alienandis rebus ecclesiasticis, sive sint mobiles pretiosæ, sive immobiles excedentes summam 25 ducatorum, ($100.00, *juxta Smith, Elements of ecclesiastical law, vol. I, pag.* 486) sive hujusmodi bona sint ecclesiæ cathedralis, sive alterius ecclesiæ. Præter hunc consensum, requiritur etiam licentia S. Sedis; 2º in constituendis hypothecis, vel alio modo obligando ecclesias, seu bona ecclesiastica, quia hæc sunt species alienationis; 3º in erectione novæ parochiæ intra fines alterius parochiæ; hæc enim divisio parochiæ et dismembratio reddituum ad matricem ecclesiam pertinentium, est quædam species alie-

nationis rerum ecclesiasticarum; 4⁰ in erigendis novis canonicatibus et novis dignitatibus in ecclesia cathedrali; 5⁰ in uniendis, dividendis et supprimendis beneficiis ecclesiasticis; 6⁰ in exigendo subsidio charitativo ad grave malum vitandum; 7⁰ in puniendis subditorum excessibus pœna degradationis, suspensionis perpetuæ et interdicti. *Sebastianelli, De Clericis, num.* 214.

484. **Consilium capituli exquirendum est in omnibus rebus arduis ecclesiæ.** In specie, episcopus tenetur exquirere consilium sui capituli, 1⁰ in publicandis decretis synodi diœcesanæ; 2⁰ in designando ordine sacro qui alicui canonicatui in futurum erit annexus; 3⁰ in judiciis criminalibus et condemnationibus clericorum. *Sebastianelli, loco citato.*

485. **Episcopus ex consuetudine eximi potest ab obligatione exquirendi consensum vel consilium capituli,** in casibus in quibus, spectato jure communi, ad ipsum exquirendum teneretur.

"In Gallia, ait *Icard, vol. II, part. II, art.* 5, *pag.* 165, res eo devenerunt ut difficile designari possit qui sint in specie casus ex supra indicatis quos episcopus non valeat expedire, inconsulto capitulo, in eis quæ sunt regiminis diœcesis. Non inde concludas naturam et destinationem capitulorum immutatas fuisse, et inutiliter S. Pontifices ea, postremis temporibus, instaurasse ut providerent consilio episcoporum atque ecclesiarum administrationi. Capitula sunt, hodierna ætate, non secus ac sæculis præteritis, instituta ut episcopum juvent in regimine diœcesis, illumque suppleant, sede vacante. Episcopus semper potest consulere suum capitulum, quando ita exposcit gravitas causæ, et, episcopo postulante, capitulum ex officio tenetur operam impendere ut illum suis consiliis atque concursu adjuvet." Ambigi non potest, notat *Benedictus XIV, De Synodo, lib. XIII, c.* 1, *n.* 5, quin etiam hodie, jure decretalium, canonici eccle-

siæ cathedralis sint consiliarii nati episcoporum, adeo ut non liceat episcopo aliquod gravis momenti negotium aggredi et deliberare, inconsulto capitulo.

486. **Canonici jus habent ad suam præbendam.**

1° Præbenda est jus percipiendi bona ecclesiastica adnexa canonicatui.

2° Præter præbendam, canonici recipiunt distributiones quotidianas, quando officio canonico *realiter* aut *fictione juris* præsentes sunt. Has distributiones primus instituit Ivo Carnotensis, qui, " cum in quampluribus canonicorum Carnotentium desuevisset disciplinæ regularis observantia, ut de negligentibus faceret diligentes, de tardis assiduos ad frequentandas horas canonicas, deliberavit apud se ut daret eis dimidiam præposituram, ut inde fieret quotidianus panis quem acciperent assidui, amitterent tardi; ut quos panis interni dulcedo non movebat, panis corporis refectio provocaret." *Bened. XIV, Institutiones Canonicæ.*

3° Canonici percipiunt *distributiones manuales*, ob suam præsentiam quibusdam officiis extraordinariis, ad quæ non tenentur vi sui tituli, v. g. obsequiis, anniversariis, etc.

487. **Capitulum cathedrale in cœtibus ecclesiasticis jus habet præcedendi clericos sive regulares, sive sæculares, et parochos.** Canonici ecclesiæ cathedralis, *uti singuli*, non præcedunt parochum in ipsius ecclesia; si tamen aliquis canonicus, etiam honorarius tantum, episcopum suum comitetur, præest parocho in parochiali ecclesia, etiam extra diœcesim; quia tunc procedit non tanquam privatus, sed tanquam membrum cum capite suo. *S. Rituum Congregatio* 19 *Maii* 1838.

Inter se, quando choro aut conventui capitulari adsistunt, servant ordinem statutis præfixum. Sedent primo loco dignitates, deinde personatus, alii postea, servato installationis ordine.

488. **Canonici jus habent utendi insignibus suo capitulo attributis.** In ipsa capitulorum erectione, solet Summus Pontifex habitum et insignia canonicorum determinare, et hac in re episcopus, sine speciali indulto, nihil determinare potest.

Canonici insignibus sui ordinis uti debent tantum in sua propria ecclesia, et extra ecclesiam quando capitulariter procedunt, v. g. in publicis processionibus; *S. Cong. Rituum*, 31 *Maii* 1817. Ratio est, quia insignia data sunt ad decorandum capitulum, non vero ad ornamentum distinctivum canonicorum. Ergo canonici, qui extra propriam ecclesiam, in eadem etiam diœcesi, sacras functiones obeunt, *ut singuli*, non possunt jure communi uti suis insignibus. *Prœl. Juris Can. Sti Sulpicii, vol. II, n.* 419.

489. **Tandem jus administrandi extrema sacramenta canonicis cathedralium, eorumque funera peragendi,** in quacumque parœcia habitent, non ad parochum spectat, sed ad ipsum capitulum; imo, ex quorumdam sententia, canonicus ecclesiæ cathedralis, habitans in aliena parœcia, non ideo fit parochianus ecclesiæ particularis, sed remanet ecclesiæ cathedrali obligatus. *Bargilliat, Prœl. Jur. Can., vol. I, n.* 767.

490. **Canonicis gravissima officia imponuntur:** 1º "Provisi de canonicatibus et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus, non solum coram episcopo, seu ejus officiali, sed etiam in capitulo professionem fidei facere teneantur; alioquin prædicti omnes provisi fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur." *Conc. Trid., sess. XXIV, cap.* 12. *De Ref.*

2º Canonici tenentur ad residentiam. Si absint ultra tres menses, privantur primo anno dimidia parte fructuum, quos etiam ratione præbendæ ac residentiæ fecerunt suos. *Conc. Trid., loco citato.*

Quod si iterum usi fuerint eadem negligentia, privantur

omnibus fructibus quos eodem anno lucrati fuerint. Crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrorum canonum constitutiones procedatur.

3⁰ Canonici debent interesse choro et psalmodiæ: "Omnes qui in cathedralibus canonicatum obtinent divina officia per se, et non per substitutos, compellantur obire officia..., atque in choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare." *Trid., sess. XXIV, cap.* 12, *De Ref.*

4⁰ Canonici tenentur ad quotidianam celebrationem missæ conventualis cum cantu, cujus fructus benefactoribus ecclesiæ applicandi sunt. *Benedictus XIV, Institutiones.*

5⁰ Canonici tenentur convenire in cœtum capitularem, quando rite convocantur. Hæc obligatio est aliquando gravis, quando negotium grave pertractari debet, v. g. reformatio abusus, electio vicarii capitularis, sede vacante, et præsentia videtur valde expedire ad felicem exitum rei, in bonum religionis.

6⁰ Canonici tenentur episcopo exhibere obedientiam quæ in duobus potissimum consistit, nempe *a)* in justis episcopi mandatis excipiendis et observandis. Episcopus potest capitulo ea omnia mandare quæ ratione status clericalis, officii et beneficii præstanda sunt, vel a singulis canonicis, vel a toto capitulo, juxta sacros canones; *b)* in ejusdem judicio subeundo; nam forum competens capituli est tribunal episcopi. Quare si legitime citatur capitulum, vel capitulares ad comparendum in judicio coram tribunali episcopi, in eo tribunali comparere tenentur. *Zitelli, Apparatus, pag.* 163.

7⁰ Canonici debent episcopo exhibere reverentiam, ei primum locum tribuendo, ei assistendo et inserviendo quando pontificaliter celebrat, illum associando et deducendo. Hinc quando episcopus pontificaliter celebrat, tenentur canonici illum comitari ad ecclesiam cathedralem, et post peractam

rem sacram, illum recedentem associare usque ad ecclesiæ portam. *Zitelli, loco citato.*

491. **Canonicis quibusdam officia specialia imponuntur.**

1° Primus dignitarius vigilare tenetur tum in choro, tum in cœtibus capitularibus ut omnia in capitulo serventur ad tramites juris communis et statutorum specialium.

2° Archipresbyter, quando munere parochi fungitur, debet omnia implere quæ sunt parochorum propria relate ad sacramentorum administrationem, prædicationem verbi, parvulorum instructionem, etc.

3° Canonicus theologalis fuit institutus ut in ecclesia cathedrali exponeret Scripturam Sacram, " ne cœlestis ille sacrorum librorum thesaurus... neglectus jaceat." *Conc. Trid., sess. V, c.* 1, *De Ref.* Hodiernis temporibus, ait *Santi, lib. V, tit. V, n.* 10, post encyclicas Greg. XVI *Inter præcipuas,* regulam esse ut theologus biblicas lectiones in ecclesia habeat, adeoque sine judicio et venia S. Sedis canonicum theologum non posse omittere publicas lectiones et earum loco in seminario S. Scripturam vel theologiam docere.

4° Pœnitentiarius legitime institutus habet a jure facultatem audiendi confessiones et jurisdictionem ad absolvendum a peccatis. *Trid, sess. XXIV, cap.* 8, *De Ref.*

492. **Canonicus semel nominatus servat suum titulum in perpetuum,** nisi sponte cedat aut judicio privetur in pœnam delicti. Idem videtur dicendum de canonicis honorariis. Re quidem vera, canonicatus honorarius collatus fuit in perpetuum, et habetur in communi æstimatione pro titulo permanenti ; quapropter ejusdem tituli privatio, si arbitrario fiat, lædit jus acquisitum, et insuper quamdam notam infamiæ infert sacerdoti.

An requiratur processus, noluit S. C. Rituum definire ; id solummodo consilium dedit episcopo consulenti ut non veni-

ret ad privationem, nisi quando exigit indigna sacerdotis conversatio, ut contra illum de more procedere necesse sit ad majora scandala prævenienda. *S. C. Rituum, die* 11 *Sept.* 1847, *apud Icard, Prœl. Juris Canonici Sti Sulpicii.*

APPENDIX I

DE CAPITULIS IN LOCIS MISSIONUM

493. **Per litteras apostolicas, datas die 16 Julii 1852, Pius IX annuit pro erectione capitulorum cathedralium in diœcesibus** quarum episcopi primo concilio Quebecensi interfuerunt, juxta instructiones quæ infra referuntur.

1° Unumquodque capitulum constabit una dignitate et decem canonicis titularibus ; dignitas titulo *præpositi* distinguetur ; inter decem canonicos titulares erunt quoque *theologalis* ac *pœnitentiarius.*

2° Prima vice, permittitur archiepiscopo et episcopis ut ipsi pro suis respectivis capitulis eligant ecclesiasticos viros, quos optime meritos atque idoneos censuerint, tum ad dignitatem, tum ad reliquos canonicatus, comprehensis etiam officiis theologalis ac pœnitentiarii.

3° Post primam electionem, dignitas S Sedis rescripto erit conferenda ; quoad reliquos, mensium distinctio servabitur adeo ut per S. Sedem vel per episcopum collatio fiat ; quod pertinet ad canonicum theologum et pœnitentiarium, ii in posterum ad sacrorum canonum normam erunt eligendi.

4° Ob præbendarum defectum, cumque canonici curæ animarum, juventutis institutioni, aliisque officiis ecclesiasticis vacare debeant, canonici (quatenus episcopi ita censue-

rint) ab onere residentiæ penes cathedralem interim ac provisoria ratione et sacra officia in eadem persolvendi eximuntur; attamen archiepiscopus et episcopi, collatis simul consiliis, nonnullos dies intra annum designent, quibus canonici cathedralis chorum adire, atque ibidem sacra peragere teneantur, utque etiam apud episcopum congregentur pro negotiis, præsertim circa quæ, ex sacrorum canonum præscripto, capituli sententia est exquirenda.

5° Cum demum congruum sit ut qui in Ecclesiæ senatum, consiliarios episcopi ac præcipuos ejusdem adjutores pro diœceseos administratione assumuntur, habita quoque ratione aliqua distinguantur, placuit ut canonici Canadenses, juxta indultum canonicis Angliæ datum, nullo facto discrimine diœceseos aut gradus, supra superpelliceum assumant mozettam nigri coloris, non tamen sericam, ad formam per archiepiscopum Quebecensem designandam.

6° Quod vero pertinet ad canonicos honorarios, S. Congregatio episcopos monitos voluit eorum numerum haud posse excedere quartam partem canonicorum titularium.

494. **Ex prædicta Sacræ Congregationis instructione sequitur :**

1° Episcopi qui ad primum concilium Quebecense intervenerunt, tanquam delegati Sanctæ Sedis erigere possunt capitulum in sua ecclesia cathedrali.

2° Prima vice, episcopus nominare potest omnes canonicos; postea primus dignitarius nominabitur a S. Sede, juxta regulam 4^{am} Cancellariæ. Quoad alios canonicatus servabitur mensium distinctio, scilicet quod collatio pertineat ad Summum Pontificem quando canonicatus vacant mensibus papalibus Januario, Februario, Aprili, Maio, Julio, Augusto, Octobri, Novembri ; ad episcopum vero quando vacant mensibus episcopalibus Martio, Junio, Septembri, Decembri, juxta regulam 9^{am} Cancellariæ. Canonicus theologalis et pœniten-

tiarius ad normam sacrorum canonum eligentur, scilicet verificatis dotibus in bulla *Pastoralis officii* descriptis, et præfinito concursu ut digniores ad hæc officia deputentur; quod si collatio horum officiorum debeat fieri præter dispositiones juris communis, datur devolutio ad S. Sedem, juxta regulam 1am Cancellariæ.

3° Canonici, ob peculiares circumstantias locorum, dispensantur a residentia prope ecclesiam cathedralem, a choro, etc., sed episcopum adjuvare tenentur consilio et consensu in casibus a jure determinatis.

4° Instructio determinat qualis debeat esse habitus canonicorum. Capitulum ecclesiæ Marianopolitanæ, die 8 Julii 1855, obtinuit ut canonici uterentur cappa cum pellibus albi coloris in choro; die 28 Ap. 1844, ei indultum fuerat ut canonici gestarent annulum pastoralem, tunicam nigram cum fibulis et fissuris, parvis capulis et collari violacei coloris, necnon calligas ejusdem coloris—gallice vero—*anneau pastoral, soutane noire avec les boutons et les boutonnières, les parements des manches et le collet de couleur violette, et les bas de même couleur.* Hæc indulta quibusdam capitulis postea erectis fuerunt concessa, v. g. capitulis Trifluviano et Rimouskiensi.

495. **Instructiones S. Cong. de Prop. Fide circa capitula cathedralia hujus regionis.**

1° *Instructio* 28 *Septembris* 1852.

" Per Apostolicas litteras sub die 16 Julii anni hujus datas, SSmus D. N. benigne annuit pro erectione capitulorum cathedralium in ecclesia Quebecensi aliisque ejusdem provinciæ diœcesibus juxta vota per R. P. D. Episcopum S. Hiacinthi nomine etiam cœterorum antistitum exhibita. Cum vero in iisdem litteris apostolicis instructio S. Congregationis servanda præcipiatur, Emi PP. censuerunt ea Canadensibus capitulis fermè aptanda esse quæ nuperrime pro capitulis Angliæ fuerunt constituta :

Unumquodque capitulum constabit una dignitate et decem canonicis titularibus. Dignitas titulo Præpositi distinguetur; inter decem canonicos titulares erunt quoque Theologus et Pœnitentiarius.

Prima hac vice permittitur archiepiscopo et episcopis ut ipsi pro suis respectivis capitulis eligant ecclesiasticos quos optime meritos atque idoneos censuerint tum ad Dignitatem, tum ad reliquos canonicatus, comprehensis etiam officiis Theologali ac Pœnitentiario.

Post primam electionem, Dignitas S. Sedis rescripto erit conferenda; quoad reliquos mensium distinctio servabitur adeo ut vel per S. Sedem vel per episcopum collatio fiat; quod pertinet ad canonicos Theologum et Pœnitentiarium, ii in posterum ad sacrorum canonum normam erunt eligendi.

Ob præbendarum defectum, cumque canonici curæ animarum, juventutis institutioni, aliisque officiis ecclesiasticis vacare debeant, canonici (quatenus episcopi ita censuerint) ab onere residentiæ penes cathedralem interim ac provisoria ratione et sacra officia in eadem persolvendi eximentur; attamen Archiepiscopus et Episcopi, collatis consiliis, nonnullos dies intra annum designent, quibus canonici cathedralis chorum adire, atque ibidem sacra peragere teneantur, atque etiam apud Episcopum congregentur pro negotiis præsertim circa quæ ex Sacrorum canonum præscripto capituli sententia est exquirenda.

Cum demum congruum sit ut qui in Ecclesiæ senatum, consiliarios Episcopi ac præcipuos ejusdem adjutores pro diœceseos administratione assumuntur, habita quoque ratione aliqua distinguantur, placuit ut Canonici Canadenses, juxta indultum canonicis Angliæ factum, nullo habito discrimine diœceseos aut gradus, supra superpelliceum assumant mozettam nigri coloris, non tamen sericam, ad formam per Archiepiscopum Quebecensem designandam.

Quod pertinet vero ad canonicos honorarios S. Congregatio

Episcopos monitos voluit eorum numerum haud posse excedere quartam partem canonicorum titularium. De hisce vero honorariis canonicis plura reperire erit penes *Thesaurum resolutionum S. Congregationis Concilii,* anno 1808 in *Fulginatensi,* 1836, in *Vintimiliensi,* vol. 96, pag. 543, atque in *Januensi,* vol. 97; alia item apud pertractatores.

Hæc vero probante SSmo Dno Nostro traduntur atque ad hujus instructionis normam juxta litterarum Apostolicarum tenorem capitula cathedralia erunt interim erigenda.

Datum Romæ ex ædibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 28 sept. 1852."

2° *Instructio* 23 *Aprilis* 1853.

" Proposuit Episcopus S. Hiacinthi nonnulla de capitulis canonicorum; cum vero hæc universam illam provinciam respiciant, ad A. T. responsa diriguntur.

Laudandum quidem erit si communiter cum episcopo canonici vitam agere vel omnes, vel plures valeant; attamen ii stabiliter institui debent ad tramites ecclesiastici juris. Sedes vero Apostolica ut primatus sui auctoritas in praxi innotescat, atque ecclesiis tutius provideatur collationem primæ dignitatis necnon aliorum canonicatuum præfinitis mensibus sibi reservavit. Apud canonici juris pertractatores facile est videre quid hac mensium distinctione veniat. Ceterum si opportunum videatur unam vel alteram dignitatem addere post præposituram, collatis consiliis, pro harum erectione preces exhiberi poterunt; item vacante prima dignitate, vel alio canonicatu reservatis in mensibus, nihil obstat quominus nonnullos digniores episcopus commendet, ut S. Apostolica rationem de his habeat, si congruum censuerit.

Juxta rubricas, seclusis vestibus quæ pro celebratione missæ inserviunt, ecclesiasticorum omnium indumentum in ecclesia est superpelliceum seu cotta, quæcumque superpellicei hujus existat forma; facile est eidem addere mozettam, quæ ex benignitate S. Sedis concedebatur ut canonici qui

ecclesiæ senatum constituunt atque episcopi sunt consiliarii, habitu quoque a ceteris distinguantur.

Demum circa capitulum Marianopolitanum antea erectum, cum de erectionis methodo pauca tantum fuerint tradita, mens ea erat ut ad instar aliorum Marianopolitanum quoque componeretur et uniformitas habeatur; attamen proponi poterunt singulæ quæstiones, quibus, inspectis decretis utriusque erectionis, locus esse possit ut quod regulis ecclesiasticis conformius sit decernatur......................................

Datum Romæ ex ædibus S. C. de Prop. Fide, die 23 Ap. 1853."

APPENDIX II

DE CONSULTORIBUS DIŒCESANIS

Tot et tanta sunt onera ministerii pastoralis, ut episcopi administrandis suis diœcesibus per se solos vix sint pares. Hinc S. Congregatio de Prop. Fide hortatur episcopos suæ ditioni subditos ut capitula erigant; quod si rerum adjuncta id fieri non sinant, vult ut episcopi deficientiæ capituli suppleant instituendo consilium aliquot missionariorum, quos adhibeant in rebus gravioris momenti cognoscendis et definiendis. *Zitelli, Apparatus Juris, pag.* 148.

In collationibus habitis Romæ, anno 1883, inter Cardinales S. C. de Prop. Fide et archiepiscopos Statuum Fœderatorum, S. Congregatio institit ut erigerentur capitula, sed, reclamantibus Prælatis, res dilata est, et institutio consultorum diœcesanorum per interim fuit substituta.

496. **Hic referimus decretum Conc. Baltimorensis III** circa consultores diœcesanos, quod est *præceptivum* pro Statibus Fœderatis, et *directivum* in aliis regionibus missionum, quatenus *explicat mentem S. C. de Prop Fide.*

" Quamdiu, in præsenti rerum statu, capitula cathedralia erigi nequeunt, instituantur consultores diœcesani, sacerdotes pietate, morumque integritate, sollicitudine pro animarum salute, doctrina, prudentia, rerum hominumque experientia, necnon sacrorum canonum et diœcesanorum statutorum observantia insignes. Ejusmodi consultores numero debent esse sex vel saltem quatuor; ubi vero nullo modo tot haberi poterunt, sint saltem duo.

Eligendi erunt consultores ab episcopo, ea tamen ratione, ut dimidiam eorum partem eligat ex sese, alteram vero partem post propositionem cleri. Propositio autem ex parte cleri fiet hoc modo: singuli sacerdotes qui in diœcesi sacro ministerio funguntur, episcopo exhibebunt nomina eorum scripta, quos pro munere consultorum idoneos putaverint, quin taxative aliquos designent. Pro unoquoque seligendo consultore, tria nomina proponi debent; ex his vero episcopus eos eliget quos ipse in Domino aptiores judicaverit."

497. **Ad consultorum attributiones quod pertinet,** Patres de his convenerunt: " 1° Consilium consultorum exquiret episcopus pro synodo diœcesana indicenda et publicanda. 2° Si contingat ut missio seu parochia aliqua sit dismembranda, exquirendum erit consilium consultorum, necnon et rectoris dismembrandæ missionis. 3° Consultorum item requiretur consilium, quando id agetur, ut missio seu parochia tradatur alicui familiæ religiosæ; quo in casu, necessaria erit etiam venia S. Sedis. 4° Consultorum consilium exquiretur in constituendis deputatis pro seminariis. 5° Item consultorum consilium necessarium erit in eligendo novo consultore et in eligendis examinatoribus qui sint loco synodalium. 6° Quando agitur de bonis et fundis diœcesis vel missionum permutandis, aliisque agendis, quæ speciem alienationis præ se ferunt, ubi summa pecuniæ non excedat valorem quinque millium scutatorum, episcopi liberi erunt; ubi vero negotium eam summam superat, tunc requiritur consi-

lium consultorum, eoque præhabito, necessaria erit S. Sedis permissio... 7° Item, præhabito consilio consultorum, necessarius erit recursus ad S. Sedem in singulis casibus in quibus agatur de imponenda nova taxa pro episcopo, quæ excedat limites a canonibus constitutos."

498. **Consultores eliguntur ad triennium.** "Post- retain quam electi fuerint, nullus eorum invitus removeri potest nisi ex legitima et justa causa, et de consilio ceterorum consultorum. Justa autem aderit causa, si ob senectutem, infirmitatem et similia ad consultoris partes obeundas inhabilis factus fuerit, aut graviter delinquendo munere ejusmodi honorifico indignum sese reddiderit, vel propria culpa notabile passus sit famæ detrimentum. In locum consultoris recedentis, sive remotionis, sive renuntiationis via, episcopus alium sufficiet, de consilio tamen reliquorum consultorum. Casu quo triennium expirare contigerit tempore vacationis sedis episcopalis, consultores in officio permanebunt usque ad accessum novi episcopi, qui intra sex menses a consecratione sua ad novam consultorum electionem instituendam tenetur."

499. " **Consilium consultorum præstabitur collegialiter,** et quoties eis ita videbitur, secretis suffragiis ; ideoque episcopus eos quater in anno, statutis temporibus, convocabit ; ubi id fieri non potest, saltem bis in anno ; alias vero quoties ad pertractanda negotia erit necessarium.

Sede episcopali vacante, administrator diœcesis consilium consultorum adhibere tenetur, juxta normam supra statutam quoad consultorum attributiones." *Cf. III Conc. plen. Baltim., tit. II, cap. II.*

Sede plena = Episcopus vivens

CAPUT IV

DE VICARIO CAPITULARI

500. **Cum regimen diœceseos sit apud episcopum et capitulum, universa jurisdictio, sede vacante, remanet in capitulo.** Rationem hujus dispositionis explicat De Luca : " Ecclesia cathedralis efformatur conjunctim ab episcopo et capitulo, ab illo scilicet tanquam capite, ab isto autem tanquam reliquo corpore."

1⁰ Jure Decretalium, capitulum poterat diœcesim, toto tempore quo sedes vacabat, per seipsum administrare, vel uni aut pluribus diœcesim administrandam committere, libera ei relicta potestate deputatos eligendi, eisque delegatam jurisdictionem, sive quoad usum, sive quoad tempus, coarctandi.

2⁰ Illud jus Decretalium immutavit Concilium Trid., sess. XXIV, cap. 16 : " Capitulum, sede vacánte, officialem, seu vicarium infra octo dies post mortem episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur." Concilium Tridentinum non voluit ut diœcesis, sede vacante, administraretur ab aliquo collegio ; hinc administratio diœcesis, antequam vicarius constituatur, residet apud capitulum, quod potest per seipsum eam exercere, sicut antiquitus poterat toto tempore vacationis. Sed si capitulum infra octo dies ab habita notitia mortis episcopi vicarium non constituat, sive ob negligentiam, sive ob discordiam inter capitulares, tunc deputatio vicarii devolvitur ad metropolitanum, si agatur de ecclesia suffraganea, ad antiquiorem ex suffraganeis, si vacans fuerit ecclesia metropolitana. *Sebastianelli, De Clericis, tit. IX, n.* 227.

501. **Licet Concilium Trid. loquatur de sola vacatione sedis per mortem,** tamen ex praxi approbata a S. Sede, receptum est ut Tridentina dispositio servanda sit etiam

quando sedes episcopalis vacat aliis modis, nempe per renuntiationem, translationem vel depositionem episcopi.

502. **Deputatio vicarii capitularis spectat ad solos canonicos quibus regulariter capitulum constituitur.** Hæc deputatio est actus capitularis; unde capitulum coadunari debet, et vocandi sunt omnes canonici.

Quamvis tutius sit ut servetur forma scrutinii per secreta suffragia, attamen alia via canonici procedere possunt, quia electio vicarii capitularis non est electio proprie dicta, sed *deputatio*, quæ non indiget superioris confirmatione. Unde in electione vicarii capitularis servandæ sunt tantum conditiones quæ jure ordinario in expeditione negotiorum capituli requiruntur, nempe 1⁰ ut capitulum sit legitime congregatum; 2⁰ ut vocentur omnes qui in capitulo vocem habent vel de præsenti habere possunt; 3⁰ ut negotium capitulariter expediatur; 4⁰ ut major pars capituli consentiat in personam idoneam. *Bargilliat, Prœl. Jur. Can., vol. I, n.* 808.

Canonicus nequit in sui favorem suffragium emittere. *S. C. Concilii,* 18 *Apr.* 1885.

503. **Olim quæstio fuit inter canonistas an capitulum posset sibi reservare partem jurisdictionis.** Sententia hodie communis est capitulum nihil sibi reservare posse, sed integrum jurisdictionis exercitium in vicarium transferri debere. Hanc sententiam confirmavit Pius IX in constitutione *Romanus Pontifex,* 28 *Aug.* 1873, qua declarat et decernit "totam ordinariam episcopi jurisdictionem, quæ, sede episcopali vacante, in capitulum venerat, ad vicarium ab eo constitutum omnino transire, nec ullam hujus jurisdictionis partem posse capitulum sibi reservare, neque posse ad certum et definitum tempus vicarium constituere, multoque minus removere, sed eum in officio permanere, quousque novus episcopus litteras apostolicas de collato sibi episcopatu capitulo, juxta Bonifacii VIII, prædecessoris nostri, constitutionem *Injunctæ,* vel, deficiente capitulo, ei exhibuerit, qui

ad normam sanctorum canonum, vel ex speciali S. Sedis dispositione, vacantem diœcesim administrat, vel ejusdem administrationem per vicarium deputat."

504. **Quæritur inter canonistas an capitulum possit plures vicarios capitulares deputare.** Sententia communis est unum vicarium constituendum esse, excepto casu legitimæ consuetudinis.

Hoc eruitur 1° ex textu Tridentino, qui loquitur de uno, non de pluribus vicariis; 2° ex mente concilii, quæ fuit providere unitati regiminis et faciliori expeditioni negotiorum; 3° auctoritate S. C. Concilii, quæ interrogata sæpius respondit unum tantummodo eligendum esse vicarium, addito tamen " non esse sublatam consuetudinem duos aut plures eligendi, præsertim immemorialem." Unde ut capitulum possit plures vicarios constituere, requiritur consuetudo legitime præscripta, quamvis non sit immemorialis; hæc consuetudo viget in Gallia.

505. **Quando plures vicarii deputantur, habent singuli jurisdictionem in omnem diœcesim in solidum,** eadem ratione ac vicarii generales, ita ut necesse non sit, ad validitatem actus, ut quod ab uno geritur, aliorum consensu firmetur. Secus haberetur incommodum, ad quod vitandum Conc. Tridentinum præcepit, sede vacante, electionem vicarii.

506. **Conditiones ex parte eligendi in vicarium capitularem sunt ætas, ordo et idoneitas.**

1° Circa ætatem nihil definierunt canones. Doctores putant sufficere ætatem 25 annorum.

2° Sufficit status clericalis cui initiatur quis per primam tonsuram. *Præl. Juris Can. Sti Sulpicii, n.* 205.

3° Ex capite idoneitatis, requiritur scientia cum prudentia et bonis moribus. Ad scientiam quod attinet, Conc. Trid., sess. XXIV, cap. 16, dicit: " Capitulum constituere tenetur vicarium...qui saltem in jure canonico sit doctor vel licen-

tiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus." Vox *saltem* ibi adhibetur relative ad eos qui gradum habebant in civili et canonico jure, quales erant, tempore Concilii Tridentini, plerique doctores. Vult nempe synodus ut vicarius capitularis, si doctor *in utroque* non sit, in canonico saltem gradum obtineat. *S. C. Concilii,* 11 *Julii* 1626 *et* 24 *Martii* 1627.

Non sufficit doctoratus in theologia, quia scientia juris ad regimen Ecclesiæ magis necessaria reputatur. "Viri theologi, ait *Leurenius, De capitulo sede vacante, cap.* 4, etsi litteratissimi sint, non satis jurisprudentiæ praxim et theoriam callent, et proinde multoties ex capite et suo arbitrio sententias proferunt, et a veritatis et justitiæ tramite aberrant."

Verumtamen, cum qualitas doctoratus non sufficiat, et non supponat necessario probitatem, prudentiam, idoneitatem ad curam animarum, nihil certe magis adversatur menti Sanctæ Sedis quam electio doctoris non idonei, vel quoad mores, vel quoad prudentiam, omisso altero qui, licet doctoratu destitutus, majori præstat prudentia. Unde, ceteris paribus, anteponatur doctor; sed ille semper præ aliis deputetur ad regimen diœcesis, qui, omnibus attentis, magis idoneus reputatur. *S. Congregatio Concilii,* 17 *Sept.* 1768.

4° Ex pluribus decisionibus S. C. Concilii, vicarius capitularis assumendus est de gremio capituli; tamen in pluribus casibus sustinetur electio extranei, nempe si nullus in capitulo sit doctor, neque idoneus. Ceteris paribus, præferendus est doctor de gremio capituli. *S. Cong. Concilii,* 1592.

507. **Quærunt postremo loco doctores an possit eligi in vicarium qui obtinet beneficium parochiale.**

1° In primis certum est invalidam esse electionem illius parochi qui curam animarum exercet extra civitatem episcopalem. Ratio est, quia parochus, divino jure et canonicis sanctionibus, tenetur observare legem residentiæ. Nec ab hac lege potest parochus dispensari a capitulo, cum nec episcopus ipse potestatem habeat concedendi hujusmodi dispensationem,

ut tenuit S. C. Concilii. Valida erit electio in vicarium capitularem parochi beneficium parochiale in civitate episcopali obtinentis. *S. Cong. Episc. et Regul.*, 19 *Julii* 1610.

2° Quamvis hæc electio sit valida, tamen ordinarie erit illicita. Neminem latet officium parochi et vicarii esse duo officia male compatibilia, ex eo quod, ut quis bene exerceat unum, alteri necessario deesse cogitur. Unde dictus parochus urbanus, ad officium vicarii evectus, in sua parochia residere censetur residentia materiali potiusquam formali, et negligens erit in adimplemento muneris parochialis. *Sebastianelli, De Clericis, num.* 222.

508. **Remanet ut quæratur quænam sit potestas vicarii capitularis.** 1° Jurisdictio, sede vacante, *habitualiter* residet penes capitulum cathedralis ecclesiæ; *in actu* vero, ex juris dispositione, penes vicarium capitularem : unde tanta est auctoritas vicarii capitularis quantam canones tribuunt capitulo, sede vacante. Vicarius capitularis censetur episcopo succedere tanquam totius diœcesis *ordinario pastori et judici.* Ex quo sequitur vicarium capitularem non succedere in his quæ episcopo committuntur peragenda *tanquam Sedis Apostolicæ delegato ;* secus vero dicendum est si agatur de iis negotiis in quibus episcopus procedere potest *etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatus.* Jurisdictio ordinaria, qua procedere posset episcopus in his negotiis, transit ad vicarium capitularem.

2° Attamen ex decreto S. Officii 20 Feb. 1888, Vicarius capitularis eas dispensationes apostolicas exsequi potest quæ remissæ fuerunt episcopo, aut vicario ejus generali, vel officiali, nondum executioni mandatas, sive hi illas exsequi cœperint, sive non. Sede deinde provisa, potest episcopus, vel ejus vicarius generalis, exsequi dispensationes quæ vicario capitulari remissæ fuerant, sive hic illas exsequi cœperit, sive non.

3° Omnes facultates habitualiter a Sancta Sede episcopis

concessæ, quales sunt eæ que recensentur in formula I et in formula extraordinaria T, conceduntur *Ordinariis locorum*, quo nomine veniunt, sede vacante, vicarius capitularis et administrator diœcesis.

4° Ex speciali juris dispositione, vicarii capitulares hujus provinciæ Quebecensis exercere possunt omnes facultates extraordinarias quas habebat defunctus episcopus, iis tantum exclusis quæ requirunt characterem episcopalem, vel sine sacrorum oleorum usu non exercentur. *Cf. decretum XVI Conc. Queb. V.*

509. **Quædam excipiuntur expresse a potestate vicarii capitularis.**

1° Vicarius capitularis nequit nominare ad beneficia liberæ collationis. Jure Decretalium, hæc collatio futuro episcopo reservabatur, sed a tempore Sixti V, hæc reservatio inter regulas Cancellariæ Apostolicæ inseritur. Unde hodie hujusmodi beneficia ex lege generali reservantur S. Sedi, in 2ª regula Cancellariæ Apostolicæ. Si sermo sit de institutione ad beneficium post præsentationem patroni sive laici, sive ecclesiastici, eam concedere poterit vicarius capitularis.

2° Quoad litteras dimissoriales, habemus decretum Conc. Trid., sess. VII, cap. 10, De Ref. : " Non liceat capitulis ecclesiarum, sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissoriales... concedere."

a) Datur exceptio *quoad arctatos ad beneficium*, qui ad aliquod beneficium fuerunt electi vel præsentati, et infra annum debent ordinari, ne hoc beneficio priventur. *Conc. Trid., loco citato.*

b) Secunda exceptio est quoad sacram tonsuram, ad cujus collationem vicarius libere potest concedere dimissoriales. *S. Congregatio Concilii*, 10 *Feb.* 1594.

c) Transacto autem integro anno a die vacationis sedis, vicarius potest concedere dimissoriales omnibus subditis qui volunt ordinari.

3° Quæri potest an vicarius possit diœcesim visitare. Respondemus utique posse, sed post elapsum annum ab ultima visitatione peracta ab episcopo; *S. C. Concilii*, 28 *Julii* 1718. Item vicarius potest synodum diœcesanam celebrare post elapsum annum ab ultima synodo celebrata ab episcopo defuncto. Non idem dicendum erit de synodo provinciali indicenda et celebranda; sede metropolitana vacante, non ad vicarium capitularem, sed ad antiquiorem suffraganeum jus devolvitur concilium indicendi et celebrandi.

4° Si quæratur utrum vicarius capitularis possit clericos extraneos diœcesi adscribere, et clericis diœcesanis dare licentiam exeundi, respondet De Angelis primum posse vicarium peragere facultate expedita, secundum vero non posse sine licentia Sanctæ Sedis. Ratio est, quia excardinatio est species alienationis, quæ vicario capitulari non permittitur.

5° Cum ecclesia destituta suo pastore æquiparetur minori et pupillo, quibus sine tutoribus et curatoribus in genere interdicitur alienatio bonorum, vicarius capitularis non potest alienare bona ecclesiæ vel mensæ episcopalis.

510. **Jurisdictio vicarii capitularis cessat pluribus modis;**

Cessat 1° quando novus episcopus litteras apostolicas de collato sibi episcopatu capitulo præsentaverit, juxta const. *Romanus Pontifex* Pii IX, 28 Aug. 1873; 2° per renuntiationem factam a vicario capitulari, qui suscepto muneri renuntiare valet, quin necesse sit eam renuntiationem a capitulo admitti; 3° per remotionem vicarii, postquam causa fuerit cognita et probata a S. Sede.

511. **Vicarius capitularis tenetur novo episcopo reddere rationem suæ administrationis, sede vacante.** Novus episcopus potest eos punire qui in administratione diœcesis deliquerunt, etiamsi illi officiales, redditis rationibus, a capitulo, vel a deputatis ab eodem, absolutionem aut liberationem obtinuerint. *Conc. Trid., sess. XXIV, cap.* 16, *De Ref.*

APPENDIX

DE ADMINISTRATORE DIŒCESIS

512. **Cum in pluribus diœcesibus hujus provinciæ, apitulum canonicorum non reperiatur constituum,** ne, moriente episcopo, nullus sit qui jurisdictionem xerceat, Patres concilii Quebecensis V huic necessitati proiderunt decreto XVI, quod approbavit Pius IX, die 23 Aug. 1874. *Cf. etiam Concilium Marianopolitanum, tit. I, dec. II.*

Patres concilii referunt quasi verbatim constitutionem *Ex ublimi*, quam Benedictus XIV misit ad vicarios apostolicos ndiarum Orientalium. *Collectanea S. C. de Prop. Fide, pag. 65, num. 161.*

1° " Singuli hujus provinciæ antistites qui neque coadjuorem cum futura successione, neque vicarium generalem abent, teneantur deputare vicarium habilem et idoneum ; si am plures vicarios generales habeant, unum ex his designent d effectum præsentis decreti, per scripta authentica in archiiis servanda ; habeantque plenam facultatem dictum vicaium revocandi et alterum substituendi ad nutum.

2° Hic autem vicarius, statim ac sedes vacaverit, diœcesis egimen assumat sub nomine administratoris sede vacante, tanquam S. Sedis delegatus ; et in hujusmodi munere permaneat donec novus episcopus diœcesis possessionem adierit, vel aliter ab eadem Sancta Sede fuerit ordinatum ; suo autem muneri renuntiare non valeat, aut eo privari, inconsulta Sancta Sede.

3° Pari modo administrator ille alterum statim deputet ecclesiasticum virum idoneum qui sibi in munere, si forte interim obierit, succedere debeat ; deputatus autem, si ad

administrationem pervenerit, eodem modo regimini ecclesiæ provideat, si forte et ipse obierit, et ita de ceteris donec de pastore ecclesia provisa fuerit.

4⁰ Quicumque supradicto modo ad vacantis ecclesiæ curam devenerit, teneatur infra mensem, sub pœna suspensionis, certiorem reddere Sedem Apostolicam, interimque, donec responsum acceperit, possit omnibus et singulis uti facultatibus quæ jure communi vicario capitulari competere dignoscuntur, ac præterea iisdem frui facultatibus extraordinariis quibus defunctus episcopus pollebat, iis tantum exclusis quæ requirunt characterem episcopalem vel sine sacrorum oleorum usu non exercentur; possit tamen, si necessitas urgeat, consecrare calices, patenas et altaria portatilia cum sacris oleis ab episcopo benedictis, et tandem constituere pro-vicarios quibus, vel ob locorum distantiam, vel propter absentiam aut infirmitatem, deleget suas facultates tum ordinarias, tum extraordinarias, eodem modo ac poterat episcopus defunctus.

5⁰ Si forte contingat ut, aliqua ecclesia cathedrali vacante, nemo præsto sit qui illius regimen, juxta præmissas regulas, valeat assumere, administratorem cum iisdem obligationibus et facultatibus eo in casu deputet metropolitanus, et in ejus defectu, vel si de metropolitana ecclesia agitur, antiquior provinciæ suffraganeus.

6⁰ Tandem omnes prædicti administratores rationem suæ administrationis novo episcopo reddere teneantur, sicut vicarii capitulares, juxta præscripta Trid. Synodi, sess. XXIV, cap. 16.

Cum autem in hujusce provinciæ diœcesibus quæ cathedrale capitulum habent, vel habebunt, non sit minus bono animarum necessarium, ut facultates extraordinariæ quas habebat defunctus episcopus interruptionem non patiantur, statuimus supplicandum Sanctissimo ut vicarii capitulares a dictis capitulis electi, iis teneantur officiis et facultatibus

…ficium theologalis
u Poenitentiarii

508

numerantur in quarto articulo hujus

cariis capitularibus, tum ab admini-
te, adamussim serventur omnia quæ
anonum interpretationes continentur
ata regula : " *Ne, sede vacante, ali-*

administrationem pervenerit, eodem modo regimini ecclesiæ provideat, si forte et ipse obierit, et ita de ceteris donec de pastore ecclesia provisa fuerit.

4⁰ Quicumque supradicto modo ad vacantis ecclesiæ curam devenerit, teneatur infra mensem, sub pœna suspensionis, certiorem reddere Sedem Apostolicam, interimque, donec responsum acceperit, possit omnibus et singulis uti facultatibus quæ jure communi vicario capitulari competere dignoscuntur, ac præterea iisdem frui facultatibus extraordinariis quibus defunctus episcopus pollebat, iis tantum exclusis quæ requirunt characterem episcopalem vel sine sacrorum oleorum usu non exercentur; possit tamen, si necessitas urgeat, consecrare calices, patenas et altaria portatilia cum sacris oleis ab episcopo benedictis, et tandem constituere pro-vicarios quibus, vel ob locorum distantiam, vel propter absentiam aut infirmitatem, deleget suas facultates tum ordinarias, tum extraordinarias, eodem modo ac poterat episcopus defunctus.

5⁰ Si forte contingat ut, aliqua ecclesia cathedrali vacante, nemo præsto sit qui illius regimen, juxta præmissas regulas, valeat assumere, administratorem cum iisdem obligationibus et facultatibus eo in casu deputet metropolitanus, et in ejus defectu, vel si de metropolitana ecclesia agitur, antiquior provinciæ suffraganeus.

6⁰ Tandem omnes prædicti administratores rationem suæ administrationis novo episcopo reddere teneantur, sicut vicarii capitulares, juxta præscripta Trid. Synodi, sess. XXIV, cap. 16.

Cum autem in hujusce provinciæ diœcesibus quæ cathedrale capitulum habent, vel habebunt, non sit minus bono animarum necessarium, ut facultates extraordinariæ quas habebat defunctus episcopus interruptionem non patiantur, statuimus supplicandum Sanctissimo ut vicarii capitulares a dictis capitulis electi, iis teneantur officiis et facultatibus

gaudeant, quæ supra enumerantur in quarto articulo hujus decreti.

De cetero, tum a vicariis capitularibus, tum ab administratoribus, sede vacante, adamussim serventur omnia quæ juxta veras sacrorum canonum interpretationes continentur in hac brevi et pervulgata regula : " *Ne, sede vacante, aliquid innovetur.*"

administrationem pervenerit, eodem modo regimini ecclesiæ provideat, si forte et ipse obierit, et ita de ceteris donec de pastore ecclesia provisa fuerit.

4⁰ Quicumque supradicto modo ad vacantis ecclesiæ curam devenerit, teneatur infra mensem, sub pœna suspensionis, certiorem reddere Sedem Apostolicam, interimque, donec responsum acceperit, possit omnibus et singulis uti facultatibus quæ jure communi vicario capitulari competere dignoscuntur, ac præterea iisdem frui facultatibus extraordinariis quibus defunctus episcopus pollebat, iis tantum exclusis quæ requirunt characterem episcopalem vel sine sacrorum oleorum usu non exercentur ; possit tamen, si necessitas urgeat, consecrare calices, patenas et altaria portatilia cum sacris oleis ab episcopo benedictis, et tandem constituere pro-vicarios quibus, vel ob locorum distantiam, vel propter absentiam aut infirmitatem, deleget suas facultates tum ordinarias, tum extraordinarias, eodem modo ac poterat episcopus defunctus.

5⁰ Si forte contingat ut, aliqua ecclesia cathedrali vacante, nemo præsto sit qui illius regimen, juxta præmissas regulas, valeat assumere, administratorem cum iisdem obligationibus et facultatibus eo in casu deputet metropolitanus, et in ejus defectu, vel si de metropolitana ecclesia agitur, antiquior provinciæ suffraganeus.

6⁰ Tandem omnes prædicti administratores rationem suæ administrationis novo episcopo reddere teneantur, sicut vicarii capitulares, juxta præscripta Trid. Synodi, sess. XXIV, cap. 16.

Cum autem in hujusce provinciæ diœcesibus quæ cathedrale capitulum habent, vel habebunt, non sit minus bono animarum necessarium, ut facultates extraordinariæ quas habebat defunctus episcopus interruptionem non patiantur, statuimus supplicandum Sanctissimo ut vicarii capitulares a dictis capitulis electi, iis teneantur officiis et facultatibus

gaudeant, quæ supra enumerantur in quarto articulo hujus decreti.

De cetero, tum a vicariis capitularibus, tum ab administratoribus, sede vacante, adamussim serventur omnia quæ juxta veras sacrorum canonum interpretationes continentur in hac brevi et pervulgata regula : " *Ne, sede vacante, aliquid innovetur.*"

3° Quæri potest an vicarius possit diœcesim visitare. Respondemus utique posse, sed post elapsum annum ab ultima visitatione peracta ab episcopo; *S. C. Concilii*, 28 *Julii* 1718. Item vicarius potest synodum diœcesanam celebrare post elapsum annum ab ultima synodo celebrata ab episcopo defuncto. Non idem dicendum erit de synodo provinciali indicenda et celebranda; sede metropolitana vacante, non ad vicarium capitularem, sed ad antiquiorem suffraganeum jus devolvitur concilium indicendi et celebrandi.

4° Si quæratur utrum vicarius capitularis possit clericos extraneos diœcesi adscribere, et clericis diœcesanis dare licentiam exeundi, respondet De Angelis primum posse vicarium peragere facultate expedita, secundum vero non posse sine licentia Sanctæ Sedis. Ratio est, quia excardinatio est species alienationis, quæ vicario capitulari non permittitur.

5° Cum ecclesia destituta suo pastore æquiparetur minori et pupillo, quibus sine tutoribus et curatoribus in genere interdicitur alienatio bonorum, vicarius capitularis non potest alienare bona ecclesiæ vel mensæ episcopalis.

510. **Jurisdictio vicarii capitularis cessat pluribus modis:**

Cessat 1° quando novus episcopus litteras apostolicas de collato sibi episcopatu capitulo præsentaverit, juxta const. *Romanus Pontifex* Pii IX, 28 Aug. 1873; 2° per renuntiationem factam a vicario capitulari, qui suscepto muneri renuntiare valet, quin necesse sit eam renuntiationem a capitulo admitti; 3° per remotionem vicarii, postquam causa fuerit cognita et probata a S. Sede.

511. **Vicarius capitularis tenetur novo episcopo reddere rationem suæ administrationis, sede vacante.** Novus episcopus potest eos punire qui in administratione diœcesis deliquerunt, etiamsi illi officiales, redditis rationibus, a capitulo, vel a deputatis ab eodem, absolutionem aut liberationem obtinuerint. *Conc. Trid., sess. XXIV, cap.* 16, *De Ref.*

APPENDIX

DE ADMINISTRATORE DIŒCESIS

512. **Cum in pluribus diœcesibus hujus provinciæ, capitulum canonicorum non reperiatur constitutum,** ne, moriente episcopo, nullus sit qui jurisdictionem exerceat, Patres concilii Quebecensis V huic necessitati providerunt decreto XVI, quod approbavit Pius IX, die 23 Aug. 1874. *Cf. etiam Concilium Marianopolitanum, tit. II, dec. II.*

Patres concilii referunt quasi verbatim constitutionem *Ex sublimi*, quam Benedictus XIV misit ad vicarios apostolicos Indiarum Orientalium. *Collectanea S. C. de Prop. Fide, pag.* 65, *num.* 161.

1° " Singuli hujus provinciæ antistites qui neque coadjutorem cum futura successione, neque vicarium generalem habent, teneantur deputare vicarium habilem et idoneum ; si jam plures vicarios generales habeant, unum ex his designent ad effectum præsentis decreti, per scripta authentica in archiviis servanda ; habeantque plenam facultatem dictum vicarium revocandi et alterum substituendi ad nutum.

2° Hic autem vicarius, statim ac sedes vacaverit, diœcesis regimen assumat sub nomine administratoris sede vacante, tanquam S. Sedis delegatus ; et in hujusmodi munere permaneat donec novus episcopus diœcesis possessionem adierit, vel aliter ab eadem Sancta Sede fuerit ordinatum ; suo autem muneri renuntiare non valeat, aut eo privari, inconsulta Sancta Sede.

3° Pari modo administrator ille alterum statim deputet ecclesiasticum virum idoneum qui sibi in munere, si forte interim obierit, succedere debeat ; deputatus autem, si ad

administrationem pervenerit, eodem modo regimini ecclesiæ provideat, si forte et ipse obierit, et ita de ceteris donec de pastore ecclesia provisa fuerit.

4° Quicumque supradicto modo ad vacantis ecclesiæ curam devenerit, teneatur infra mensem, sub pœna suspensionis, certiorem reddere Sedem Apostolicam, interimque, donec responsum acceperit, possit omnibus et singulis uti facultatibus quæ jure communi vicario capitulari competere dignoscuntur, ac præterea iisdem frui facultatibus extraordinariis quibus defunctus episcopus pollebat, iis tantum exclusis quæ requirunt characterem episcopalem vel sine sacrorum oleorum usu non exercentur; possit tamen, si necessitas urgeat, consecrare calices, patenas et altaria portatilia cum sacris oleis ab episcopo benedictis, et tandem constituere pro-vicarios quibus, vel ob locorum distantiam, vel propter absentiam aut infirmitatem, deleget suas facultates tum ordinarias, tum extraordinarias, eodem modo ac poterat episcopus defunctus.

5° Si forte contingat ut, aliqua ecclesia cathedrali vacante, nemo præsto sit qui illius regimen, juxta præmissas regulas, valeat assumere, administratorem cum iisdem obligationibus et facultatibus eo in casu deputet metropolitanus, et in ejus defectu, vel si de metropolitana ecclesia agitur, antiquior provinciæ suffraganeus.

6° Tandem omnes prædicti administratores rationem suæ administrationis novo episcopo reddere teneantur, sicut vicarii capitulares, juxta præscripta Trid. Synodi, sess. XXIV, cap. 16.

Cum autem in hujusce provinciæ diœcesibus quæ cathedrale capitulum habent, vel habebunt, non sit minus bono animarum necessarium, ut facultates extraordinariæ quas habebat defunctus episcopus interruptionem non patiantur, statuimus supplicandum Sanctissimo ut vicarii capitulares a dictis capitulis electi, iis teneantur officiis et facultatibus

gaudeant, quæ supra enumerantur in quarto articulo hujus decreti.

De cetero, tum a vicariis capitularibus, tum ab administratoribus, sede vacante, adamussim serventur omnia quæ juxta veras sacrorum canonum interpretationes continentur in hac brevi et pervulgata regula : " *Ne, sede vacante, aliquid innovetur.*"

Fontes Juris Canonici [illegible]
Decretum Gratiani ab anno [illegible] usque ad 1200.
Decretales Greg. IX 1200–1400 5 libri,
Sextus decretales – Bonifacius 8us continuatio Greg. IX.
Concilium Trid = compendium omnium conciliorum.
Catechismus Conc. Trid.
Fontes Particulares, Pro Stat. Fed: Conc. Balt.
Conc. [illegible]
Pro Ontario Concil. Toronti;
Pro Prov. maritimis Halifax.

TITULUS XI

DE PAROCHIS

513. **De origine parochorum.** " Antiquitus non erant parochiæ distinctæ, sed episcopus totius diœceseos animarum curam gerebat per presbyteros suo libitu ex ecclesia cathedrali in varias civitatis et diœceseos partes ad sacra obeunda missos, et ad nutum revocabiles. Sed, decursu temporis, quum augeretur populus christianus, paulatim usu receptum et sacris canonibus pro meliori et tutiori regimine spirituali animarum sancitum est, ut diœceses in parœcias subdividerentur, et unicuique proprius parochus assignaretur, qui ratione sui officii teneretur ad sibi concreditæ, certisque limitibus circumscriptæ partis gregis curam habendam, sub episcopo universæ diœceseos Ordinario. Concilium Tridentinum deinde episcopis injunxit, ut in iis civitatibus et locis, ubi nullæ essent parochiales ecclesiæ, quamprimum fieri curarent; ubi parochiales ecclesiæ certos non haberent fines, sed earum rectores promiscue petentibus sacramenta administrarent, pro tutiori animarum salute, populum in certas, propriasque parochias distinguerent, et unicuique suum perpetuum, peculiaremque parochum assignarent." *Conc. Balt. III, tit. II, cap.* 5.

Igitur parochi non sunt institutionis divinæ, ut voluerunt Gallicani et Jansenistæ, qui parochos habuerunt uti successores septuaginta duorum discipulorum quos Christus designavit; nec constituunt tertium gradum divinum hierarchiæ jurisdictionis. *Bouix, De Parocho, pag.* 46.

514. **Parochus definiri potest:** Persona legitime et universaliter deputata ad ministrandum, nomine proprio et

vi officii suscepti, verbum Dei et sacramenta certo diœcesanorum numero in determinato territorio existentium.

Ex hac definitione sufficienter apparet quod :

1° Jurisdictio parochorum est ordinaria ; potestas parochorum a jure communi originem habet, et confertur independenter a voluntate episcopi, quando obtinetur beneficium parochiale. Hinc illa jurisdictio non potest ab episcopo, sine legitima causa, aut prorsus auferri, aut ita minui ut inanis evadat.

2° Jurisdictio qua parochus *ordinarius* constituitur, non impedit quominus episcopus sit pastor ordinarius omnium diœcesanorum ; nam quemadmodum jurisdictio episcopalis non tollit neque minuit jurisdictionem papalem, ita jurisdictio parochialis non tollit neque minuit jurisdictionem episcopalem.

3° Potestas jurisdictionis parochorum respicit forum internum : hinc non possunt esse judices fidei, neque leges ferre, neque censuras imponere, neque dispensare a legibus ecclesiasticis. Attamen, ex consuetudine, pro privatis personis dispensant in quibusdam materiis frequenter occurrentibus, nempe in jejunio et abstinentia et in operibus servilibus die dominica vel festiva prohibitis, et possunt hanc facultatem suis vicariis communicare.

Totam materiam revocabimus ad sequentia capita :

I. De parochiis.
II. De canonica institutione parochorum.
III. De juribus parochorum.
IV. De officiis parochorum.
V. De amissione potestatis parochialis.

CAPUT I

DE PAROCHIIS

515. **De origine parochiarum.** Nomen parochiæ, secundum antiquos canones, tripliciter assumitur; nempe vel pro provincia ecclesiastica, vel pro diœcesi, vel pro determinata parte diœcesis. Sæculo quarto, parochiæ fuerunt institutæ extra civitates in pagis et in vicis, quibus præpositi sunt sacerdotes qui populum illum regerent et munera ecclesiastica exercerent. Serius in civitatibus ortæ sunt parochiæ, nam, Roma et Alexandria exceptis, parochiæ non fuerunt erectæ ante annum millesimum. *Bouix, De Parocho, pag.* 23.

Progressu temporis, hæc divisio diœcesis in parochias fuit formaliter præscripta, quia visa est maxime conducens ad rectum et debitum regimen christianæ plebis. Hinc est quod Concilium Trid., sess. XXIV, cap. 13, De Ref., episcopis injunxit ut in civitatibus et locis ubi nullæ essent parochiales ecclesiæ, quam primum fieri curarent, et ubi parochiales ecclesiæ certos non haberent fines, eos determinarent.

516. **De natura parochiæ.** Ad mentem canonum et præsertim Conc. Trid., sess. XXIV, cap. 13, parochia definiri potest: "Determinata alicujus diœcesis ecclesia, auctoritate Romani Pontificis vel episcopi designata, quæ populum intra certos territorii fines circumscriptum habet, et presbyterum seu rectorem, a quo sacramenta, verbum divinum, aliaque spiritualia eidem populo exclusive et ex officio administrantur." *De Angelis, Prœl. Jur. Can., lib. III, tit. XXIX.*

Ex hac definitione patet quænam ad parochiam constituendam pertineant:

Requiritur 1° certus locus seu territorium in quo adsit ecclesia, quæ titulum constituit parochiæ et ecclesia parochialis dicitur. Parochia est ad modum diœcesis, in qua

Titulus nihil aliud est nisi nomen baptismale ecclesiae.
Titulus pertinet ad Ecclesiam ipsam
Patronus -- -- locum, territorium etc.

adsunt determinati fines territorii; erectio ecclesiæ in parochiam, et circumscriptio finium perficitur vel a Romano Pontifice, vel ab episcopo.

Juxta De Angelis, loco citato, plures possent esse parochiæ in eodem territorio circumscripto, " quando idem territorium incolunt populi diversarum nationum et linguarum; et ita in America, in eodem territorio, habetur multiplex parochia, v. g. parochia Hibernorum et parochia Canadensium, nempe una comprehendit omnes hujus territorii qui loquuntur linguam anglicam, et alia comprehendit omnes qui loquuntur linguam gallicam."

Requiritur 2° ut sit ecclesia quæ habeat titulum parochiæ; nam parochia est quædam persona moralis quæ certo titulo sit designanda.

Requiritur 3° ut adsit rector certus et unicus, a quo solo populus licite sacramenta suscipiat. Hic autem parochus potest esse etiam persona moralis, ut monasterium vel capitulum, quo in casu, deputandus erit vicarius qui erit parochus actualis.

Semel ac constat de determinata ecclesia, de territorio circumscripto et de certo et unico pastore, habetur ratio parochiæ canonicæ. *De Angelis, loco citato.*

517. **Qualis perpetuitas requiritur?** Concilium Trid., in citato cap. 13, sess. XXIV, mandat " ut episcopi pro tutiori animarum eis commissarum salute, distincto populo in certas, propriasque parochias, unicuique suum perpetuum, peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite sacramenta suscipiant, aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant."

1° Ex illis verbis, duplex perpetuitas eruitur, scilicet perpetuitas parochiæ et perpetuitas parochi. Perpetuitas parochiæ requiritur; parochia enim semel constituta ab auctoritate ecclesiastica non potest dividi, nec dismembrari nisi ex ratio-

nibus a jure designatis ; imo limites parochiæ non præscribuntur quacumque longa præscriptione, obstante bono communi. *Decretalium Greg. IX, lib. III, tit. XXIX, cap.* 4.

2° Perpetuitas parochi non requiritur ad essentiam parochiæ ; hæc perpetuitas requiritur unde parochus dicatur *beneficiatus. De Angelis, lib. III, tit. V, De præbendis et dignitatibus.*

518. **Ex præcedentibus, concludimus parochias in hac provincia esse parochias canonicas.** Revera 1° eriguntur ab auctoritate legitima ; 2° habent limites certos et determinatos ; 3° parochus, qui ad eas præficitur, ex officio verbum divinum prædicare et sacramenta ministrare suis parochianis tenetur, quemadmodum parochiani ad parochum recurrere debent pro quorumdam sacramentorum ministratione ; 4° parochus habet veram curam animarum, et ejus jurisdictio dicenda est ordinaria. Hinc parochi hujus provinciæ tenentur ad professionem fidei, ad missam *pro populo*, etc. Quia his parochis regulariter deficit inamovibilitas, non sunt beneficiati, sed eis æquiparantur in favorabilibus. *De Angelis, loco citato.*

519. **De erectione parochiæ.** Parochia non erigitur antequam in territorio sufficiens populus habeatur ad onera cultus divini sustentanda. Tunc determinantur *provisoria quadam ratione* districtus qui committuntur missionariis donec parochiæ erectio sit possibilis.

Parochia erigitur per viam creationis, divisionis seu dismembrationis, et unionis.

520. **De erectione per viam creationis.** Parochia erigitur per viam creationis, quando ex populo vel territorio nondum ulli parochiæ adscripto constituitur parochia. Ad episcopi potestatem ordinariam pertinet populum in parochiam erigere, id est, sacerdotem constituere qui proprio nomine et ex officio curam animarum exerceat. De jure autem communi, tenetur episcopus, quocumque modo eriga-

tur nova parochia, eam providere de sufficienti dote ad honestam parochi sustentationem, nisi tamen id impossibile foret ob paupertatem eorum qui contribuere tenentur ; nam in eo casu posset absque dicta dote parochiam erigere. *Bouix, De Parocho, part. I, cap. II.*

521. **De erectione per viam divisionis vel dismembrationis.** Parochia erigitur per viam divisionis, quando ex una duæ efformantur; erigitur per viam dismembrationis, quando ex pluribus parochiis jam existentibus aliquæ partes distrahuntur ex quibus alia nova efformatur. Illæ innovationes circa parochias generatim vocantur dismembrationes.

1° Episcopus potest, etiam invito parocho, aliquam parochiam dividere seu dismembrare, juxta decretalem *Ad audientiam,* tituli XLVIII, lib. III inter Decretales, et Conc. Trid., sess. XXI, cap. 4. Rationes propter quas licet parochiam dividere sunt locorum distantia et difficultas accessus, ita ut " parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possint." *Conc. Trid., loco citato.*

a) Ad determinandum quando adsit magnum incommodum, sive ex distantia, sive ex difficultate accedendi, nulla datur in jure regula, ideoque arbitrio judicis relinquitur. Maxime deferendum est hac in re prudentiæ episcopi, cui profecto locorum indoles atque sibi commissi gregis necessitas atque utilitas magis quam cuilibet alteri notissimæ merito censentur.

b) Ingens populi multitudo non est *per se* causa divisionis, quia, ut consulatur necessitati tantæ multitudinis, rectores cogi possunt ut " tot sibi sacerdotes adjungant quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum." *Conc. Trid., loco citato.* Attamen, ob nimiam populi multitudinem, fieri potest ut parochus cum vicariis non possit convenienter populum suum cognoscere et regere ; in hoc casu,

episcopus poterit parochiam dismembrare. *S. C. Concilii*, 9 *Apr.* 1892.

2º Modus servandus in dismembratione alicujus parochiæ est *a)* ut habeatur consensus capituli; *b)* ut citetur rector ecclesiæ, cujus maxime interest ut suas quas haberet rationes afferat contra dismembrationem. Si parochia dismembranda vidua sit suo pastore, vel differenda est dismembratio donec novus parochus præficiatur, vel episcopus debet aliquem deputare qui jura parochiæ defendere possit. Caput *Dudum* 1, *De rebus ecclesiæ non alienandis, in* 6º.

Ceterum quamvis necessarium sit parochum vocari, non tenetur episcopus illius consensum habere. *Trid., sess. XXI, cap.* 4, *De Ref.*

3º A sententia episcopi parochiam dismembrantis non datur appellatio *ad effectum suspensivum*, ut apparet ex decretali *Ad audientiam*, sed dari potest appellatio *ad effectum devolutivum.*

522. **De erectione per viam unionis.** Unio parochiarum vel beneficiorum fit quando duæ ecclesiæ inter se conjunguntur. Beneficiorum conjunctio potest esse *temporanea* seu *personalis*, vel *realis* et *perpetua*. Olim solebant fieri uniones beneficiorum temporaneæ in gratiam alicujus personæ, ut ea ad vitam possideret; hujusmodi uniones improbavit Tridentinum, sess. VII, cap. 4, prohibens " ne plura beneficia per viam unionis ad vitam reciperentur aut retinerentur."

A Concilio Tridentino permittuntur tantum uniones reales seu perpetuæ, quæ tribus modis fieri solent: *per annexionem*, *per accessionem* et *per confusionem.*

1º Unio per *annexionem* tunc fit quando duæ ecclesiæ ita conjunguntur ut neutra alteri subjiciatur vel adhæreat, quælibet servans suum titulum, proprios fines, redditus, eodem modo ac si duæ essent ecclesiæ distinctæ. Hac ratione cathe-

drales ecclesiæ uniuntur; in ecclesiis minoribus, hæc conjunctionis species quasi nunquam usurpatur.

2° Unio per *accessionem*, quæ etiam *subjectiva* et *accessoria* dicitur, tunc fit quando una ecclesia alteri ecclesiæ ita conjungitur ut ei subjiciatur tanquam pars accessoria principali. Ecclesia quæ ita unitur amittit proprium titulum et nomen, et inducit naturam beneficii cui unitur, et fit illius membrum et pars. Hac ratione uniuntur ecclesiæ parochiales.

3° Unio per *confusionem*, quæ potius beneficii exstinctio et suppressio dicenda est quam unio, fit quando, suppressis titulis duarum aut plurium ecclesiarum, nova ecclesia inde creatur.

523. **Beneficiorum uniones sunt odiosæ et juri communi repugnantes**, tum quia fundatores eo animo beneficia instituunt ut singula singulis conferantur, tum quia unione beneficiorum minuitur cultus divinus. Unde beneficia unienda non sunt nisi ecclesiæ necessitas aut utilitas postulaverit, v. g. si populus nimis decreverit, si templa vastata fuerint, si redditus ad sustentandum clericum non amplius sufficiant. *Cap. Exposuisti, De Præbendis.*

1° Cognitio causæ, utrum justa sit, pertinet ad superiorem ecclesiasticum a quo unio perficienda est. Summus Pontifex summa potestate gaudet, qua potest unire beneficia; ad ipsum exclusive pertinet unire beneficia majora, puta episcopatus. Episcopus, verificata causa, conjungit beneficia minora; hæc potestas non pertinet ad vicarium generalem, nisi habeat speciale mandatum.

2° Ipsi episcopo prohibetur quædam beneficia conjungere: *a)* beneficia liberæ collationis cum beneficiis juris patronatus, ne utrumque cadat sub patronatu; *b)* beneficia curata cum monasteriis, seminariis, collegiis, hospitalibus et locis piis: expedit enim ad spirituale bonum animarum ut parochus curam exercens integris parochiæ redditibus fruatur, sitque

verus et perpetuus pastor tum re, tum nomine proprio; *c)* neque beneficium unius diœcesis cum beneficio alterius, ne una ecclesia diversis episcopis subjiciatur; *d)* episcopo non licet quodvis beneficium unire mensæ suæ, ad vitandam turpis lucri suspicionem. *Vecchiotti, Inst. Canonicæ, vol. II, lib. III, De Rebus.*

524. **Ad unionem parochiarum, requiritur citatio eorum quorum interest.**

1⁰ Hæc tamen unio suum effectum habere nequit nisi post mortem aut resignationem rectorum qui has parochias obtinent; nam in cap. 5, sess. XXI, Conc. Trid., expresse cavetur ut hujusmodi uniones *sine præjudicio obtinentium* fiant. *Conc. Trid., sess. VII, cap.* 6.

2⁰ Non requiritur consensus aut citatio plebis parochiæ uniendæ. Si tamen de facto unioni se opponat et justam alleget causam, audienda est. *Ferraris,* v. *Unio, n.* 29; *Bargilliat, Præl. Jur. Can., vol. II, num.* 854.

525. **In provincia Quebecensi,** lex civilis habet parochiam ut *corporationem,* quæ valet bona temporalia possidere et administrare, quæ potest in judicio convenire vel conveniri, quæ uno verbo tota vita civili pollet. Hæc tamen corporatio non existit nisi *ad fines cultus.*

In causa *Cadot* vs *Ouimet,* judicatum fuit parochianos parochiæ canonicæ, cui denegata fuit erectio civilis, teneri ad decimas parocho solvendas.

526. **Episcopus habet plenissimam potestatem erigendi parochias,** sive per viam creationis, sive per viam divisionis aut dismembrationis, sive per viam unionis. Decreta episcopi hac in re nequeunt infirmari a tribunalibus civilibus.

Hæc potestas episcopi declaratur in articulo 3371, *Statuts refondus de la province de Québec.*

" Dans chacun des cas suivants, savoir, lorsqu'il s'agit:

1⁰ De l'érection canonique d'une nouvelle paroisse;

2° Du démembrement ou de la subdivision de quelque paroisse ;

3° De l'union de deux ou d'un plus grand nombre de paroisses ;

4° Des changements et modifications des bornes des paroisses déjà érigées ;

Ou quand, dans quelque paroisse ou mission, il est question de construire :

1° Une église paroissiale ;

2° Une chapelle paroissiale ;

3° Une succursale ;

4° Une sacristie et d'autres dépendances de l'église, chapelle ou succursale ;

5° Un presbytère et ses dépendances ;

6° D'établir un cimetière ou de changer ou réparer ces édifices ou ce cimetière ;

Sur la requête d'une majorité des habitants francs-tenanciers du territoire y désigné, intéressés dans l'affaire soumise à l'évêque catholique du lieu, ou en cas d'absence de l'évêque ou de vacance du siège épiscopal, à l'administrateur du diocèse, les autorités ecclésiastiques et les personnes qu'elles délèguent et autorisent à cette fin, procèdent, *suivant les lois ecclésiastiques et l'usage du diocèse,* au décret *définitif* d'érection, du démembrement ou de subdivision de la paroisse ou de l'union de paroisse, ou statuent *définitivement* sur l'emplacement ou la construction de l'église, de la chapelle paroissiale ou succursale, de la sacristie, du presbytère ou du cimetière et sur leurs dimensions principales ou sur leurs changements ou réparations."

In causa *Cadot* vs *Ouimet,* declaratum fuit : " Que dans l'érection des paroisses canoniques, l'évêque diocésain n'est soumis qu'à ses supérieurs ecclésiastiques et que les tribunaux civils n'ont aucun contrôle soit quant au fond, soit quant à la forme de ses décrets."

In articulo 3372, enumerantur formalitates servandæ antequam episcopus circa petitionem fidelium statuat. Conferri potest *Appendice au Rituel, pag.* 194 *et seq.*

527. **In provincia Quebecensi, episcopus potest erigere parochias nationales.**

Hic referuntur sequentes articuli *Statuts refondus de la province de Québec :*

" 3387. Chaque fois que dans une paroisse, ou dans deux ou plusieurs paroisses catholiques romaines voisines, il y a une minorité parlant une langue différente de celle de la majorité, cette minorité ou une partie de cette minorité peut être érigée en une paroisse distincte pour toutes les fins temporelles du culte, et constitue une corporation sous le nom de " Congrégation des Catholiques de...parlant la langue..." 42–43 *Victoria, c.* 41.

3388. L'érection de cette minorité ou partie de cette minorité en paroisse séparée se fait en la manière réglée par le présent chapitre, sauf que les francs-tenanciers sont remplacés par les chefs de famille appartenant à la nationalité de cette minorité.

3389. Le chef de la famille détermine la nationalité à laquelle appartient une famille, et toutes les fois que dans deux paroisses de nationalités différentes, sur un même territoire, il y a contestation afin de savoir à laquelle des deux paroisses une ou deux familles doivent contribuer pour toutes les fins du culte, l'Ordinaire catholique romain du diocèse dans lequel ces deux paroisses existent, détermine la paroisse à laquelle ces familles doivent contribuer pour les fins temporelles du culte.

3390. L'évêque catholique romain, dans le diocèse duquel ces congrégations existent, peut y annexer les paroissiens d'une paroisse voisine, parlant la même langue, qui demandent à être annexés."

...les; Beneficium Vol II, 518. "Jus perpetuum percipiendi reditus ex bonis ecclesiasticis, propter aliquod servitium spirituale, ex auctoritate Ecclesiae constitutum."

CAPUT II

DE INSTITUTIONE CANONICA PAROCHORUM

528. **Nominatio parochorum, lege communi, pertinet ad episcopum,** salvo jure Summi Pontificis, cui reservantur plura beneficia, et salvis etiam prærogativis patroni, quando parochiæ sub patronatu constituuntur. Vide 300

1⁰ Per primam regulam Cancellariæ Apostolicæ, reservantur Summo Pontifici beneficia quæ ordinarii collatores contra Concilii Tridentini decreta contulerunt vel in futurum conferent.

2⁰ Per regulam secundam, reservantur Summo Pontifici beneficia minora quæ vacant, sede episcopali vacante.

3⁰ Per regulam nonam, Sedes Apostolica, " cupiens pauperibus clericis et aliis bene meritis personis providere ", omnia beneficia quibusdam determinatis mensibus vacantia dispositioni suæ reservat. *Cf. vol. II, num.* 825. see 494.

529. **Reservationes in favorem Summi Pontificis pro beneficiis parochialibus in hac regione** non subsistunt, quia, si excipiatur parochia Quebecencis quæ juri communi subjicitur, parochiæ non conferuntur in perpetuum, et parochi sunt ad nutum episcopi amovibiles.

530. **Nec magis in hac regione existunt reservationes in favorem patronorum.**

1⁰ Patronus ecclesiæ est benefactor alicujus ecclesiæ, qui illam dotavit, vel ædificavit, vel fundum ei donavit, juxta axioma:

" *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.*"

2⁰ Ex gratitudine Ecclesiæ erga eos qui se liberales exhibuerunt erga eam, concessum est ipsis jus præsentandi ad ecclesiam vacantem clericum cui, si idoneus fuerit, episcopus non potest denegare institutionem canonicam.

3° Jus patronatus instituere conatus est Ludovicus XIV, edicto dato anno 1679, sed, instante episcopo Quebecensi, illud edictum fuit abrogatum, anno 1699. Benefactores ecclesiarum obtinuerunt quædam jura honorifica, relate ad sedilia in ecclesia, panem benedictum et incensum. *Beaudry, Code des curés, p.* 247-250.

Ex his concluditur nominationem parochorum in nostra regione spectare ad episcopum.

531. **Quidam jure extraordinario possunt parochiam conferre.** 1° Si episcopus intra sex menses non providerit parochiis, quarum collatio ad eum spectat, hæc provisio ad capitulum devolvitur, eoque negligente, ad metropolitanum; ex capite *Nulla* 2, *De concessione Præbendarum, lib. III, tit. VIII.* Eodem modo collatio devolvitur, si episcopus *scienter* beneficium contulerit indigno.

2° Quando parochia unitur monasterio, collegio, aut loco pio, deputandus est vicarius qui curam animarum *actualem* habeat; hæc deputatio fit a collegio, prævia approbatione episcopi. *Constitutio Pii V, Ad exsequendum.*

3° De potestate vicarii generalis et vicarii capitularis egimus in titulo præcedenti.

532. **De dotibus requisitis in promovendo.** Ut quis nominetur parochus, requiritur 1° ætas 25 annorum, secus nominatio est nulla; 2° ordo; communis sententia non requirit subdiaconatum vel ordines minores, sed exigit simplicem tonsuram. Qui parochiam obtinuit nondum sacerdos, debet ordinem presbyteratus suscipere intra annum a susceptione pacifica sui beneficii; 3° immunitas a censura et irregularitatibus; 4° scientia, unde parochus possit populum suum docere verbum Dei et administrare sacramenta, nam " carens litteris sacris non potest esse aptus officiis." *Conc. Trid., sess. XXII, cap.* 2; *sess. XXIV, cap.* 1, *De Ref.*

533. **De prævio concursu.** Ut probetur ejus scientia, promovendus ad beneficium parochiale subjiciendus est alicui

examini, cujus regulas tradiderunt Concilium Tridentinum, sess. XXIV, cap. 18, et Benedictus XIV, in constitutione *Cum illud.*

Hæ dispositiones ad sequentes conclusiones revocantur:

1° Episcopus, habita notitia vacationis ecclesiæ parochialis, statim deputabit, si opus fuerit, vicarium cum congrua fructuum assignatione, ad omnia onera parochiæ sustentanda, donec de pastore provisa fuerit ecclesia.

2° Per edictum intimatur concursus, et determinatur spatium decem vel ad summum viginti dierum intra quod secretario episcopi, vel alteri ad id deputato, communicabuntur nomina concurrentium et qualitates. Quilibet clericus potest se præsentare, modo intra tempus præfixum suum nomen dederit. Episcopus potest removere a concursu, absque ullo processu regulari, clericum de cujus indignitate ipsi sufficienter constat.

3° Die ad concursum constituto, omnes concurrentes simul ingrediuntur idem conclave, e quo egredi non licebit donec confecerint, intra tempus præfixum, responsa ad casus propositos.

4° Examen concurrentium instituitur tum supra doctrina, tum supra moribus, gravitate et experientia sacri ministerii. Judices sunt examinatores synodales, ad minus tres numero, quorum votis, si pares fuerint aut singulares, episcopus poterit accedere quibus magis videbitur.

5° Episcopus non tenetur illum eligere inter concurrentes quem examinatores digniorem reputaverunt, sed quem ipse digniorem præ cæteris judicat, ex illis quos examinatores existimarunt dignos ad officium parochiale.

6° Conceditur illi qui inter concurrentes officium non obtinuit, appellare ad superiorem a mala relatione examinatorum, vel a violatis regulis concursus, vel demum ab irrationabili judicio episcopi; sed servatis servandis, scilicet: *a)* ut appellatio interponatur intra decem dies a die collationis; *b)* ut

judex ad quem fit appellatio, pronuntiet juxta acta concursus ad ipsum transmittenda clausa et obsignata, nullo admisso novo documento scientiæ post concursum confecto ; *c)* ut adveniente judicis sententia quæ provisioni factæ ad Ordinario favet, non possit ulterius provocari. Si vero sententia sit contraria, alter ab Ordinario electus, retenta interim parochialis beneficii possessione, appellare potest. *Bened. XIV, De Synodo, lib. IV, cap. VII.*

534. **Lex Tridentina de concursu quasdam patitur exceptiones :**

1⁰ Pro parochiis *manualibus*, id est, quæ conferuntur *ad tempus*, seu *ad nutum episcopi ;* amovibilitas *ad nutum* male conveniret cum jure per concursum quæsito ;

2⁰ Pro vicariis curatis qui deputantur a collegio ad curam actualem animarum, prævio examine et approbatione episcopi ;

3⁰ Pro parochiis quæ sunt sub patronatu laicorum ;

4⁰ Quando tam exigui sunt redditus ecclesiæ parochialis ut nemo sit qui se examini quærat subjicere. *Conc. Trid., sess. XXIV, cap.* 18.

535. **Lex concursus nunquam viguit in hac regione,** ea potissima ratione quod parochiæ conferuntur ad tempus, et parochi sunt *ad nutum* amovibiles. Introducta fuit in Statibus Fœderatis per decretum III concilii nationalis Baltimorensis. Ad mentem hujus concilii, oportet ut in unaquaque diœcesi decima pars rectorum sint inamovibiles ; jamvero his parochiis in futuro providebitur, prævio concursu ad tramites capitis VI tituli II, inter acta concilii Baltimorensis III.

536. **Viget in aliquibus diœcesibus consuetudo examen de doctrina separandi ab examine de reliquis canonicis requisitis.** Hinc si ob diœcesium extensionem et distantiam locorum, aut alia peculiaria obstacula, nonnisi difficulter fieri possit, ut quoties ecclesia per concur-

sum conferenda vacare contigerit, toties ad illam adspirantes in unum locum conveniant, licebit examen de doctrina separare ab examine de ceteris canonicis requisitis, ea ratione, ut semel in anno, statuto tempore, examen generale de scientia pro missionibus in futurum vacaturis instituatur ad explorandam scientiam eorum qui ad rectorum inamovibilium munus adspirant; ceteræ vero dotes expendantur ab examinatoribus, quando ecclesia vacans conferenda sit. Qui in ejusmodi doctrinæ tentamine prævio approbati fuerint, ad obtinendum quemcumque rectoratum inamovibilem intra sex proximos annos vacaturum quoad scientiam habiles censebuntur. Elapso vero sexennio, examini denuo se sistere tenebuntur, si missioni inamovibilitatis privilegio insignitæ præfici velint. *Conc. Baltim., loco citato.*

537. **A lege subeundi novum examen, elapso sexennio, dispensari possunt** ab episcopo, audita examinatorum sententia, qui inter synodales vel pro-synodales examinatores sunt assumpti, aut qui propter muneris vel beneficii quo fruuntur dignitatem, vel propter diuturnam operam qua Ecclesiæ cum laude servierunt, scientiæ testimonium abunde præstant. *Instructio Sac. Cong. de Prop. Fide*, 10 *Oct.* 1884.

CAPUT III

DE JURIBUS PAROCHORUM

538. **Ut aliqua ecclesia dicatur parochialis, requiruntur sequentia:** " Primo, ut in ea sit potestas fori pœnitentialis sive solvendi sive ligandi in foro pœnitentiali. Secundo, ut hæc potestas exerceatur ex necessitate, hoc est, ut non tantum rector in ea possit administrare sacramenta circum habitantibus, et hi illa ab eo recipere, sed et is et hi ad hoc

Illegitimati non baptizantur cum solemnit[redacted]
Protestantes non possunt esse patrini etc -

teneantur; cum in ista reciproca necessitate administrandi et recipiendi sacramenta potissimum consistat ratio curati. Tertio, ut ei præpositus in illa exerceat curam nomine suo, et non alieno." *Leurenius, Forum beneficiale, quæst.* 146.

Unde, vi sui officii, parochus, in omnes fideles qui intra limites suæ parochiæ *domicilium* habent aut *quasi-domicilium*, obtinet *jurisdictionem fori interni*.

Hæc jurisdictio parochi potissimum exercetur circa sacramenta.

539. **De jurisdictione parochi quoad baptismum.**

1° Jus solemniter baptizandi parochianos competit exclusive parochis; et nullus sacerdos, præter casum necessitatis, id licite præstat, nisi de rectoris aut episcopi licentia. (est valida sed non licita)

2° Unde in singulis parochiis erigi debet fons baptismalis, ut proprius parochus consecret initium vitæ suorum fidelium per baptismi collationem in propria ecclesia. In novis ecclesiis quæ ex divisione ab antiquis eriguntur, non erigitur fons baptismalis, sed jus baptizandi reservatur priori ecclesiæ, quæ dicitur *ecclesia matrix*. Hinc in jure distingui coepit inter *ecclesias matrices* seu *baptismales*, et *ecclesias filiales* seu *simpliciter parochiales*. Verum quando adsunt justæ causæ, etiam in filialibus ecclesiis erigitur fons baptismalis. *Santi, Prœl. Jur., lib. III, tit. XXIX.*

540. **De jurisdictione parochi quoad pœnitentiam.**

1° Parochus, vi sui officii, habet jurisdictionem et approbationem in sua parochia, ex eo quod præficitur ad beneficium parochiale; *Conc. Trid., sess. XXIII, cap.* 15. Hanc tamen jurisdictionem exercet parochus dependenter ab episcopo, qui potest quædam crimina atrociora sibi reservare. *S. Cong. Episc. et Reg.*, 26 *Nov.* 1602. (see Nº 29, 16.)

2° Parochus, qua ordinarius, non tantum in sua parochia et diœcesi, sed ubique, etiam sine episcopi loci approbatione, suorum subditorum confessiones audire potest. Peregrinorum confessiones audit in sua parochia, vel ex delegatione tacita

Approbatio est testimonium scientiae competentis in aliquo.
Jurisdictio est missio ab episcopo see 117.

eorum Ordinarii, vel ex delegatione Ecclesiæ universalis quæ approbat consuetudinem vi cujus peregrini possunt absolvi a parocho non suo. *Lehmkuhl, Theol. Moralis, vol. II, num.* 385.

3° Parochus, quia ordinarius est, potest delegare; sed ex Concilio Trid., sess. XXIII, cap. 15, non potest delegare facultatem audiendi confessiones nisi sacerdotibus approbatis ab Ordinario loci. Cum episcopi soleant sacerdotibus sæcularibus jurisdictionem conferre simul cum approbatione, ideo rarissime contingit parochos jurisdictionem conferre ad audiendas confessiones.

541. **Jure particulari inducto a concilii provincialis Quebecensis VII decreto XI:**

1° Parochus potest prædicare et absolvere in parochiis quæ parochiam propriam immediate tangunt, etiamsi dictæ parochiæ sitæ sint in altera diœcesi hujus provinciæ. Hoc intelligendum est, salvo jure cuilibet Ordinario aliter statuendi in propria diœcesi, si hoc in Domino illi videbitur expedire.

2° Vicarius parochi potest prædicare et absolvere in parochiis in quibus potest parochus ipse, vi præcedentis articuli.

3° Sacerdos pollens jurisdictione sive ordinaria, sive delegata in aliquo territorio, potest ibidem absolvere pœnitentes ad se venientes, etiam ex alia parœcia aut diœcesi, aut provincia, etiam tempore paschali, nisi agatur de peccato reservato in diœcesi pœnitentis, qui *principaliter in fraudem reservationis* in aliam diœcesim se contulerit.

4° Quilibet sacerdos, habens actualem jurisdictionem in aliqua parte diœcesis, potest in toto territorio ejusdem diœcesis absolvere clericum quemcumque, etiam simpliciter tonsuratum, vel presbyterum; item famulos et ancillas et alias personas in domo parochiali vel in domo missionarii domicilium etiam ad breve tempus habentes.

5° In qualibet diœcesi hujus provinciæ, approbati censen-

tur ii presbyteri actualem jurisdictionem saltem in aliqua parte ejusdem diœcesis habentes.

6° Ex decreto XV ejusdem concilii, quando pia et publica suscipitur peregrinatio, qui præest peregrinationi et sibi adjungit alios sacerdotes in provincia approbatos, eis communicat jurisdictionem prædicandi et confessiones audiendi, cum facultate absolvendi a casibus mere episcopalibus, etiam cum censuris reservatis, pro toto tempore et loco ipso peregrinationis. Omnes eædem facultates exerceri poterunt, quando etiam iter habetur per alias diœceses, vel locus peregrinationis in diversa diœcesi situs est.

His decretis concordant dispositiones edictæ in I Concilio provinciæ Marianopolitanæ.

542. **Relinquitur Ordinariis locorum facultas hanc jurisdictionem ampliandi.**

1° In diœcesi Quebecensi, parochus, etiam alterius diœcesis vicinæ, potest prædicare et absolvere in parochiis hujus archidiœcesis propriam parochiam immediate tangentibus *et in parochiis quæ easdem immediate tangunt.* Ubi vero flumen interfluit, vel interest lacus aut sinus, littora censentur sese mutuo immediate tangentia.

2° Presbyteri, sive aggregati, sive auxiliares Seminarii Quebecensis, Collegii Sanctæ Annæ et Collegii de Lévis, dummodo approbati fuerint, possunt prædicare et absolvere in tota archidiœcesi Quebecensi.

3° Tempore missionis, vel novemdialis, vel expositionis SS. Sacramenti, vel festi patronalis, vel indulgentiæ plenariæ, vel etiam concursus pro aliqua confraternitate, v. g. temperantiæ, scapularis, propagationis fidei, etc., parochus vel, eo absente, vicarius senior præsens, potest invitare ad prædicandum et ad audiendas confessiones quoscumque presbyteros in aliqua parte hujus archidiœcesis actualem jurisdictionem prædicandi et absolvendi habentes. *Discipline du diocèse de Québec,* ad verbum *Juridiction.*

543. **De jure parochi quoad eucharistiam.** Relate ad eucharistiam, parochus habet sequentia jura:

1° Parochiani communionem paschalem recipere debent in propria parochiali ecclesia. Alibi sumentes, secluso privilegio, vel absque episcopi vel parochi licentia, præcepto Ecclesiæ non satisfaciunt. Caput *Omnis utriusque sexus.*

2° Spectato jure communi, admissio puerorum ad primam communionem non est de juribus parochialibus, sed consuetudine inductum est in pluribus catholicis regionibus, ut hæc functio sit exclusive parochialis, salvis legitimis exceptionibus in communitatibus exemptis. *Bargilliat, Prœl. Jur. Can., vol. II, n.* 922. Conc. Montreal Page 56.

3° Parochus permittit sacerdotibus peregrinis testimonialibus litteris munitis, ut missam celebrent in sua ecclesia, nisi episcopus sibi reservaverit revisionem testimonialium. Ipsis
...crificii celebra-
...no, cereis et
...xigere potest,

...t extremam

...cram commu-
... ita ut alii sa-
...casum neces-
...i vel Ordinarii
cap. 4.
...Romano Ponti-
...i præsumentes
...sacramentum
...um ministrare,
Sedis, tit. II,

...atrimonium.
...atum fuit caput

- you may be excommunicated

Sentence is passed ipso ...

29 FÉVRIER. — LES MARTYRS D'ALEXANDRIE.

La peste qui désola l'empire romain depuis l'an 249 jusqu'à l'an 262 fit sentir ses horribles ravages à Alexandrie. Les idolâtres, regardant ce fléau comme la plus grande des calamités, ne songeaient qu'à leur conservation personnelle; mais les chrétiens montrèrent en cette occasion de quoi la charité est capable. Ces hommes qui, pendant les persécutions, avaient été obligés de se cacher, et qui n'avaient pu offrir les saints mystères que dans des prisons ou des lieux souterrains, ces mêmes hommes, bravant alors le danger évident où ils mettaient leur propre vie, accoururent au secours des pestiférés, et se dévouèrent généreusement à leur service. Ils fermaient la bouche et les yeux aux morts et les emportaient ensuite sur leurs épaules pour leur rendre les derniers devoirs. Plusieurs de ces vrais disciples de Jésus-Christ furent les victimes de leur charité, mais ils avaient la consolation en mourant de laisser de fidèles imitateurs. *C'est ainsi*, ajoute saint Denis, de qui nous tenons ces détails, *c'est ainsi que les plus pieux de nos frères, les plus saints de nos prêtres, de nos diacres, et même de nos laïques, ont terminé leur vie; et il est hors de doute que ce genre de mort ne diffère en rien du martyre.* La coutume constante de l'Église a justifié le sentiment du saint docteur.

R. 1. *Pourquoi les saints portèrent-ils la charité envers le prochain à un degré si héroïque? C'est qu'ils étaient solidement établis dans l'amour de Dieu, et l'espérance des biens éternels. 2. Les plus grands dangers ne sont pas capables de refroidir le zèle, quand on pense que Jésus-Christ tient pour fait à lui-même tout ce qu'on fait pour le moindre de ses frères.* IMIT., liv. I, ch. XXIII, v. 2. 38

tur ii presbyteri actualem jurisdictionem saltem in aliqua parte ejusdem diœcesis habentes.

6⁰ Ex decreto XV ejusdem concilii, quando pia et publica suscipitur peregrinatio, qui præest peregrinationi et sibi adjungit alios sacerdotes in provincia approbatos, eis communicat jurisdictionem prædicandi et confessiones audiendi, cum facultate absolvendi a casibus mere episcopalibus, etiam cum censuris reservatis, pro toto tempore et loco ipso peregrinationis. Omnes eædem facultates exerceri poterunt, quando etiam iter habetur per alias diœceses, vel locus peregrinationis in diversa diœcesi situs est.

His decretis concordant dispositiones edictæ in I Concilio provinciæ Marianopolitanæ.

542. **Relinquitur Ordinariis locorum facultas hanc jurisdictionem ampliandi.**

1⁰ In diœcesi Quebecensi, parochus, etiam alterius diœcesis vicinæ, potest prædicare et absolvere in parochiis hujus archidiœcesis propriam parochiam immediate tangentibus *et in parochiis quæ easdem immediate tangunt.* Ubi vero flumen interfluit, vel interest lacus aut sinus, littora censentur sese mutuo immediate tangentia.

2⁰ Presbyteri, sive aggregati, sive auxiliares Seminarii Quebecensis, Collegii Sanctæ Annæ et Collegii de Lévis, dummodo approbati fuerint, possunt prædicare et absolvere in tota archidiœcesi Quebecensi.

3⁰ Tempore missionis, vel novemdialis, vel expositionis SS. Sacramenti, vel festi patronalis, vel indulgentiæ plenariæ, vel etiam concursus pro aliqua confraternitate, v. g. temperantiæ, scapularis, propagationis fidei, etc., parochus vel, eo absente, vicarius senior præsens, potest invitare ad prædicandum et ad audiendas confessiones quoscumque presbyteros in aliqua parte hujus archidiœcesis actualem jurisdictionem prædicandi et absolvendi habentes. *Discipline du diocèse de Québec,* ad verbum *Juridiction.*

543. **De jure parochi quoad eucharistiam.** Relate ad eucharistiam, parochus habet sequentia jura:

1° Parochiani communionem paschalem recipere debent in propria parochiali ecclesia. Alibi sumentes, secluso privilegio, vel absque episcopi vel parochi licentia, præcepto Ecclesiæ non satisfaciunt. Caput *Omnis utriusque sexus.*

2° Spectato jure communi, admissio puerorum ad primam communionem non est de juribus parochialibus, sed consuetudine inductum est in pluribus catholicis regionibus, ut hæc functio sit exclusive parochialis, salvis legitimis exceptionibus in communitatibus exemptis. *Bargilliat, Præl. Jur. Can., vol. II, n.* 922.

Conc. Montreal Page 56.

3° Parochus permittit sacerdotibus peregrinis testimonialibus litteris munitis, ut missam celebrent in sua ecclesia, nisi episcopus sibi reservaverit revisionem testimonialium. Ipsis proinde subministrare debet quæ ad hujus sacrificii celebrationem necessaria sunt. Attamen pro pane, vino, cereis et sacris utensilibus, alicujus taxæ solutionem exigere potest, sed in praxi non decet.

544. **De jure parochi quoad viaticum et extremam unctionem.**

1° Ad parochum pertinet jus ministrandi sacram communionem per viaticum et extremam unctionem, ita ut alii sacerdotes, etsi *valide* possint, *licite* tamen extra casum necessitatis illa ministrare nequeant, absque parochi vel Ordinarii licentia. *Bened. XIV, De Synodo, lib. VIII, cap.* 4.

2° Imo excommunicationem latæ sententiæ Romano Pontifici simpliciter reservatam incurrunt " religiosi præsumentes clericis aut laicis, extra casum necessitatis, sacramentum extremæ unctionis aut eucharistiæ per viaticum ministrare, absque parochi licentia." *Constitutio Apost. Sedis, tit. II, n.* 14.

545. **De jure parochi relate ad matrimonium.**
1° Ut validum sit matrimonium ubi publicatum fuit caput

Excommunicatio ferendae sententiae = you may be excommunicated ex. priest who goes to theatre etc.
Excommunicatio latae sententiae. Sentence is passed ipso facto man is excommunicated.
Validum est nunc matrimonium coram [illegible]

tur ii presbyteri actualem jurisdictionem saltem in aliqua parte ejusdem diœcesis habentes.

6° Ex decreto XV ejusdem concilii, quando pia et publica suscipitur peregrinatio, qui præest peregrinationi et sibi adjungit alios sacerdotes in provincia approbatos, eis communicat jurisdictionem prædicandi et confessiones audiendi, cum facultate absolvendi a casibus mere episcopalibus, etiam cum censuris reservatis, pro toto tempore et loco ipso peregrinationis. Omnes eædem facultates exerceri poterunt, quando etiam iter habetur per alias diœceses, vel locus peregrinationis in diversa diœcesi situs est.

His decretis concordant dispositiones edictæ in I Concilio provinciæ Marianopolitanæ.

542. **Relinquitur Ordinariis locorum facultas hanc jurisdictionem ampliandi.**

1° In diœcesi Quebecensi, parochus, etiam alterius diœcesis vicinæ, potest prædicare et absolvere in parochiis hujus archidiœcesis propriam parochiam immediate tangentibus *et in parochiis quæ easdem immediate tangunt.* Ubi vero flumen interfluit, vel interest lacus aut sinus, littora censentur sese mutuo immediate tangentia.

2° Presbyteri, sive aggregati, sive auxiliares Seminarii Quebecensis, Collegii Sanctæ Annæ et Collegii de Lévis, dummodo approbati fuerint, possunt prædicare et absolvere in tota archidiœcesi Quebecensi.

3° Tempore missionis, vel novemdialis, vel expositionis SS. Sacramenti, vel festi patronalis, vel indulgentiæ plenariæ, vel etiam concursus pro aliqua confraternitate, v. g. temperantiæ, scapularis, propagationis fidei, etc., parochus vel, eo absente, vicarius senior præsens, potest invitare ad prædicandum et ad audiendas confessiones quoscumque presbyteros in aliqua parte hujus archidiœcesis actualem jurisdictionem prædicandi et absolvendi habentes. *Discipline du diocèse de Québec*, ad verbum *Juridiction.*

543. **De jure parochi quoad eucharistiam.** Relate ad eucharistiam, parochus habet sequentia jura:

1° Parochiani communionem paschalem recipere debent in propria parochiali ecclesia. Alibi sumentes, secluso privilegio, vel absque episcopi vel parochi licentia, præcepto Ecclesiæ non satisfaciunt. Caput *Omnis utriusque sexus.*

2° Spectato jure communi, admissio puerorum ad primam communionem non est de juribus parochialibus, sed consuetudine inductum est in pluribus catholicis regionibus, ut hæc functio sit exclusive parochialis, salvis legitimis exceptionibus in communitatibus exemptis. *Bargilliat, Præl. Jur. Can., vol. II, n.* 922.

Conc. Montreal Page 56.

3° Parochus permittit sacerdotibus peregrinis testimonialibus litteris munitis, ut missam celebrent in sua ecclesia, nisi episcopus sibi reservaverit revisionem testimonialium. Ipsis proinde subministrare debet quæ ad hujus sacrificii celebrationem necessaria sunt. Attamen pro pane, vino, cereis et sacris utensilibus, alicujus taxæ solutionem exigere potest, sed in praxi non decet.

544. **De jure parochi quoad viaticum et extremam unctionem.**

1° Ad parochum pertinet jus ministrandi sacram communionem per viaticum et extremam unctionem, ita ut alii sacerdotes, etsi *valide* possint, *licite* tamen extra casum necessitatis illa ministrare nequeant, absque parochi vel Ordinarii licentia. *Bened. XIV, De Synodo, lib. VIII, cap.* 4.

2° Imo excommunicationem latæ sententiæ Romano Pontifici simpliciter reservatam incurrunt "religiosi præsumentes clericis aut laicis, extra casum necessitatis, sacramentum extremæ unctionis aut eucharistiæ per viaticum ministrare, absque parochi licentia." *Constitutio Apost. Sedis, tit. II, n.* 14.

545. **De jure parochi relate ad matrimonium.** 1° Ut validum sit matrimonium ubi publicatum fuit caput

[illegible] except [illegible]

Excommunicatio ferendae sententiae = you may be excommunicated ex. priest who goes to theatre etc

Excommunicatio latae sententiae. Sentence is passed ipso facto man is excommunicated.

Validum est nunc matrimonium coram [illegible]

tur ii presbyteri actualem jurisdictionem saltem in aliqua parte ejusdem diœcesis habentes.

6° Ex decreto XV ejusdem concilii, quando pia et publica suscipitur peregrinatio, qui præest peregrinationi et sibi adjungit alios sacerdotes in provincia approbatos, eis communicat jurisdictionem prædicandi et confessiones audiendi, cum facultate absolvendi a casibus mere episcopalibus, etiam cum censuris reservatis, pro toto tempore et loco ipso peregrinationis. Omnes eædem facultates exerceri poterunt, quando etiam iter habetur per alias diœceses, vel locus peregrinationis in diversa diœcesi situs est.

His decretis concordant dispositiones edictæ in I Concilio provinciæ Marianopolitanæ.

542. **Relinquitur Ordinariis locorum facultas hanc jurisdictionem ampliandi.**

1° In diœcesi Quebecensi, parochus, etiam alterius diœcesis vicinæ, potest prædicare et absolvere in parochiis hujus archidiœcesis propriam parochiam immediate tangentibus *et in parochiis quæ easdem immediate tangunt.* Ubi vero flumen interfluit, vel interest lacus aut sinus, littora censentur sese mutuo immediate tangentia.

2° Presbyteri, sive aggregati, sive auxiliares Seminarii Quebecensis, Collegii Sanctæ Annæ et Collegii de Lévis, dummodo approbati fuerint, possunt prædicare et absolvere in tota archidiœcesi Quebecensi.

3° Tempore missionis, vel novemdialis, vel expositionis SS. Sacramenti, vel festi patronalis, vel indulgentiæ plenariæ, vel etiam concursus pro aliqua confraternitate, v. g. temperantiæ, scapularis, propagationis fidei, etc., parochus vel, eo absente, vicarius senior præsens, potest invitare ad prædicandum et ad audiendas confessiones quoscumque presbyteros in aliqua parte hujus archidiœcesis actualem jurisdictionem prædicandi et absolvendi habentes. *Discipline du diocèse de Québec*, ad verbum *Juridiction.*

543. De jure parochi quoad eucharistiam. Relate ad eucharistiam, parochus habet sequentia jura:

1⁰ Parochiani communionem paschalem recipere debent in propria parochiali ecclesia. Alibi sumentes, secluso privilegio, vel absque episcopi vel parochi licentia, præcepto Ecclesiæ non satisfaciunt. Caput *Omnis utriusque sexus.*

2⁰ Spectato jure communi, admissio puerorum ad primam communionem non est de juribus parochialibus, sed consuetudine inductum est in pluribus catholicis regionibus, ut hæc functio sit exclusive parochialis, salvis legitimis exceptionibus in communitatibus exemptis. *Bargilliat, Præl. Jur. Can., vol. II, n.* 922. Conc. Montreal Page 56.

3⁰ Parochus permittit sacerdotibus peregrinis testimonialibus litteris munitis, ut missam celebrent in sua ecclesia, nisi episcopus sibi reservaverit revisionem testimonialium. Ipsis proinde subministrare debet quæ ad hujus sacrificii celebrationem necessaria sunt. Attamen pro pane, vino, cereis et sacris utensilibus, alicujus taxæ solutionem exigere potest, sed in praxi non decet.

544. De jure parochi quoad viaticum et extremam unctionem.

1⁰ Ad parochum pertinet jus ministrandi sacram communionem per viaticum et extremam unctionem, ita ut alii sacerdotes, etsi *valide* possint, *licite* tamen extra casum necessitatis illa ministrare nequeant, absque parochi vel Ordinarii licentia. *Bened. XIV, De Synodo, lib. VIII, cap.* 4.

2⁰ Imo excommunicationem latæ sententiæ Romano Pontifici simpliciter reservatam incurrunt " religiosi præsumentes clericis aut laicis, extra casum necessitatis, sacramentum extremæ unctionis aut eucharistiæ per viaticum ministrare, absque parochi licentia." *Constitutio Apost. Sedis, tit. II, n.* 14.

545. De jure parochi relate ad matrimonium. 1⁰ Ut validum sit matrimonium ubi publicatum fuit caput

Excommunicatio ferendae sententiae = you may be excommunicated ex. priest who goes to theatre etc.
Excommunicatio latae sententiae. Sentence is passed ipso facto man is excommunicated.
Validum est nunc matrimonium coram quolibet

tur ii presbyteri actualem jurisdictionem saltem in aliqua parte ejusdem diœcesis habentes.

6⁰ Ex decreto XV ejusdem concilii, quando pia et publica suscipitur peregrinatio, qui præest peregrinationi et sibi adjungit alios sacerdotes in provincia approbatos, eis communicat jurisdictionem prædicandi et confessiones audiendi, cum facultate absolvendi a casibus mere episcopalibus, etiam cum censuris reservatis, pro toto tempore et loco ipso peregrinationis. Omnes eædem facultates exerceri poterunt, quando etiam iter habetur per alias diœceses, vel locus peregrinationis in diversa diœcesi situs est.

His decretis concordant dispositiones edictæ in I Concilio provinciæ Marianopolitanæ.

542. **Relinquitur Ordinariis locorum facultas hanc jurisdictionem ampliandi.**

1⁰ In diœcesi Quebecensi, parochus, etiam alterius diœcesis vicinæ, potest prædicare et absolvere in parochiis hujus archidiœcesis propriam parochiam immediate tangentibus *et in parochiis quæ easdem immediate tangunt.* Ubi vero flumen interfluit, vel interest lacus aut sinus, littora censentur sese mutuo immediate tangentia.

2⁰ Presbyteri, sive aggregati, sive auxiliares Seminarii Quebecensis, Collegii Sanctæ Annæ et Collegii de Lévis, dummodo approbati fuerint, possunt prædicare et absolvere in tota archidiœcesi Quebecensi.

3⁰ Tempore missionis, vel novemdialis, vel expositionis SS. Sacramenti, vel festi patronalis, vel indulgentiæ plenariæ, vel etiam concursus pro aliqua confraternitate, v. g. temperantiæ, scapularis, propagationis fidei, etc., parochus vel, eo absente, vicarius senior præsens, potest invitare ad prædicandum et ad audiendas confessiones quoscumque presbyteros in aliqua parte hujus archidiœcesis actualem jurisdictionem prædicandi et absolvendi habentes. *Discipline du diocèse de Québec,* ad verbum *Juridiction.*

543. **De jure parochi quoad eucharistiam.** Relate ad eucharistiam, parochus habet sequentia jura:

1⁰ Parochiani communionem paschalem recipere debent in propria parochiali ecclesia. Alibi sumentes, secluso privilegio, vel absque episcopi vel parochi licentia, præcepto Ecclesiæ non satisfaciunt. Caput *Omnis utriusque sexus.*

2⁰ Spectato jure communi, admissio puerorum ad primam communionem non est de juribus parochialibus, sed consuetudine inductum est in pluribus catholicis regionibus, ut hæc functio sit exclusive parochialis, salvis legitimis exceptionibus in communitatibus exemptis. *Bargilliat, Præl. Jur. Can., vol. II, n.* 922.

Conc. Montreal Page 86.

3⁰ Parochus permittit sacerdotibus peregrinis testimonialibus litteris munitis, ut missam celebrent in sua ecclesia, nisi episcopus sibi reservaverit revisionem testimonialium. Ipsis proinde subministrare debet quæ ad hujus sacrificii celebrationem necessaria sunt. Attamen pro pane, vino, cereis et sacris utensilibus, alicujus taxæ solutionem exigere potest, sed in praxi non decet.

544. **De jure parochi quoad viaticum et extremam unctionem.**

1⁰ Ad parochum pertinet jus ministrandi sacram communionem per viaticum et extremam unctionem, ita ut alii sacerdotes, etsi *valide* possint, *licite* tamen extra casum necessitatis illa ministrare nequeant, absque parochi vel Ordinarii licentia. *Bened. XIV, De Synodo, lib. VIII, cap.* 4.

2⁰ Imo excommunicationem latæ sententiæ Romano Pontifici simpliciter reservatam incurrunt " religiosi præsumentes clericis aut laicis, extra casum necessitatis, sacramentum extremæ unctionis aut eucharistiæ per viaticum ministrare, absque parochi licentia." *Constitutio Apost. Sedis, tit. II, n.* 14.

545. **De jure parochi relate ad matrimonium.** 1⁰ Ut validum sit matrimonium ubi publicatum fuit caput

A 5 to [illegible]

Excommunicatio ferendae sententiae = you may be excommunicated ex. priest who goes to theatre etc.

Excommunicatio latae sententiae. Sentence is passed ipso [illegible] man is excommunicated.

Validum est nunc matrimonium coram quolibet [illegible]

Tametsi Conc. Trid., sess. XXIV, De Ref., oportet ut contrahatur præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi vel episcopi licentia, et duobus vel tribus testibus.

a) Ad parochum, jure proprio, pertinet denuntiare matrimonia a parochianis suis contrahenda; item ad ipsum pertinet eis benedictionem nuptialem impertiri. *Concilium Tridentinum, loco citato.*

b) Per prædictum jus parochi, non excluditur jus episcopi per seipsum, si velit, vel per alium sacerdotem a se deputatum, faciendi denuntiationes, nuptialem benedictionem impertiendi et matrimoniis assistentian præstandi. Jura parochorum in sacramenta non derogant juribus episcopi, qui curam totius diœcesis habet et reputatur *primus curatus diœcesis.* Ceterum curandum est ne ob leves quascumque causas hujusmodi deputationes fiant, salvis semper in favorem parochi emolumentis, si occasione matrimonii dari soleant. Timendum est ne detrimentum obveniat ecclesiæ sponsorum. *S. Cong. Concilii,* 17 *Sept.* 1863, apud *L'Ami du clergé, vol. XVI, pag* 826.

2° Decretum *Tametsi* fuit publicatum in provincia civili Quebecensi: ergo matrimonium contrahendum est coram parocho alterutrius partis, vel ejus aut episcopi delegato, præsentibus duobus aut tribus testibus. Articulus 128 codicis civilis provinciæ Quebecensis habet: " Le mariage doit être célébré publiquement devant un *fonctionnaire compétent* reconnu par la loi." In causa *Laramée* vs *Evans,* 27 Dec. 1881, Clarissimus Judex tribunalis, L. A. Jetté, referens totam evolutionem legislationis circa matrimonium, judicavit *officialem competentem* pro catholicis hujus provinciæ esse parochum alterutrius partis, vel ejus aut episcopi delegatum. *Lower Canada Jurist, p.* 261, *vol. XXV.*

3° Declaratio Benedicti XIV, die 4 Nov. 1741 data, relate ad matrimonia in Hollandia contracta et contrahenda, fuit

Marriage of minors is null if contracted without consent of parents juxta legem civilem; Minors can marry without consent of parents juxta legem ecclesiasticam.

extensa ad Ecclesiam Canadensem, die 29 Nov. 1764; *Ordonnances de Québec, pag.* 257. Ergo matrimonium mixtum quod contrahitur coram ministro hæretico est validum, quamvis sit graviter illicitum, et pars catholica incurrat censuram tanquam *credens hæreticis. Sacra Cong. Sti Officii,* 22 *Martii* 1879.

546. **De jure sepeliendi ad parochum pertinente.** 1º "Parochus parochianos suos omnes quibus sepultura sacra conceditur, sepelire debet in ecclesia vel cœmeterio parochiali. Sicut enim sacramenta et verbi Dei prædicationem, ita et sepulturæ officium fidelibus præstare ad eorum pastores pertinet;" *Leurenius, Forum beneficiale, part. I, q.* 452. Imo parocho competit jus sepeliendi omnes peregrinos intra parochiam degentes et decedentes, qui ad propriam parochiam deferri non possunt. Caput *Is qui, De sepultura, in* 6º.

2º Hæc regula deficit in casibus sepulturæ electivæ et sepulturæ familiaris; unde sepultura potest esse *communis, electiva* et *familiaris.*

a) Sepultura *communis* est ipsum cœmeterium aut ecclesia parochialis in qua reperiuntur populi sepulcra.

b) Sepultura *electiva* est illa quam quis sibi eligit extra parochialem ecclesiam, dummodo locus religiosus sit, et talis ut in eo sepultura fieri possit.

c) Sepultura *familiaris* illa dicitur quam quis pro se et suis descendentibus constituit. Differt a sepultura *electiva* ex hoc quod est actus voluntatis alterius; differt a sepultura *communi,* quia potest haberi vel in propria, vel in aliena parochia.

547. **Jus parochi quoad sepulturam tria complectitur: jus funerandi, jus interveniendi funeribus et jus percipiendi emolumenta ex funeribus.**

1º *Ad jus funerandi quod attinet,* parochus habet jus sepeliendi omnes suos parochianos, nisi habeant sepulcrum electivum vel familiare.

Jus celebrandi exequias, missam et etiam legendi preces in loco sepeliendi.

a) Quando parochianus extra parochiam decedit, ad eam deferri debet si res sit facilis; si defunctus duplex domicilium habeat, sepeliendus est in parochia in qua decessit.

b) Quando parochus illegitime cadaver peregrini in sua ecclesia sepelivit, debet omnia funeris emolumenta parocho defuncti restituere; imo olim canones ad exhumationem obligabant, sed hoc fieri nequit hodie, vetantibus legibus civilibus.

c) Dum quis, in propria parochia defunctus, in eadem sepelitur, ad parochum spectat tum cadaver e domo levare, tum functiones omnes sacras peragere.

2° *Ad jus interveniendi funeribus quod spectat,* dum parochianus in propria ecclesia decedit et in aliena sepelitur, proprio defuncti parocho competit jus cadaver e domo levandi et illud, per viam ab ipso declarandam, ad funerantem deducendi. *Bargilliat, Prœl. Jur. Can., vol. II, n.* 934.

3° *Quoad emolumenta,* parochus jus habet ad certam oblationem, dum ipsius parochianus in propria ecclesia sepelitur, et jus ad *quartam funeralem,* dum sepultura alibi ei donatur.

a) Nequit parochus, absque simoniæ labe, quidquam exigere tanquam *pretium sepulturæ;* sepultura enim est jus spirituale omnibus fidelibus competens, quod gratuito, vi muneris sui, parochus suis parochianis præstare tenetur.

b) Si adsit consuetudo aliquid solvendi pro simplici sepultura, parocho non prohibetur hanc oblationem postulare.

c) Si heredes defunti solemnia mandavit funeralia ad quæ, vi sui officii, parochus non tenetur, poterit, ratione expensarum aut extraordinarii laboris, aliquid exigere.

548. **Episcopo competit jus pro illis exsequiis taxam determinandi.** In praxi episcopus in confectione illius taxæ determinat quid tribuendum sit parocho et aliis altari inservientibus, quid fabricæ ecclesiæ, quid cantoribus, quid organistæ, etc., et huic taxæ standum est.

Pauperes quibus nihil superest ut propriis expensis sepeliri possint, gratis sepeliantur. *Rituale Romanum, De exequiis.*

549. **Quarta funeralis** est certa quantitas pecuniæ a jure canonico inducta quæ solvenda est proprio defuncti parocho ex iis quæ occasione funeris obveniunt ecclesiæ funeranti. Dicitur *quarta*, quia generatim parocho debetur quarta pars eorum omnium quæ occasione funeris ecclesiæ tumulanti obveniunt.

In hac materia, attendendum est ad locorum consuetudines quæ quantitatem augent vel minuunt. In hac diœcesi, quando quis sepelitur extra suam parochialem ecclesiam, huic ecclesiæ solvitur taxa quæ pro humiliori sepultura determinatur.

In provincia ecclesiastica Marianopolitana, patres I Concilii, tit. XII, dec. III, statuerunt " ut quoties exequiæ cum missa præsente corpore in aliena celebrentur ecclesia, etiam regularium, ad parochum et ad fabricam propriæ ecclesiæ respective solvatur a parocho vel rectore et a fabrica vel ecclesia ubi exequiæ peraguntur quarta pars quorumcumque emolumentorum funeralium, deductis tamen impensis, necnon firmo remanente privilegio congregationum religiosarum erga suorum sodalium vel familiarium funera."

550. **Ad parochum pertinent functiones parochiales.** Functionum duo sunt genera, *sacerdotales* et *parochiales : sacerdotales* quæ ex mera ordinis potestate consistunt, *parochiales* quibus inest aliquid jurisdictionis.

Ad finem imponendum controversiis inter parochos et confraternitates sæculares earumque capellanos, Sacra Congregatio Rituum, 10 Dec. 1703, decretum generale edidit, ex quo sequentes decisiones desumuntur.

1° Ad jura parochialia pertinent benedictio fontis baptismalis, celebratio missæ solemnis feriæ V' in cœna Domini et officium funebre super cadaveribus parochianorum tumulandis in ecclesiis et oratoriis publicis confraternitatum quæ

sunt intra fines parochiæ. *Decretum, n.* 6, 8, 20. Benedictio mulieris post partum fieri debet a parocho, si expetitus ipse fuerit; potest autem fieri a quocumque sacerdote si expetitus ipse pariter fuerit, in quacumque ecclesia vel oratorio publico, certiore facto superiore ecclesiæ. *S. Rit. Cong.*, 13 *Jun.* 1890.

2° Non sunt functiones parochiales benedictiones et distributiones candelarum, cinerum, palmarum, ignis, ovorum et similium, item hebdomadæ sanctæ functiones cæteræ præter missam solemnem feriæ V in cœna Domini; item missæ solemnes per annum, expositio 40 horarum, etc. *Decretum, num.* 5, 6, 7, 10, 11, 12.

3° Processiones solemnes sive confraternitatum, sive regularium, extra ambitum suarum ecclesiarum fieri non possunt absque licentia illorum parochorum per quorum territorium transeundum est, nisi adsit episcopi licentia; *Decret. num.* 22. Regularibus autem concessit Gregorius XIII, constitutione *Cum interdum*, ut absque ullius licentia valeant processiones instituere, etiam extra claustra, per totam octavam Corporis Christi, excepto die quo episcopus vel parochus loci processionem facit. *Bouix, De Parocho, p.* 492.

551. **Parochus in nonnullis dispensat.**

1° Licet dubitetur inter doctores an vi juris communis possit dispensare in jejunio, jure tamen consuetudinis certe id potest, ex justa causa, cum suis subditis particularibus, non vero pro tota parochia. *S. Alph., lib. IV, n.* 1032.

2° Quoad licentiam operibus servilibus vacandi diebus festivis, parochus dispensare potest quando subditus nequit adire episcopum, sed tantum ad tempus et pro aliquo particulari casu. *S. Alph , lib. IV, n.* 288.

3° Ex consuetudine parochus dispensare potest in minutis et frequentibus, in his tamen rebus tantum in quibus ex consuetudine introductum est ipsos dispensare. *S. Alph., loco citato.*

4⁰ In impedimentis matrimonii parochus nequit dispensare; sed in casu urgentis necessitatis, paratis omnibus ad matrimonium contrahendum, si detegatur impedimentum occultum, neque fieri possit recursus ad episcopum, putat S. Alphonsus, lib. VI, n. 613, quod parochus potest declarare legem non amplius obligare et matrimonium celebrare. Prudenter tamen pro majori cautela recurrendum erit ad dispensationem episcopalem.

552. **De jure parochi ad honestam sustentationem.** 1⁰ " Dignus est operarius mercede sua ", *I ad Cor., IX*, 7; " et qui altari deserviunt cum altari participant ", *I ad Cor., IX*, 13: unde parochus jus habet ad honestam sustentationem. Ex hoc principio, Apostoli et viri apostolici petierunt oblationes a fidelibus.

2⁰ Quamdiu fideles sponte ministrorum sustentationi consuluerunt, nulla fuit necessitas legem specialem condendi; sed frigescente populi charitate erga clericos, necessarium fuit speciales leges edere. In prædictis legibus edendis, videntur legislatores adhæsisse legi quæ in Veteri Testamento fuerat instituta in favorem Levitarum, qui decimam partem fructuum perceptorum recipiebant.

3⁰ Ex hoc non sequitur decimas esse de jure divino. Possunt dici juris divini, imo juris naturalis, si considerentur prout tendunt ad necessariam clericorum sustentationem; dicendæ sunt ecclesiasticæ institutionis, si considerentur in sua propria ac specifica determinatione. *Sebastianelli, De Clericis, tit. XI, n.* 267.

553. **De natura et divisione decimarum.** 1⁰ Decimæ definiuntur: " Jus percipiendi decimam partem omnium fructuum honeste collectorum, ratione ministerii ecclesiastici." *Sebastianelli, De Clericis, tit. XI, n.* 268.

2⁰ Plures sunt decimarum divisiones:

a) Decimæ aliæ sunt *sacramentales*, aliæ *profanæ*; prio-

res sunt quas Ecclesia percipit, dum posteriores sunt illæ quas Status civilis olim suis subditis imponebat.

b) Decimæ *ecclesiasticæ* sunt *ordinariæ*, quæ statis temporibus et stabiliter solvuntur; vocantur *extraordinariæ*, quæ extra ordinem et in certis quibusdam casibus imponuntur.

c) Alia decimarum divisio est in *personales, reales et mixtas; personales* sunt illæ quæ solvuntur ex lucro vel hominis industria, v. g. ex negotiatione, piscatione vel venatione; *reales* seu *praediales* dicuntur quæ ex fructibus prædiorum proveniunt; *mixtæ* appellantur, quæ solvuntur ex fructibus qui partim ab hominis industria, partim a natura procedunt.

d) Decimæ *praediales* subdividuntur in *majores* et *minores; majores* solvuntur ex frumento et frugibus majoribus, *minores* vero ex fructibus hortorum, aliisque frugibus minoribus; in *antiquas et novales; antiquæ* dicuntur, quæ solvuntur ex fructibus fundi, qui jam ab antiquo fructus suos dabat, *novales*, quæ percipiuntur ex fundo recenter ad culturam redacto.

554. **Quibus decimæ debentur.** 1° Antequam diœceses in distinctas parochias dividerentur, episcopus omnes decimas colligebat; constitutis parochiis, jus decimandi incepit esse proprium parochorum, ita ut hodie jus commune parocho potiusquam episcopo faveat. Exceptio facienda est quoad diœceses in quibus parochiæ non sunt.

2° In parochiis in quibus jus decimandi parocho reservatur, episcopo debetur, *de jure communi*, quarta pars decimarum. *Cf. tit. VIII, cap. II, n.* 399.

3° Aliis clericis jus decimandi competere nequit nisi *jure speciali*, puta ex privilegio vel transactione. *Sebastianelli, loco citato.*

555. **Quinam debent decimas solvere.**

1° Jus percipiendi decimas provenit ex quasi-contractu

inter ministros et fideles, scilicet quod ministri teneantur sacramenta ministrare aliaque peragere quæ curam spiritualem fidelium respiciunt, fideles obligentur eisdem ministris præbere alimenta necessaria ad ipsorum honestam sustentationem, juxta illud Apostoli ad Corinthios I, c. 9, v. 11: "Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus."

Ex his sequitur quod jure communi tenentur decimas solvere omnes et soli qui a parocho sacramenta percipiunt. Hac obligatione Infideles, Judæi, et in genere qui sacramento baptismi non fuerunt regenerati, non obstringuntur. His æquiparandi sunt hæretici; quamvis summo jure dici non deberent immunes a decimis solvendis, quia nemini fraus debet patrocinari, attamen quia coaluerunt in peculiares societates, infidelibus hac in re æquiparandi sunt.

Quid si parochianus prædia habeat in parochia aliena? Alexander III interrogatus tradit recurrendum esse ad locorum consuetudinem relate ad quæstionem cuinam parocho competat jus decimandi in illis prædiis.

2° Fideles non solventes decimas privandi sunt sepultura ecclesiastica, imo, juxta Conc. Trid., sess. XXV, cap. 12, possunt excommunicari; illæ pœnæ sunt *ferendæ sententiæ*, et consequenter parochus, hac in re, nihil moliatur, inconsulto episcopo.

556. **De decimis in provincia Quebecensi.** Fere ubique cessavit lex decimarum ob hostilem animum guberniorum; in provincia Quebecensi, fideles decimas praediales solvunt, et earum solutio urgeri potest a brachio sæculari. Qualis sit hujus legis origo, evolutio et obligatio, en principia quædam summaria e lectionibus professoris juris administrativi deprompta:

L'année 1663 est une des plus mémorables dans l'histoire de la Nouvelle-France. Avant cette époque, la colonie fran-

çaise au Canada était un pays de missions administrées religieusement par les Récollets, puis par les Jésuites. En 1663, la Compagnie des Cent-Associés fit remise de tous ses droits au roi de France, Louis XIV, qui créa le gouvernement royal dans la Nouvelle-France et établit le Conseil-Souverain à Québec. Ce fut Mgr de Laval qui institua la loi des dîmes dans le but de subvenir aux prêtres du Séminaire de Québec, spécialement chargés de la desserte des différentes missions de la colonie ; Louis XIV, en avril 1663, confirma par des lettres patentes ce que l'évêque venait d'établir : le propriétaire devait donner le 13e minot de tous les produits de sa terre, même des produits naturels. *(Edits et ordonnances, vol. 1, p.* 35).

Le 4 septembre 1667, Talon, Courcelles et Tracy, de concert avec Mgr de Laval, firent un règlement relativement aux dîmes ; il fut décrété qu'à l'avenir la dîme ne serait payée que sur le grain et au 26e minot. La dîme fut payée au 26e minot pour dédommager l'habitant qui, de son côté, s'engageait à vanner le grain, et à le porter au presbytère, contrairement à l'ancienne législation, d'après laquelle le curé était obligé d'aller lui-même chercher sa dîme. Cette ordonnance a été perdue avec beaucoup d'autres documents dans le greffe de l'Intendant Talon, mais elle a certainement été mise en force, car l'édit des dîmes de 1679 en fait une mention expresse, ainsi qu'un arrêt du Conseil-Supérieur, en date du 18 nov. 1705, défendant aux curés de l'Ange-Gardien et de Beauport de percevoir une quantité de dîme plus considérable que celle qui résulte du 26e minot, et de plus leur défendant de réclamer la dîme du foin, des patates, etc.

Au mois de mai ~~1679~~, le roi Louis XIV donna son célèbre " Edit des dîmes et des cures fixes," dans lequel il est declaré que les dîmes appartiendront aux curés nommés à perpétuité, et qu'elles sont fixées au 26e minot et payables conformément au règlement du 4 sept. 1667, cité plus haut. Cet édit de

1679 déclara de plus que dans le cas de division d'une paroisse, la dîme de la portion détachée appartiendrait au nouveau curé. Le 1er fév. 1706, le Conseil Supérieur rendit une ordonnance conformément à ces principes.

Le 27 mars 1713, l'Intendant fit une ordonnance afin que la dîme fut portée au presbytère, conformément au règlement de 1667 ; ce principe est maintenant consacré par l'art. 2219 de notre code civil.

Lors de la capitulation de Montréal, le général Amherst déclara que " l'obligation de payer la dîme aux prêtres dépendr ade la volonté du roi." L'acte impérial, 14 Georges III, ch. 83, 1774, régla que le clergé catholique continuerait de jouir de ses dus et droits accoutumés relativement aux personnes professant la religion catholique seulement.

Aujourd'hui on peut dire que toutes les lois et ordonnances existant avant la cession et qui n'ont pas été abrogées depuis, sont encore en force dans notre pays.

L'art. 1994 du code civil crée un privilège en faveur de la dîme, mais ce privilège ne porte que sur les grains qui sont soumis à la dîme.

Aujourd'hui comme autrefois la dîme est payée au 26e minot, sur tous les grains produits en plein champ par l'industrie de l'homme ; elle ne peut donc pas être exigée sur les légumes. Egalement la dîme ne peut être exigée que sur le grain récolté et non sur le grain qui est dans le fourrage vert. La dîme est un impôt créé par la loi, or les lois d'impôts sont restrictives ; d'où il suit que dans le doute elles doivent être interprétées en faveur de celui qui est appelé à payer.

Pendant longtemps on a prétendu limiter le droit du curé à 500 francs pour toute dîme ; est-ce que cette prétention vaut quelque chose ? On a voulu se fonder sur un règlement en date du 23 août 1667, mais ce règlement ne se trouve nulle part. Cependant le juge Beaudry en fait mention

comme ayant dû exister. En admettant l'existence de ce règlement, il se trouverait abrogé par l'édit de 1679, qui décrète que les dîmes appartiendront *entièrement* à chacun des curés dans l'étendue de sa paroisse. Donc toute la dîme, sans exception, est due au curé, et la chose a été décidée dans ce sens dans la cause de *Roy* vs *Bergeron* ; il a été déclaré par le tribunal que c'était l'édit de 1679 qui devait prévaloir.

Le colon est-il encore exempté de payer la dîme des cinq premières récoltes ? Dans la cause citée plus haut, l'on a répondu négativement, mais en pratique les curés en font l'abandon volontiers.

La loi de la dîme existe non seulement dans les seigneuries, mais aussi dans les cantons. 20 *Victoria, chap.* 45.

La dîme est obligatoire non seulement dans les paroisses, mais encore dans les missions ; *Beaudry, Code des curés*, p. 99.

D'après l'édit de 1679, les dîmes devaient être payées aux curés inamovibles ; dans la cause de *Pacaud* vs *Duhaut* à Arthabaska, la cour de revision a déclaré que le curé avait droit à la dîme, bien qu'il fût amovible.

La dîme ne peut être exigée que des paroissiens catholiques romains. Il a été décidé que toute personne ayant déjà professé la religion catholique ne peut cesser de payer la dîme sous prétexte qu'elle n'est plus catholique, à moins qu'elle ne produise un acte d'apostasie formelle ou prouve qu'elle appartient à une autre église.

Nous posons comme principe que la dîme est une charge des fruits et que celui qui fait la récolte doit la payer ; de ce principe nous donnons les réponses aux cas suivants :

1° Sur la terre C, il y a le propriétaire A et le fermier B, qui fait la récolte et donne la moitié des grains à A. Dans ce cas, A et B payeront chacun la moitié de la dîme.

2° Si B paye en argent son droit de fermage, lui seul

payera la dîme, car lui seul fait la récolte et fait les fruits siens.

3⁰ Dans le cas No 2, si B est protestant, le curé perd toute la dîme de cette terre; en effet, il ne peut pas l'exiger de B, qui est protestant, il ne peut l'exiger non plus du propriétaire, qui ne fait par de récolte.

4⁰ Dans le cas No 1, si B est protestant et A catholique, le curé n'a droit à la dîme que sur la part perçue par A.

5⁰ Dans le cas No 2, si B est catholique et A protestant, le curé peut exiger toute sa dîme de B.

6⁰ Tout propriétaire catholique romain, récoltant des grains dans les limites de la paroisse, doit payer la dîme au curé de cette paroisse, lors même qu'il résiderait ailleurs.

A Pâques de chaque année, la dîme est due sur la récolte de l'année précédente et la prescription ne commence à courir que de cette date. Le droit à cette partie de la dîme se prescrit par un an; *art.* 2219 *du Code Civil.* Comme c'est une courte prescription, les tribunaux sont obligés de la prononcer, lors même qu'elle ne serait pas alléguée par le défendeur. Une terre ne peut prescrire l'obligation de payer la dîme, et quand elle passe d'un protestant à un catholique, celui-ci est soumis à la loi.

Quand un curé dispense un paroissien de payer la dîme, cette convention ne lie pas le successeur, car les conventions sont les lois de ceux qui les font.

L'article 2219 ajoute : " La prescription acquisitive a lieu par 40 ans entre curés voisins." Cette prescription ne peut guère s'appliquer qu'à la perception de la dîme; v. g. A, paroissien de Sainte-Foy, paye dîme au curé de Lorette pendant 40 ans, sans réclamation de la part du curé de Sainte-Foy; au bout de ce temps, le curé de Lorette aura prescrit contre le curé de Sainte-Foy.

La dîme, étant une charge légale, comme les taxes municipales et scolaires, n'est pas purgée par le décret.

Quand la paroisse a été desservie par plusieurs curés pendant l'année, la dîme se paye au *pro rata* du temps de la desserte.

L'action pour dîme est intentée immédiatement devant un tribunal compétent. Les tribunaux ont décidé que l'action pour dîme est une action mixte, c.-à-d. en partie réelle et en partie personnelle ; par conséquent, une telle action ne peut être prise devant la cour des commissaires, vu que cette cour ne prend connaissance que des causes en matière purement personnelle.

557. **De supplemento.** 1° Quando decimæ majores non sufficiunt ad honestam parochorum sustentationem, episcopi decimas imponunt circa fenum et fructus terræ minores, et hæc taxa vocatur *supplementum.* Ad hanc taxam repetendam parochus legem civilem invocare nequit sed jus naturale et divinum, quo fideles sustentationi suorum ministrorum tenentur : " Cum in multorum animos irrepserit error decimas et *alia debita* quæ Ecclesiæ aut iis solvuntur ministris quibus ea attribuit Ecclesia...vi legis solummodo solvi..., declaramus ac statuimus hanc obligationem specialiter derivare ac oriri ex ea lege, aut iis legibus quas condidit, aut condere potest et poterit Ecclesia independenter a civili, et etiam absente civili lege ; et ad cujusvis diœcesis episcopum pertinere legem aut leges circa hanc materiam imponere. Haud dubium esse potest quin fidelis hanc taxam *ex justitia* et *in conscientia* solvere teneatur, ac renuens debitis pœnis juxta casuum diversitatem mulctandus sit ; idem tenendum de templorum aut ecclesiarum ædificatione et reparatione, in quantum respicit fidelium conscientiam." *IV Conc. Queb., dec. XVI ; et I Conc. Marian., tit. XII, dec.* 11.

2° Qui prædia non excolunt quibus inest officium decimas solvendi, taxam personalem ministris solvunt ab episcopo determinandam. Ad eam repetendam parochus nequit invo-

care brachium sæculare, quamvis ad eam solvendam parochiani in conscientia teneantur.

558. **In provincia superiori, clericorum sustentationi providetur juxta decretum IX Conc. Queb. III.**

1° Assumitur elenchus ille municipalis, vulgo, *rôle d'évaluation*, qui determinat quantum quisque solvit in rebus civilibus, et determinatur ab episcopo quantum quisque solvet Ecclesiæ et ministris.

2° Hic modus providendi clericorum sustentationi invaluit in quibusdam parochiis, præsertim diœcesium Sherbrookiensis et Sti Hyacinthi. In pluribus aliis diœcesibus, edita sunt ab episcopis decreta particularia, sive pro tota diœcesi, sive pro determinatis parochiis. His dispositionibus standum est in conscientia, quamvis in lege civili vim non habeant.

559. **De oblationibus.** Oblationes sunt bona mobilia quæ a fidelibus intuitu religionis offeruntur, occasione præsertim alicujus actus ministerii ecclesiastici, ut in usum vel Ecclesiæ vel ipsorum ministrorum cedant.

Oblationes sunt vel *spontaneæ*, vel *debitæ* ex parte fidelium. Oblationes *spontaneæ* dicuntur, quas fideles ultro faciunt, donando ecclesiæ intra missarum solemnia, aut deponendo in arcis nummariis munera sua. Oblationes sunt *debitæ*, quas fideles facere debent occasione sacrosancti sacrificii, quod sibi specialius applicari postulant, vel solemnitatis quam adhiberi volunt in benedictione matrimonii, vel in suorum defunctorum exsequiis, vel etiam ut jus acquirant utendi sedilibus in ecclesia, quando sacris intersunt officiis.

560. **Episcopi officium est approbare atque statuere modum quo fieri debeant oblationes.** Concilium Lateranense IV, cap. *Cum in Ecclesiæ* 9, *De Simonia*, curam ipsi demandavit dignoscendi laudabiles consuetudines a pravis exactionibus; ipsum etiam monuit Conc. Trid., sess. XXII, decreto *De observandis et evitandis in celebratione missæ*, ut omnino prohibeat illiberales eleemosynarum exactiones,

quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt. Unde potestatem habet "imperandi pecuniæ collectiones, decernendique quo tempore et qua de causa conferri oportet." Const. Leonis XIII *Romanos Pontifices.*

561. **Parochus oblationes percipit occasione matrimonii, missæ exsequialis, missæ solemniter cantatæ, quæ constituunt jura stolæ.** Jura stolæ parocho debentur ratione jurisdictionis parochialis: constituunt id quod communiter vocatur *casuale.* Episcopus, saltem in diœcesi Quebecensi, pro singulis parochiis approbat notulam taxarum quoad sepulturam, missam exsequialem, missam cantatam, in qua determinat quid parocho, quid fabricæ ecclesiæ, quid sacristano, quid aliis ministris debeatur.

CAPUT IV

DE OBLIGATIONIBUS PAROCHORUM

Plures sunt parochorum obligationes, quarum potiores sunt sequentes:

562. **Tenentur parochi ad fidei professionem.**

1° Ad fidei professionem emittendam tenentur *jure communi:*

a) Obtinentes dignitates aut canonicatus in ecclesiis cathedralibus, infra bimestre a die cœptæ possessionis, tum in manibus episcopi vel ejus vicarii generalis, tum coram capitulo. Sufficit autem unica fidei professio, si in capitulo præsens sit episcopus vel vicarius generalis.

b) Provisi de beneficiis curam animarum adnexam habentibus, infra idem tempus, ab incœpta possessione, coram episcopo vel, eo impedito, coram ejus vicario. Ad eam tenetur parochus amovibilis. *S. C. Conc.*, 15 *Dec.* 1886.

c) Omnes doctores, magistri et cujuscumque artis vel facultatis professores, qui in publicis universitatibus vel gymnasiis lectionem habent, necnon qui ad gradus academicos promoventur, coram episcopo vel ejus deputato.

2⁰ Ad fidei professionem *jure particulari* tenentur novus vicarius generalis, vicarii foranei, ministri curiæ episcopalis, novi concionatores et vicarii parochiales cum primum nominantur ab episcopo. *I Conc. Marian., tit. II, dec. VII; VI Conc. Queb., dec. V.*

3⁰ Hæc fidei professio emittenda est juxta formulam a Pio IV præscriptam et a Pio IX novis decretis concilii Vaticani locupletatam, prout legitur in *Discipline du diocèse de Québec, pag.* 264.

563. **Qui non emittunt fidei professionem** tempore utili, ac debito modo, si provisi fuerint de beneficio curato, vel canonicatu in ecclesia cathedrali, non faciunt fructus suos, quam pœnam incurrunt, juxta sententiam communiorem, absque ulla sententia declaratoria. Ab hac pœna incurrenda excusari nequeunt ignorantia aut consuetudine in contrarium inducta, nam juris clari ignorantia non admittitur et consuetudo habenda est tanquam juris corruptela.

Fructus amissi ob non factam fidei professionem debent applicari fabricæ ecclesiæ vel alteri loco pio; excipitur casus condonationis, quæ obtineri potest a Sede Apostolica. Ejus praxis est ut remissionem prædictorum fructuum non concedat, nisi injuncta aliqua eleemosyna et imposito onere quamprimum emittendi fidei professionem. *Nouvelle Revue Théologique, vol.* 28, *p.* 154.

564. **Parochi tenentur ad residentiam.**

1⁰ Obligationem residendi supponit cura animarum actualis, quia " cum præcepto divino mandatum sit omnibus quibus cura animarum commissa est oves suas cognoscere, pro his sacrificium offerre, prædicatione verbi Dei pascere...,

hæc omnia nequaquam ab his præstari et impleri possunt qui gregi suo non vigilant, neque adsistunt, sed mercenariorum more deserunt." *Conc. Trid., sess. XXIII, cap.* 1, *De Ref.*

2⁰ Huic legi subjiciuntur omnes curam animarum habentes, sive sint parochi inamovibiles, sive sint ad nutum amovibiles, sive sint tantum *desservants.*

3⁰ Ut quis legem residentiæ impleat, non satis est ut corpore tantum intersit, quia residentia debet esse laboriosa. Potest parochus unum aut plures vicarios habere quibus relinquat onera magis ardua, modo munera pastoralia principaliora ipse præstet, et non recuset adire suos parochianos, quando personaliter advocatur. *Ferraris,* v. *Parochus.*

565. **De requisitis ad absentiam.** Lex residentiæ non ita intelligenda est ut nequeant parochi, justa interveniente causa, a sua parochia abesse. Sed ut parochus licite abesse possit, duo requiruntur, nempe ut adsit *legitima causa,* ut obtineatur *licentia episcopi,* qui parochiæ provideat.

1⁰ Quoad legitimam absentiæ causam, *a)* ut parochus singulis annis per bimestre, sive continuum, sive interruptum, abesse queat, non requiritur causa gravis, sed sufficit causa rationalis, v. g. causa recreationis aut visitandi amicos.

b) Interveniente gravi causa, potest parochus ultra duos menses licite abesse ; constat ex *Trid., sess. XXIII, cap.* 1 : " Discedendi autem licentiam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineat." Causæ graves a Tridentino ad quatuor reducuntur, id est, ad *christianam charitatem, urgentem necessitatem, debitam obedientiam, et evidentem Ecclesiæ aut rei publicæ utilitatem.* A residentia non excusant parvus parochianorum numerus, neque aeris intemperies, neque ætas senilis aut infirmitas, etiamsi parochus vicarium habeat. *Cf. Nouvelle Revue Théologique, vol.* 28, *p.* 252.

c) Ut parochus a residentia in perpetuum eximatur, præter causam gravem, requiritur dispensatio a Sede Apostolica. Sedes Apostolica non solet hoc indultum concedere *in per-*

petuum ; quando prævidet causam absentiæ perduraturam, inducit parochum ad renuntiationem aut permutationem.

2⁰ Præter causam legitimam, necessaria est episcopi licentia, etiamsi parochus ultra duos menses abesse non debeat, quia causa absentiæ ab episcopo est cognoscenda et probanda. Hæc licentia non solum debet esse expressa, sed in scriptis data, nisi agatur de absentia unius vel alterius diei.

Ex II Conc. Queb., decreto XV : " Si intra tempus absentiæ comprehendatur dies dominica, prius petatur episcopi vel ejus vicarii generalis licentia, aut si non permittat urgentia causæ, in ipso saltem discessu moneatur episcopus."

566. **De pœnis.** " Si quis, contra Tridentini decreti dispositionem,abfuerit, statuit Sancta Synodus, præter mortalis peccati reatum quem incurrit, eum pro rata temporis absentiæ, fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos detinere posse, sed teneri illos fabricæ ecclesiarum aut pauperibus loci erogare." *Conc. Trid., sess. XXIII, cap. I; Bargilliat, Præl. Jur. Can., vol. II, n.* 874 *et seq.*

567. **De obligatione missam celebrandi.** Omnes pastores animarum tenentur celebrare missam, singulis diebus dominicis et festis de præcepto. Per accidens tenetur parochus etiam aliis quam prædictis diebus celebrare, v. g. si urgeat consecrandi necessitas ad viaticum ministrandum, item si occasione benedictionis nuptialis vel exsequiarum fideles rationabiliter petant. *Conc. Trid., sess. XXIII, cap.* 14 ; *Marc, Institutiones Morales, vol. II, n.* 1604.

568. **Semel in die sacerdos celebrare poterit, nisi causa necessitatis suadeat.**

1⁰ Juxta caput *Consuluisti, tit. XLI, lib. III*, a quolibet sacerdote, eodem die, una tantum missa celebrari potest, excepto die nativitatis Domini, quo, ex more antiquissimo, sacerdotibus Ecclesiæ occidentalis permittitur tres missas

celebrare, quamvis non teneantur, sicuti fideles non tenentur eodem die tres missas audire.

2° Ex eodem capite Decretalium, si adsit necessitas et non præsto sit alius sacerdos qui valeat necessitatibus fidelium subvenire, parochus, non quidem ex privata auctoritate, sed licentia obtenta a proprio episcopo, potest duas missas celebrare. Hic casus necessitatis reputatur *a)* quando parochus duas parochias habet et in alterutram parochiam nequit populus convenire, nec alius præsto est sacerdos, præter parochum, qui missam die festivo celebrare valet; *b)* quando parochus, etsi minime præsit duabus parochiis, tamen regit duos populos adeo inter se dissitos, ut, nisi bis celebret, magna pars populi non poterit sacro interesse; *c)* quando parochus habet parvam ecclesiam ad quam universus populus convenire non potest.

569. **Ab episcopo verificatur quando adsit ille casus necessitatis.** Si tamen in casu inopinato, quando episcopus consuli nequit, talis necessitas contingat, sacerdos licentiam episcopi præsumere et etiam, non interrogato episcopo, binare licite poterit. *Lehmkuhl, Theol. Moralis, vol. II, n.* 214.

Non sufficit simplex utilitas, v. g. ut major facilitas detur fidelibus, sive sacro adsistendi, sive sacram communionem majori cum devotione accipiendi, *S. Cong. Concilii*, 24 *Mart.* 1888; vel ut fideles possint missam audire diebus festis olim de præcepto, nunc autem suppressis, *S. C. C.*, 19 *Janv.* 1889; vel ut parochus indulgeat votis alicujus magnatis qui habet oratorium privatum in quo cum sua familia consuevit sacrum audire, *S. C. C.*, 22 *Apr.* 1882.

570. **Inter facultates quæ episcopis hujus regionis a S. C. de Prop. Fide conceduntur,** in Formula I, conceditur facultas " celebrandi bis in die... Caveat vero (Episcopus) ne prædicta facultate seu dispensatione celebrandi bis in die aliter quam ex gravissimis causis et raris-

sime utatur, in quo graviter ipsius conscientia oneratur. Quod si hanc eamdem facultatem alteri sacerdoti juxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas ea utendi alicui qui a Sancta Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, serio ipsius conscientiæ injungitur ut paucis tantum, iisque maturioris prudentiæ ac zeli et qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, et ad breve tempus eamdem communicet, aut respective causas approbet." *Putzer, Commentarium in Facultates Apostolicas, n.* 159.

Circa usum hujus facultatis, notandum est minorem necessitatem requiri ea quæ de jure communi exigitur; aliter hæc facultas inutilis evaderet. Moralis necessitas exurgere solet ex numero fidelium qui alias sacro assistere, sine notabili difficultate, non possunt. Ad determinandum numerum, ratio habenda est adjunctorum loci, et sic in casu ubi de detentis in carcere agebatur, in favorem minus quam decem vel quindecim licita declarata fuit binatio, quæ declaratio extendi potest ad hospitalia et conventus sanctimonialium clausuram papalem habentium. *Zitelli, Apparatus Juris, p.* 305.

Ad judicandam gravem difficultatem, attendenda est distantia fidelium ab ecclesia, circumstantia temporis, difficultas viarum. *Conc. Baltimorensis III, tit. III, cap.* 1.

571. **Presbyteri non possunt pro secunda missa stipendium percipere,** nisi die Natalis Domini, quo die sacerdos tres missas celebrans tria percipit stipendia.

1⁰ Quod de jure communi illicitum est, indulto licitum fieri potest. Sedes Apostolica quandoque permisit ut, stante justa et gravi causa, presbyteri pro secunda missa in die celebranda stipendium accipere possent. Plerumque tamen indultum non conceditur ut stipendium privatæ ipsius sacerdotis utilitati cedat, sed ut in favorem alicujus pii operis impendatur, puta in favorem seminarii diœcesani.

2° Si quis vero sacerdos forte teneatur ex instituto alicujus piæ societatis, cui sit adscriptus, missas aliquas sine stipendio celebrare, eædem ab ipso possunt celebrari secundo loco. *Conc. Marian., tit. VI.*

572. **Parochi debent applicare aliquando fructum missæ pro populo sibi commisso.** Illud constat ex Concilio Tridentino, sess. XXIII, cap. 1, ubi dicitur: "Cum præcepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est oves suas cognoscere, pro his sacrificium offerre, etc." Item constat ex bulla *Cum semper* Benedicti XIV et ex litteris encyclicis Pii IX, die 3 Maii 1858 editis.

573. **Quinam tenentur?** Hæc obligatio attingit omnes qui actu curam animarum exercent, ideoque respicit:

1° Parochos, sive sint inamovibiles, sive sint ad nutum episcopi amovibiles;

2° Vicarios qui deputantur a collegio vel communitate ad curam actualem animarum, remanente apud collegium vel communitatem cura habituali;

3° Vicarios temporaneos qui deputantur ad parochiam vacantem donec ecclesia provideatur de novo pastore.

4° Parochus duas habens parochias, qui ob rationabilem causam non potuit die dominica vel festo secundam missam celebrare, tenetur per hebdomadam applicare missam pro populo secundæ parochiæ. *Cf. Discipline du diocèse de Québec, pag.* 168.

5° Hac lege non tenentur *a)* vicarii parochorum, qui curam animarum subsidiariam exercent; *b)* capellani monialium, collegiorum, quia hujusmodi communitates sunt partes parochiæ et participant fructus sacrificii huic applicatos; *c)* missionarii in locis in quibus sedes episcopales et parochiæ canonice erectæ non fuerunt. Ad missionarios quod attinet, *decet ex caritate* ut saltem aliquando pro populis suis missam celebrent. *S. Cong. Concilii*, 18 *Aug.* 1886, apud *Discipline du diocèse de Québec.*

574. **Quibus diebus tenentur.** Urbanus VIII, in sua constitutione *Universa per orbem*, Sept. 1642, confecit catalogum dierum quibus curam animarum habentes tenentur celebrare. " Præter dies dominicos sunt : Festa Natalis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschatis cum duabus feriis sequentibus, Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis, Trinitatis, Corporis Domini, Inventionis Santæ Crucis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis B. M. V., Dedicationis Sancti Michaelis, Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, Sanctorum Petri et Pauli, Sancti Andreæ, Sancti Jacobi, Sancti Joannis, Sancti Thomæ, Sanctorum Philippi et Jacobi, Sancti Bartholomæi, Sancti Mathæi, Sanctorum Simonis et Judæ, Sancti Matthiæ, Sancti Stephani, Sanctorum Innocentium, Sancti Laurentii, Sancti Sylvestri, Sancti Joseph, Sanctæ Annæ, Omnium Sanctorum; et festum unius ex præcipuis patronis in quocumque regno sive provincia, et alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido, vel pago, ubi hos patronos haberi et venerari contigerit." Huic catalogo addita est a Clemente XI festivitas Conceptionis B. M. V.

575. **In provincia Quebecensi,** ex specialibus indultis 7 Martii 1819, 11 Feb. 1826 et 1 Junii 1834, curam animarum habentes non tenentur ad missam *pro populo,* diebus qui non sunt *de præcepto;* iis tamen diebus, *pro populo specialiter* orare tenentur. Indultum illud, quod episcopis minime suffragatur, nec parochis prodest tribus diebus qui erant de præcepto et fuerunt suppressi, anno 1892, scilicet dies Annuntiationis, dies Corporis Christi et dies solemnitatis Apostolorum Petri et Pauli. Cf. *Discipline,* ad verbum *Curé; Conc. Marian., tit. II, pag.* 87, *in nota.*

576. **De natura hujus obligationis.** 1° Hæc obligatio est *personalis, localis, realis et certis diebus affixa.* Excepto legitimo impedimento, tenetur parochus missam *pro populo*

per seipsum celebrare, et non potest alium sacerdotem sibi substituere; *S. Cong. Concilii*, 9 *Apr.* 1892. Causa legitima erit *infirmitas* vel *missa conventualis* quam parochus simul canonicus celebrare tenetur.

2° Parochus, diebus festis, missam celebrare debet in propria ecclesia; attamen si legitime sit absens, satisfacit suæ obligationi, vel si ipse applicat missam *pro populo* in loco ubi est, vel si alteri sacerdoti committit munus celebrandi in sua ecclesia parochiali. *Lehmkuhl, Theol. Mor., vol. II, n.* 196.

3° Parochus legitime impeditus tenetur per alium celebrare *pro populo*, et nulla ratione excusari potest; unde parochus qui ex ignorantia omisit applicare missam *pro populo*, præteritas omissiones supplere tenetur, nisi condonationem a S. Sede obtinuerit.

4° Missa celebranda est ipsis diebus festivis, nec remittenda est in alium diem; si parochus sit valde pauper, ei indulgere potest episcopus ut die festivo de præcepto celebret ad intentionem alicujus fidelis, ad lucrandum pinguius stipendium, modo in ipsa ecclesia parochiali celebret, et intra hebdomadam tot missas *pro populo* applicet, quot diebus festis infra eamdem hebdomadam occurrentibus, juxta peculiarem intentionem pii benefactoris, obtulerit. Constitutio Benedicti XIV, *Cum semper oblatas*.

577. **De officio prædicandi.** Aliud parochorum officium est verbi Dei prædicatio, de qua expresse loquuntur Patres Trid., sess. V, cap. 2: "Quicumque parochiales vel alias curam animarum habentes ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festivis, plebes sibi commissas pascant salutaribus verbis."

1° Ab hac prædicandi obligatione parochi sese eximere nequeunt sub prætextu contrariæ consuetudinis, nec quod exiguus est numerus parochianorum, nec quod sufficienter

providetur per concionatores extraordinarios. Quando parochus non potest per se prædicare, debet per alium, qui prævie approbetur ab Ordinario loci.

2° Parochus qui per (mensem continuum vel) tres menses discontinuos vel per se, vel per alium non prædicaverit, peccat graviter, et cogi potest ab episcopo ut impleat officium suum, vel eligat sacerdotem idoneum, cui tribuenda est honesta merces. *Conc. Trid., loco citato.*

578. **De obligatione ministrandi sacramenta.** Parochus tenetur per seipsum ministrare sacramenta omnibus parochianis indigentibus aut petentibus ex rationabili causa. Hinc peccat pastor qui morosum vel difficilem subditis se reddit. Ideoque recte monuit S. Carolus Borromæus: " Quacumque diei vel noctis hora ad sacramenta infirmis ministranda parochus vocabitur, nullam moram interponat; imo populum præmonebit, ut cum opus est parochiali administratione, libere se accersat, nulla habita neque temporis, neque loci distantis ratione."

1° Tenetur parochus, etiam cum evidenti periculo vitæ, ministrare, per se vel per alios idoneos, sacramenta necessaria, uti baptismum et pœnitentiam; imo et eucharistiam vel extremam unctionem, si quis moribundus, in statu peccati probabiliter constitutus et sensibus privatus, non potuit, nisi sub conditione, absolvi; forte enim postea attritus, per hoc vel illud sacramentum salvabitur, dum absque eo esset damnandus.

2° Valde probabiliter tenetur cum eodem periculo ministrare eucharistiam et extremam unctionem, etiam in casu quo hæc sacramenta non essent extremæ necessitatis; quia moribundi, etsi non sint in absoluta necessitate, non sunt tanto bono privandi. *Marc, Inst. Morales, vol. II, num.* 2171-72.

579. **De obligatione catechizandi.** Parochus habet onus instituendi pueros in rudimentis fidei; *Conc. Trid., sess. XXIV, cap.* 4, *De Ref.*

Ex litteris encyclicis Pii X, die 15 Aprilis 1905 editis, *Acerbo nimis :*

" 1° Parochi universi, ac generatim quotquot animarum curam gerunt, diebus dominicis ac festis per annum, nullo excepto, per integrum horæ spatium, pueros et puellas de iis quæ quisque credere agereque debeat ad salutem adipiscendam, ex catechismi libello erudiant.

2° Iidem, statis anni temporibus, pueros ac puellas ad sacramenta pœnitentiæ et confirmationis rite suscipienda præparent, continenti per dies plures institutione.

3° Item ac peculiari omnino studio feriis omnibus quadragesimæ atque aliis, si opus sit, diebus post festa paschalia adolescentulos et adolescentulas sic instruant ut sancte sancta primum de altari libent.

4° In omnibus et singulis parœciis consociatio canonice instituatur, cui vulgo nomen *Congregatio Doctrinæ Christianæ.* Ea parochi, præsertim ubi sacerdotum numerus sit exiguus, adjutores in catechesi tradenda laicos habebunt qui se debent huic magisterio tum studio gloriæ Dei, tum ad sacras lucrandas indulgentias quas Romani Pontifices largissime tribuerunt.

5° Parochi universi ceterique animarum curam gerentes, præter consuetam homeliam de Evangelio, quæ festis diebus omnibus in parochiali sacro est habenda, ea hora quam opportuniorem duxerint ad populi frequentiam, illa tantum excepta qua pueri erudiuntur, catechesim ad fideles instituant, facili quidem sermone et ad captum accommodato."

580. **Præcepto divino mandatum est omnibus curam animarum habentibus ut oves suas cognoscant.** Ut parochus cognoscat oves suas, debet habere libros distinctos in quibus describuntur nomina baptizatorum, matrimonii sacramento junctorum et defunctorum ; *Rituale Romanum.* Hinc parochus, seclusa quacumque lege civili, debet habere libros in quibus notentur nomina eorum qui bapti-

zantur, contrahunt matrimonium et in cœmeterio sepeliuntur. *Trid., sess. XXIV. cap.* 1 *et* 2, *De Ref.*

581. **In provincia Quebecensi, parochi sunt officiales societatis civilis,** ut in regestis societatis civilis nomina eorum inscribant qui baptizantur, sepeliuntur et matrimonio copulantur. Cum maximi momenti sint regesta Ecclesiæ et Status, " parochi et alii ad quos spectat, libros illos summa cura et adamussim leges tum ecclesiasticas, tum civiles de hac materia latas observent; formulas edictas sequantur, nihil de præceptis omittentes ; acta statim in utroque libro perscribant, et a personis quorum interest subscribi coram se curent post lectionem factam. " *Conc. Queb. VII, dec. XII; Litteræ episcoporum Prov. Queb., Dec.* 1882.

582. **Parochi debent, ex eodem decreto hujus concilii, inscribere nomina eorum qui confirmantur.**

1° Liber confirmatorum contineat, præter nomen episcopi confirmantis, nomina et ætatem confirmatorum, necnon nomina patris et matris, patrini vel matrinæ, cum notis quæ de eorum identitate nullum dubium relinquant, quando quæstio erit de probando affinitatis impedimento. Hujus inscriptionis exemplar a parocho testatum statim post confirmationem transmittatur ad secretarium Ordinarii, in archiviis servandum.

2° Hos autem libros et alios omnes qui ad parochiam spectant, accurate servent parochi, ita ut in tuto sint contra pericula furti, aut incendii, aut corruptionis.

3° Sciant insuper parochi, aiunt patres Conc. Marianopolitani, se rem nobis gratissimam facturos si librum apud se habeant in quo status animarum respectivæ parœciæ accurate referatur qualis a Rituali Romano describitur, eumque in archivio una cum aliis supradictis custodiant.

CAPUT V

DE AMISSIONE POTESTATIS PAROCHIALIS

583. **Jus commune favet inamovibilitati parochorum,** qui ad nutum episcopi revocari aut immutari non possunt nisi propter crimina graviora juridice probata.

1° Conc. Trid., sess. XXIV, cap. 13, præcepit episcopis ut "pro tutiori animarum eis commissarum salute, distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum *perpetuum*, peculiaremque parochum assignent." Concilium renovavit antiquas canonum dispositiones capitis 30, *De præbendis et dignitatibus*, et capitis unici *De capellis monachorum, in 6°. Pierantonelli, Praxis fori ecclesiastici.*

2° Hinc S. C. Concilii, in causa *Portuensi et S. Rufinæ*, 14 Feb. 1846, dicit Ecclesiam non tantum *hortari* sed *præcipere* ut parochi et alii curam animarum habentes sint inamovibiles. Constans praxis Congregationis, prosequitur secretarius, est hortari episcopos, in quorum diœcesibus adsunt parochiæ seu missiones amovibiles, ut instituant parochos inamovibiles. *Smith, Elements of Eccl. Law, vol. I, num.* 643.

3° Hinc S. C. de Prop. Fide institit ut in Statibus Fœderatis erigerentur missiones inamovibiles, et inter decreta III Concilii nationalis Baltimorensis, tit. II, cap. 5, hæc leguntur: "Pro nunc instituantur in singulis diœcesibus rectores missionarii inamovibiles tali numero, ut inter omnes diœceseos rectores missionarios decimus quisque sit inamovibilis... Quæ proportio (unus inter decem) ne inconsulte excedatur intra viginti primos annos post concilium promulgatum... Ad conditiones quod spectat, quæ ex parte eligendorum ad missiones inamovibilitatis privilegio insignitas requiruntur, oportet *a)* ut quis per decem saltem annos in diœcesi sacrum ministerium laudabiliter exercuerit; *b)* ut intra idem temporis spatium sese habilem probaverit ad parochiam administran-

dam et in temporalibus, et in spiritualibus; *c)* ut concursum faciat."

584. **Non omnino adversatur ecclesiasticæ disciplinæ ut cura animarum exerceatur per parochos ad nutum episcopi amovibiles.** In ecclesiis quæ uniuntur capitulis, piis locis, etc., possunt quidem episcopi procurare ut per vicarios *perpetuos* cura animarum exerceatur, verum id eorum relinquitur arbitrio, prout magis expedire videbitur; *Conc. Trid., sess. VII, cap.* 7, *De Ref.* Idem concilium, quod mandat episcopis ut unicuique parochiæ assignent pastorem *perpetuum,* non ita eos coarctat ut non possint "alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit," providere. *Conc. Trid., sess. XXIV, cap.* 13.

Hinc in regionibus in quibus parochi, propter peculiares locorum circumstantias, sunt ad nutum episcopi amovibiles, potest hæc disciplina continuari donec aliter a S. Sede statutum fuerit. S. Sedis, quæ cognoscit conditiones ecclesiarum, est judicare quando expediat ut rectores inamovibiles instituantur. *De Angelis, vol. I, lib. I, tit. XXVIII.*

585. **Illi parochi, qui ad nutum episcopi revocabiles sunt, possunt esse veri parochi,** nam tota ratio officii parochialis in eo stat ut quis exerceat curam animarum (ex obligatione, nomine proprio, et quoad certum alicujus diœcesis populum) qui ex sua parte ab eo sacramenta recipere teneatur. Atqui hæc omnia requisita verificantur, etiamsi parochus sit ad nutum episcopi revocabilis. Hinc quoties a S. C. Concilii quæsitum est num obligationes quæ de jure parochis incumbunt, censeantur adstringere curatos ad nutum amovibiles, responsum est *affirmative,* modo isti curati proprio nomine curam actualem exercendam habeant; *Bargilliat, vol. II, n.* 1012. Hi vero parochi non reputantur *veri beneficiati,* nisi in favorabilibus, quia non habent jus *perpetuum* percipiendi fructus ecclesiasticos. *De Angelis, lib. III, tit. V.*

1. Renuntiatio
2. Translatio administrativa fit ex causis necessitatis vel utilitatis
vel poenalis fit in poena criminis
voluntaria vel necessaria
3. Privatio

586. **Primus modus quo parochus amittit suam jurisdictionem est renuntiatio,** quæ definitur: " Libera cessio alicujus beneficii, facta ex causa et a superiore approbata."

Confer 141.

De renuntiatione sufficienter egimus in tit. II, cap. 1, *De Potestate Jurisdictionis.*

587. **Parochus amittit suam jurisdictionem per translationem,** quæ est: Mutatio alicujus personæ de una ad aliam ecclesiam, facta ex legitima causa et auctoritate superioris probata.

Cf. 142.

1⁰ Translatio est *administrativa* vel *pœnalis;* prior ea est quæ fit ex causis *necessitatis* vel *utilitatis*, et proinde non ex causa *criminis;* posterior est illa quæ fit in pœnam criminis.

2⁰ Translatio est *voluntaria* vel *necessaria*, prout locum habet ex voluntate vel contra voluntatem transferendi; hæc translatio fit ad ecclesiam *majorem* vel *minorem*, prout ecclesia ad quam quis transfertur habet majorem honorem et ampliores redditus, vel e contra inferiorem honorem et redditus magis tenues.

3⁰ Fit ab ecclesia cujus rector est *inamovibilis*, vel ab ecclesia cujus rector est ad nutum *amovibilis*.

588. **De translatione voluntaria.** Ut fiat hæc translatio, requiritur 1⁰ *causa justa et sufficiens*, nam detrimentum paterentur ecclesiæ, præsertim quando annexam habent curam animarum, si eorum ministri absque causa sufficienti transferri possent. Causa legitima reducitur ad necessitatem vel utilitatem: "Si episcopus causam inspexerit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas; ut quæ uni loco sunt minus utiles, alibi se valeant utilius exercere"; ex capite *Quæsitum* 5, *De rerum permutatione, lib. III Decretalium.* " Episcopi, ait *Pirhing*, suos subditos seu clericos ab una ad aliam ecclesiam transferre possunt, si justa et rationabilis causa subsit." Ratio allegata a canonistis est

quia beneficia fuerunt instituta ut *primo* utilitati fidelium inservirent.

Requiritur 2° ut de veritate istius necessitatis vel utilitatis legitime constet.

Regulariter requiritur 3° ut translatio fiat a minori ad majorem ecclesiam vel parochiam. *Santi, lib. I, tit. VII.*

589. **De translatione necessaria parochi inamovibilis.**

1° Utrum parochus inamovibilis, immunis a crimine, possit transferri invitus ad ecclesiam majorem, vel saltem æqualem, propter causam utilitatis vel necessitatis, duplex est sententia. Nonnulli negant, nisi adsit causa canonica et servetur processus canonicus: " Beneficium enim non confertur in invitum, et experientia docet istas promotiones malos exitus habere, quia sicut omnia possibilia sunt *volenti*, ita, ratione contrariorum, dici potest omnia impossibilia esse *nolenti*." *Pierantonelli, Praxis fori ecclesiastici, pag.* 109.

Alii autem affirmant, quia secus inamovibilitas in damnum Ecclesiæ vergeret; *De Brabandière, vol. I, p.* 349 *; et S. C. Concilii,* 19 *Dec.* 1857, *in causa Limburgensi, apud Icard, vol. III, pag.* 113.

2° Num parochus inamovibilis possit transferri invitus ad ecclesiam minorem? Translatio ad inferiorem parochiam, juxta omnium æstimationem, redundat in dedecus et infamiam translati. Hæc translatio æquivalet privationi et habet naturam pœnæ vindicativæ; unde nequit fieri nisi ob pœnam delicti et post processum judicialem; ex capite *Cum ex illo, De translatione.*

590. **De translatione parochorum qui dicuntur ad nutum amovibiles.** Non loquimur de illis translationibus ad ecclesiam majorem, quæ habent naturam promotionis, neque de voluntariis, quæ, verificata utilitatis vel necessitatis ratione, licitæ erunt. Prælati, cui magis innotescit quid

requirat bonum alicujus ecclesiæ, est judicare de sufficientia rationis, salvo semper recursu ad Sanctam Sedem.

Loquimur de translatione ad officium minus, quæ habet *naturam pœnæ vindicativæ.*

Quæsitum fuit a Sacra Cong. de Prop. Fide, 28 Martii 1887: " An necessarius sit processus canonicus ad validitatem actus quo episcopus removet vel transfert missionarium amovibilem de officio ad officium inferioris dignitatis."

Resp. " In casibus remotionis peragendæ in pœnam criminis vel reatus disciplinaris, *affirmative;* in reliquis, *negative,* sed opus est ut fiant graves ob causas et habita meritorum ratione. Si in casu translationis fiat recursus ad Sacram Congregationem, Sacra Congregatio remittet recursum ad metropolitam, vel, si agatur de metropolita, ad metropolitam viciniorem." *Collectanea S. C. de Prop. Fide, pag.* 870, *n.* 2153.

591. **Unde ad hujusmodi translationem:**

1° Non requiritur *processus canonicus;* attamen necessaria est *cognitio causæ summaria,* nam in casu recursus ad Sanctam Sedem, non defertur assertioni Ordinarii translationem præcipientis, nisi probet causas sufficientes existere.

2° Oportet ut hujusmodi translatio fiat *graves ob causas.* Eadem S. C. de Prop. Fide respondens ad plura dubia circa instructionem 20 Julii 1878 pro Statibus Fœderatis, hæc habet de rectoribus amovibilibus: " Episcopi vero curent ne sacerdotes sine gravi et rationabili causa de una ad aliam missionem invitos transferant." Idem semper tenuit Sacra Cong. Concilii. *Smith, Elements of Ecclesiastical Law, vol. I, num.* 395; *De Angelis, lib. I, tit. XXVIII.*

Potestas transferendi *ad nutum* non est potestas arbitraria, nam *nutus* ille debet esse secundum leges rationis et justitiæ. *De Angelis, loco citato, et Acta S. Sedis, vol. III, p.* 512.

3° Oportet ut translatio fiat, *habita meritorum ratione.* Jamvero, juxta omnium æstimationem, translatio ad melio-

rem parochiam vel missionem habetur uti præmium meritorum et cedit in decorem clerici; e contra translatio ad parochiam vel missionem minorem, quia secumfert reddituum imminutionem, cedit in clerici infamiam et habet naturam pœnæ vindicativæ. Quapropter quando rectores, licet amovibiles, transferuntur propter causas necessitatis vel utilitatis, quæ culpam, crimen seu gravem negligentiam non constituunt, ad majorem vel saltem æqualem parochiam *ordinarie* sunt transferendi. Quare prædicti rectores ad inferiores parochias vel missiones *regulariter* transferri nequeunt nisi ob culpam, gravem negligentiam, culpabilem imperitiam et inhabilitatem. Ratio est, quia honori transferendorum consulendum est, et cavendum est ne occasione translationis infametur clericus qui criminis reus non est. *Smith, Compendium, num.* 400; *Sebastianelli, De Clericis, n.* 290.

4⁰ Parocho qui translatione gravatum se reputat non datur appellatio ad Sanctam Sedem, sed *recursus* ad Sacram Cong. de Prop. Fide, quæ solet remittere recursum ad metropolitanum provinciæ, vel ad viciniorem, secundum quod recurritur a sententia alicujus suffraganei vel metropolitani.

Hic recursus nunc fieri solet ad Excellentissimum Delegatum Apostolicum, qui vicem Sanctæ Sedis gerit apud Catholicos hujus Dominii.

592. **Parochus amittit suam jurisdictionem privatione officii,** quæ definitur: Pœna ecclesiastica qua quis removetur absolute ab officio vel dignitate prius obtenta.

1⁰ Dicitur *pœna ecclesiastica*, nam adimere officium sacrum, honorem et honestam sustentationem producit magnam tristitiam, et in æstimatione communi reputatur pœna, et quidem gravissima.

2⁰ Dicitur *absolute*, et sic differt a translatione, siquidem per translationem etiam coactam, privatur quis suo officio, sed ut novum obtineat; dum per privationem quis amittit suum officium, quin ad aliud promoveatur.

3⁰ Dicitur *ab officio prius obtento*, nam per privationem simplicem, clericus amittit quidem officium quod possidet, quin inhabilis declaretur ad alia officia ecclesiastica in futurum obtinenda. Hinc privatio simplex differt a *canonica depositione* qua clericus privatur suo beneficio et inhabilis declaratur ad beneficia in futurum obtinenda ; differt a *degradatione*, qua clericus amittit etiam sua privilegia clericalia.

593. **De privatione parochi inamovibilis.** Ut parochus inamovibilis privetur suo beneficio, requiritur crimen grave quod in jure meretur hanc pœnam, et oportet ut crimen probetur in aliquo processu canonico.

1⁰ Aliquando parochus incurrit privationem *ipso jure* et ante quamcumque sententiam. Crimina quæ merentur tantam pœnam in jure exprimuntur, v. g. simonia realis, falsificatio litterarum apostolicarum, sodomia, homicidium qualificatum, hæresis externa et manifesta, etc. *Cf. vol. II, num.* 1237 *et seq.*

a) Privatio inducitur a jure, tamen non excluditur necessitas *sententiæ declaratoriæ*. Clericus citandus est ut respondeat an quid habeat contra id quod ipsi objicitur. Sententia judicis declaratoria retrotrahitur ad tempus commissi criminis.

b) Canonistæ disputant an clericus qui conscius est delicti cui jure adnectitur pœna privationis, teneatur beneficium dimittere ante sententiam judicis declaratoriam. Certo videtur ad illud teneri quando crimen patratum est ante obtentum beneficium ; vel quando lex edixit ut clericus suum officium dimittat, *alia etiam declaratione non secuta ; Cf. Icard, Præl. Jur. Can. Sti Sulpicii, vol. III, n* 833.

2⁰ Aliquando privatio inducitur per sententiam judicis condemnatoriam. Plura sunt crimina ob quæ privationis pœna imponitur, v. g. adulterium et aliud delictum grave et scandalosum contra castitatem, commoratio cum persona suspecta, violatio legis residentiæ, depositio habitus clericalis, etc. *Cf. vol. II, loco citato.*

Requiritur et processus canonicus, ut crimen *juridice* probetur, et sententia judicis condemnatoria: Hæc sententia non retrotrahitur ad tempus patrati criminis, sed habet effectum a momento quo profertur. Reo condemnato datur libertas appellandi ad aliud tribunal; unde, lite pendente, nihil innovandum est in præjudicium appellantis. Appellatio habet effectum devolutivum et suspensivum. Potest nihilominus superior, clerico a suis functionibus interdicto, providere officii exsecutioni, quantum postulat necessitas spiritualis fidelium, demandando curam ejusdem officii alteri clerico, usquedum causa terminata fuerit. *Icard, vol. III, n.* 835.

594. **De remotione parochi amovibilis.** Parochus ad nutum amovibilis nequit privari suo officio nisi ob causam gravem. Si translatio fieri debeat *graves ob causas, a fortiori* remotio definitiva, qua clericus privatur quocumque officio, jurisdictione, honore et honesta sustentatione. Non requiritur ut causa sit *canonica*, sufficit ratio proportionate gravis.

Delictum quo reus est parochus et cujus causa removendus est, debet probari in aliquo processu sive solemni, sive saltem summario, ad tramites Constitutionis *Sacra hæc*, 11 Junii 1880.

Hoc eruitur ex decreto S. Congregationis de Prop. Fide jam relato: "In casibus remotionis peragendæ in pœnam criminis vel reatus disciplinaris, necessariam esse institutionem processus." Hoc decretum concordat cum responsione ejusdem S. Congregationis ad Em. Card. Gibbons, 20 Maii 1887: "In casibus remotionis peragendæ seu privationis totalis ab officio rectoris, (ubi de amovibilibus sermo sit) in pœnam criminis vel reatus disciplinaris, canonicus processus juxta præfatæ instructionis *Cum magnopere* et concilii III plenarii decreta confici debet." *Smith, Compendium Juris Ecclesiastici, n.* 443; *Pierantonelli, Praxis, tit. IV, p.* 109.

TITULUS XII

DE VICARIIS ET COADJUTORIBUS PAROCHORUM

595. **Plures sunt vicariorum species :** prima species est illorum qui adjuvant parochum in sua parochia residentem ; secunda species est eorum qui, absente parocho, vel parochia vacante, ad regendam ecclesiam parochialem deputantur ; tertia species est eorum qui deputantur ab aliqua persona morali ut habeant curam actualem animarum, remanente in persona morali cura habituali.

DE PRIMA VICARIORUM SPECIE

596. **Eorum nominatio, jure scripto, pertinet ad parochum.** Revera ex Conc. Trid., sess. XXI, cap. 4, De Ref., quando in parochia populus ita numerosus est ut unus rector non possit sufficere sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo, episcopi possunt *cogere* rectores ut sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungant quot sufficiant ad sacramenta ministranda et cultum divinum celebrandum. Constat etiam ex constitutione *Apostolici muneris* Innocentii XIII, 13 Maii 1723, et ex variis responsionibus S. C. Concilii.

Ad episcopum vero pertinet vicarium a parocho electum approbare, ut constat ex citata constitutione Innocentii XIII. Verum episcopus nequit confirmationem denegare, quando persona electa est idonea ; ratio est, quia per nominationem ex parte parochi, vicarius jam acquirit *jus ad rem*, quo jure non est privandus nisi propter rationes.

Episcopus potest subjicere vicarium ad examen ut de ejus idoneitate melius constet.

597. **Jure autem non scripto, vicarii parochorum ab episcopo nominantur** et ad ejus nutum transferuntur

aut removentur. Sacra Congregatio interrogata an servandus sit usus in Galliarum diœcesibus obtinens, quo vicariorum nominatio exclusive pertinet ad episcopum, respondit, die 14 Aug. 1863 : "Attentis peculiaribus circumstantiis, servandum esse usum in cœteris diœcesibus obtinentem, usquedum aliter fuerit a S. Sede declaratum."

598. **De potestate.** 1° Vicariorum parochialium potestas est delegata et determinatur ex litteris missionis. Aliquando deputantur *ad universalitatem causarum*, nempe ad omnes functiones parochiales et ad omnia sacramenta administranda.

2° An vicarii in hac regione sint delegati *ad universalitatem*, consulantur decreta diœcesana, cum deficiat edictum generale. Concilium Quebecense VII, decreto XI, jurisdictionem vicariorum in ordine ad sacramentum pœnitentiæ delineavit, quod fecit Conc. Marianopolitanum, tit. VI, d. IX. In diœcesi Quebecensi, vicarii parochiales nominantur ad universalitatem. *Declaratio Archiepiscopi*, 18 *Oct.* 1905.

3° Vicarii, quando sunt delegati *ad universalitatem*, possunt subdelegare ad unam causam, v. g. ad adsistendum matrimonio in aliquo casu ; non debent invitare sacerdotes ad audiendas confessiones, nisi quos episcopus loci approbavit.

599. **Vicarii, cum proprio nomine curam animarum non habeant,** " tanquam parochum adjuvantes vel repræsentantes, debent cum reverentia et subjectione erga eum sese habere ; nihil, ipso invito, muneris obire, nisi, ob graves causas, aliter ab episcopo statutum fuerit. Curent, quantum fieri potest, ut uniformem cum parocho agendi rationem teneant ; nimia enim inter utrumque, quoad sacri ministerii praxim, discrepantia in destructionem potius vergeret quam in ædificationem. Summopere caveant ne verbis aut factis parochum in mente fidelium imminuant, sed in omnibus modeste, sicut decet, sese gerentes, cum diligenti cura, fideli populo salutis adjumenta præbeant." *II Conc. Queb. d. XV; Conc. Marian., tit. II, d. IV.*

600. **De congrua sustentatione.** 1⁰ Congrua portio vicariis parochialibus assignanda determinatur ab episcopo, " inspectis conditionibus loci, numero animarum, qualitate laboris et quantitate expensarum quas commissi officii necessitas postulaverit. " Const. *Apostolici muneris* Innocentii XIII.

Hæc congrua portio desumi potest ex redditibus ecclesiæ parochialis; si redditus non sufficiant, parochiani ab episcopo cogi possunt ad ministranda necessaria ad dictorum sacerdotum sustentationem; *Trid.*, *sess. XXI*, *cap.* 4, *De Ref.* Pluribus in locis, vicarii sustentantur ex redditibus qui parocho, non fabricæ cedunt.

2⁰ In diœcesi Quebecensi, vicarii parochiarum ruralium percipiunt summam $100.00, præter missarum stipendia et commoditatem habitationis in domo parochiali.

3⁰ Oblationes quæ fiunt occasione alicujus functionis parochialis et administrationis sacramentorum ad parochum spectant, licet illæ functiones a vicario peragantur, quia constituunt *jura stolæ*. Hinc oblationes quæ solvuntur occasione missæ exsequialis ad parochum pertinent, dempta eleemosyna ordinaria in favorem vicarii, qui missam cantavit.

4⁰ An stipendium missarum manualium quæ cantantur a vicario, ad parochum integre pertineat, dempta eleemosyna ordinaria in favorem celebrantis, ad rem referri videtur responsio S. Cong. Concilii ad episcopum Bredanensem in Hollandia, die 11 Maii 1904:

" In diœcesi vicarii (adjutores parochorum) in domo parochi tanquam ejus familiares degunt communi utentes victu. Parochis pro vicarii victu et servitio salarium modicum ex Ecclesiæ redditibus solvitur, quod ferendis his expensis impar est. Unde consuetudine introductum est ut pro victu et servitio vicarii, parochis in cumulo cedant fructus missarum pinguiorum et vicariis tribuatur stipendium ordinarium missæ lectæ, unius floreni. In hoc casu, stipendii ordinarii

augmentum solvitur parocho pro victu et servitio, ita tamen ut ex stipendiis pinguioribus non plus retineatur quam honesta compensatio postulat."

Responsum fuit : " Attentis omnibus, consuetudinem sustineri."

DE SECUNDA SPECIE VICARIORUM

601. **Eorum nominatio, de jure scripto, pertinet ad parochum,** sed nominatus approbandus est ab episcopo. *Conc. Trid., sess. XXIII, cap.* 1, *De Ref.*

In parochia vacante, nominatio vicarii pertinet ad episcopum, qui debet statim, " habita notitia vacationis ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium, cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis adsignatione, constituere, qui onera ipsius ecclesiæ sustineat, donec ei de rectore provideatur." *Trid., sess. XXIV, cap.* 18, *De Ref.*

In hac regione, hi vicarii, qui vocantur *Desservants,* nominantur ab episcopo, qui eis assignat congruam mercedem. In hac diœcesi Quebecensi, stipendium horum vicariorum est $200.00.

Jurisdictio horum vicariorum est delegata et mensuratur litteris missionis.

Vacante parochia, vicarius qui deputatur ad parochiæ administrationem, tenetur ad missam *pro populo,* ad prædicationem, et in genere ad officia curam animarum habentium.

DE TERTIA VICARIORUM SPECIE

602. **Hi vicarii sunt illi ad quos exclusive pertinet cura actualis animarum,** remanente *in habitu* eadem cura apud collegium, quod nequit per se regimen parochiale exercere. Isti vicarii vocantur *vicarii curati* seu *curati ex officio,* quorum alii sunt temporanei, alii perpetui.

1° Eorum nominatio pertinet ad ipsum collegium, sed nomi-

natus approbandus est ab episcopo, prævio examine. Const. *Ad exsequendum* S. Pii V.

In parochiis quæ uniuntur capitulis, nominatio vicarii curati, jure scripto, ad capitulum pertinet, sed pluribus in locis, ex consuetudine, fit ab episcopo. *Bargilliat, Prœl. Jur. Can., n.* 1033.

2º Vicarii curati, post institutionem canonicam a legitima auctoritate factam, consequuntur actualem curam animarum existentium intra fines parochialis ecclesiæ, sive considerentur jura, sive officia quæ parochis titularibus de jure communi competunt. Hinc tenentur ad residentiam, ad missam *pro populo*, ad sacramentorum administrationem et in genere ad officia eorum qui curam animarum habent.

Collegio, seu parocho habituali, competere possunt jura honorifica, v. g. quod superior communitatis possit diebus anni solemnioribus divina officia peragere, primum locum in choro habere; sed cura animarum ita parocho actuali devolvitur ut, eo invito, parochus habitualis nequeat confessiones audire et sacramenta administrare. *Sebastianelli, De Clericis, n.* 287.

3º Vicarius curatus jus habet ad congruam sustentationem, determinandam arbitrio Ordinarii, attentis numero parochianorum, copia pauperum, aliisque circumstantiis temporum et locorum. *Sebastianelli, loco citato.*

DE COADJUTORIBUS PAROCHORUM

603. **Coadjutor parochi est presbyter auctoritate superioris constitutus qui adjuvat parochum in regimine parochiæ.** Per se differt a vicario, quatenus vicarius parochialis, jure scripto, nominatur a parocho, dum e contra coadjutor nominatur a superiore. Unde in locis in quibus vicarii parochorum nominantur ab episcopo, nullum datur discrimen inter coadjutores et vicarios.

604. **Causæ propter quas licet parocho coadjutorem deputare** sunt præsertim *perennis corporis aut animi infirmitas*, qua parochus inhabilis fit ad regendam suam ecclesiam, *defectus scientiæ* ad recte obeundum officium. Ecclesia, benigna mater, non vult ut propter infirmam valetudinem, parochus teneatur suam parochiam dimittere, ne afflicto sit addenda afflictio. Ex titulo *De clerico ægrotante vel debilitato*.

605. **Coadjutor potest esse temporaneus vel perpetuus cum jure succedendi.** Ad coadjutores cum futura successione quod attinet, eorum nominatio reservatur S. Pontifici, quia talis institutio est contraria menti canonum et præsertim decreto Trid., sess. XXV, cap. 7: " In coadjutoriis cum futura successione idem posthac observetur, ut nemini in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis permittantur."

Jura et officia coadjutoris determinantur ex causis ob quas datus est et ex litteris deputationis.

Quando parochus omnino inhabilis fit, ad coadjutorem pertinet parochiam regere perinde ac si ipse parochus esset. *Bargilliat, vol. II, num.* 1040.

TITULUS XIII

DE CONFESSARIIS MONIALIUM

606. **Sanctimonialibus, præter ordinarium confessorem, alius extraordinarius** ab episcopo aut aliis superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat. *Conc. Trid., sess. XXV, cap.* 10, *De Regul.*

Ratio hujus præscriptionis fuit quia satis constabat nonnullas aliquando moniales esse quæ nulla ratione adduci possint ut aliquod peccatum suum ordinario confessario confiteantur; adeo ut omnino necesse sit alterius confessarii copiam ipsis suppetere ut apud hunc de peccatis suis integre, rite atque utiliter confiteri possint. Bulla *Pastoralis curæ* Benedicti XIV, 5 Aug. 1748.

607. **Non omnibus et singulis monialibus præcipitur ut peccata sua extraordinario sacerdoti confiteantur.** Nihil aliud requiritur ab omnibus in monasterio degentibus, tam scilicet a superiorissa, ceterisque monialibus professis atque novitiis, quam a sæcularibus quæ vel educationis causa vel alio titulo in eodem monasterio cum debitis facultatibus commorantur, nisi ut extraordinario confessario singulæ se sistant sive ad sacramentalem confessionem apud ipsum, si placuerit, peragendam, sive ad salutaria monita, etiam extra sacramentalem confessionem, ab ipso accipienda. Bulla *Pastoralis curæ.*

Prudenter cautum est ut omnes moniales coram confessario extraordinario se sistant ad vitandas suspiciones ex parte monialium quæ eo non indigerent.

608. **Confessarius extraordinarius non est denegandus moniali frequentius petenti.**

1⁰ Ecclesia, ad magis tutandam libertatem monialium in confessione explenda, omnimodam a superiorissis monasteriorum ademit facultatem denegandi propriis subditis confessarium extraordinarium. In decreto *Quemadmodum*, 17 Dec. 1890, num. 4, statuitur quod " Sanctitas sua superiorissas admonet ne extraordinarium denegent subditis confessarium quoties, ut propriæ conscientiæ consulant, ad id subditi adiguntur, quin eædem superiorissæ ullo modo petitionis rationem inquirant, aut ægre id ferre demonstrent." Præterea ex declaratione 17 Augusti 1891, ad 2, decernitur quod superiorissa " tenetur subditi precibus (petentis confessarium extraordinarium) semper indulgere, quamvis plane videat necessitatem esse fictam et vel scrupulis, vel alio mentis defectu ut veram ab ipso petente apprehensam." Ex nova declaratione 5 Augusti 1904, decernitur superiorissam non posse confessarium extraordinarium denegare ex motivis extrinsecis, puta quia confessarius a sorore electus parum favet monasterio ; " sed si adsint rationes vere graves, superiorissa eas subjiciat Ordinario, cujus judicio standum erit."

2⁰ Abusibus autem, qui forte timeri possunt ex parte petentium confessarium extraordinarium, jam præsto sunt remedia opportuna. Nam decreto 17 Aug. 1901, Sacra Congregatio Episc. et Reg. vult ut " subditi moneantur non posse extraordinarios confessarios petere, nisi ad id adigantur ut propriæ conscientiæ consulant." Insuper decreto 1 Feb. 1892, ad 2, eadem S. C. decrevit confessarios extraordinarios in conscientia teneri ad non audiendas confessiones sororum, quæ rationabile motivum non habent ut ad eos recurrant. Demum in eodem decreto, ad 4, quum nonnullæ moniales aut earum major pars persæpe peterent aliquem ex confessoribus extraordinariis, tunc S. C. decrevit ut " moneat Ordinarius moniales et sorores de quibus agitur dispositionem articuli 4 decreti *Quemadmodum* exceptionem tantum legi communi constituere pro casibus tantum veræ et absolutæ necessitatis,

quoties ad id adigantur, firmo remanente quod a S. Concilio Tridentino et constitutione Benedicti XIV incipiente *Pastoralis curæ* præceptum habetur." Apud *Acta Sanctæ Sedis*, 15 *sept.* 1904.

609. **Quo tempore confessor extraordinarius alicui communitati deputatus ministerio suo fungitur,** suspenditur jurisdictio confessarii ordinarii, ita ut ei non liceat confessionem cujuscumque personæ intra septa monasterii aut piæ domus commorantis audire.

Item confessarius extraordinarius, officio suo functus, ad idem monasterium ulterius accedere, aut cujuscumque generis commercium intra ipsum continuare et fovere, etiam sub spiritualis causæ aut necessitatis obtentu et colore, non audeat et præsumat. *Ben. XIV, loco citato.*

610. **Specialis approbatio requiritur ad audiendas monialium confessiones.**

1º Approbatio et deputatio confessarii sive ordinarii, sive extraordinarii pendet ab episcopo si moniales non sint exemptæ, vel, si sint exemptæ, sed immediate S. Pontifici subjectæ.

2º Quando moniales prælatis regularibus sunt subjectæ, earum confessarii approbatio pertinet ad episcopum loci, deputatio vero ad prælatum regularem.

3º Si episcopus negligens fuerit in deputando monialibus confessarium extraordinarium, ejus negligentia supplenda est a Majori Pœnitentiario; si negligens fuerit prælatus regularis ad quem pertinet confessarii extraordinarii deputatio, res devolvitur episcopo. *Conc. Trid., sess. XXV, cap.* 10, *De Reg.*; *Bened. XIV, Pastoralis curæ.*

4º Confessarii monialium constitui nequeunt nisi ad triennium, quo elapso, ut confessiones licite audire pergant in eodem monasterio, indigent licentia Sacræ Congnis Episc. et Reg. Sacra Congregatio indulget quandoque ut confessarius aliis trienniis confessiones in monasterio audiat, modo " si agatur de secundo triennio, consensus duarum saltem ex tri-

bus partibus sororum *capitulariter* ac per *secreta suffragia* præstandus accedat; si vero de ulterioribus trienniis, *omnium piæ domus Sororum* consensus ut supra præstandus accedat." *S. Cong. Episc. et Reg.*, 22 *Apr.* 1872.

611. **Hæ dotes sint in confessario monialium,** scilicet ætatis maturitas, morum gravitas et prudentiæ lumen. *Bened. XIV, loco citato.*

1⁰ Vicarii generales munus confessarii monialium obire nequeunt, quia periculosum est quod eadem persona ministerium fori interni et auctoritatem externi regiminis cumulet. *Ferraris*, ad verbum *Confessarius, art.* 4, *n.* 24 ; *S. Cong. Episc. et Reg.*, 28 *Feb.* 1845.

2⁰ Parochi illud munus suscipere non possunt nisi cura parochiæ nullum detrimentum exinde patiatur. *Ferraris, loco citato.*

3⁰ Pro monialibus episcopo immediate subjectis, regula est ut ordinarius earum confessor sit sacerdos sæcularis, extraordinarius assumatur ex ordinibus regularibus. Bulla *Pastoralis curæ.*

612. **Prædictæ dispositiones vigent in congregationibus sororum.** Olim latæ in favorem monialium quæ vota solemnia emittunt et sub clausura vivunt, recensitæ dispositiones, ex declarationibus S. Cong. Episc. et Reg., vim habent in institutis votorum simplicium.

Jam Benedictus XIV, in citata bulla *Pastoralis*, hortabatur ut disciplina de confessario extraordinario observaretur "tam cum aliis monialibus quæ, licet *clausuræ legibus minime adstrictæ* sint, in communitate tamen vivunt, quam cum aliarum quarumcumque mulierum aut puellarum cœtibus seu conservatoriis, quoties tam illæ quam istæ *unicum pœnitentiæ ministrum* a superioribus designatum habeant."

Hinc 1⁰ omnibus sororibus quæ vota simplicia emittunt episcopus designabit confessarios tum ordinarios, tum extraordinarios ad normam constitutionis *Pastoralis curæ* et

decreti *Quemadmodum.* Constitutio *Conditæ a Christo Ecclesiæ*, 8 *dec.* 1900.

2° Confessarius ab episcopo deputatus per unum tantum triennium in suo munere maneat. Continuatio ejusdem confessarii ultra triennium, absque dispensatione S. Sedis, ad quam exclusive pertinet eamdem concedere, secum non fert nullitatem absolutionum sed illicitum exercitium istius sacri ministerii. *S. Cong. Episc. et Reg.*, 20 *Jul.* 1875; *Normæ ejusdem Congregationis, art.* 142.

613. **" Quoties sorores in aliqua publica ecclesia confessionem suam peragunt,** apud quemcumque sacerdotem ab episcopo approbatum confiteri poterunt" : est articulus 149 Normarum quas S. Congregatio Episc. et Reg. edidit 28 Junii 1901 et juxta quas procedere solet in approbandis novis institutis votorum simplicium.

Legislatio circa confessarios respicit communitates quæ habent sacella ubi sorores confiteantur. Quoad sorores extra clausuram degentes quæ non habent sacellum, sed ecclesiam parochialem frequentant, ibidem sacramenta pœnitentiæ et eucharistiæ recipiunt, S. Congregatio, die 22 Ap. 1872, declaravit " sorores de quibus agitur posse peragere extra piam propriam domum sacramentalem confessionem penes quemcumque confessarium ab Ordinario approbatum."

614. **In hac regione praxis est** ut episcopi pro hujusmodi communitatibus confessarios specialiter approbent, et, statis temporibus, extraordinarios eisdem concedant. *Discipline du diocèse de Québec*, ad verbum *Confesseur.*

1° Stante autem hac praxi, erraret presbyter qui, *simpliciter* approbatus pro confessionibus, non autem *specialiter* pro monialibus, contenderet ejusmodi communitatum confessiones licite et valide a se excipi posse, ea ratione quod vota solemnia non habeant, nec proinde sint veræ moniales.

2° Ad mentem decreti *Quemadmodum* et recentiorum declarationum, sororibus harum communitatum non est dene-

gandus confessarius extraordinarius quoties, ut consulant propriæ conscientiæ, ad id adiguntur.

3⁰ Munus confessarii ordinarii valet ad triennium, quo elapso, non potest licite confessiones in domo religiosa audire sine licentia S. Congregationis et consensu sororum præstito ad mentem decreti S. Cong. Episc. et Reg., 22 Apr. 1872, citati.

4⁰ Sorores quæ non habent sacellum sed ecclesiam parochialem frequentant, aut extra domum suam reperiuntur, penes quemcumque confessarium ab Ordinario modo generali approbatum sacramentalem confessionem instituere valent.

SECUNDA PARS

DE REGULARIBUS

Regulares dicuntur qui modum vitæ communis ab Ecclesia probatum, emissis votis, profitentur. Mediam viam tenent inter clericos et laïcos; in quantum vivunt sub aliqua regula approbata, gaudent privilegiis clericalibus, et sic clericis accedunt; in quantum ordinibus clericalibus non sunt initiati, laicis assimilantur.

De regularibus agendum erit in sequentibus titulis.

TITULUS I

DE NATURA STATUS RELIGIOSI

615. **In genere, status est quidam vivendi modus** in quo aliquis persistit ad tempus, vel in perpetuum: sic dicitur status innocentiæ, status gratiæ, status peccati, status ecclesiasticus, status laicus. Strictiori sensu, *status* est immobilis vitæ conditio a qua quis per se dimoveri nequit: sic habetur status clericalis, status religiosus, status conjugalis.

616. **Status religiosus in sensu lato vel stricto sumitur.**

1° Status religiosus, *sensu lato*, est status fidelium ad perfectionem tendentium. Sub hac definitione comprehenduntur multa instituta religiosa in quibus nulla vota emittuntur.

2° Status religiosus, *sensu stricto*, definitur: " Modus

vivendi stabilis quo ad perfectionem divinæ charitatis tenditur per tria vota perpetua paupertatis, castitatis et obedientiæ, sub regula vitæ communis, ab Ecclesia approbata." *Stus Alph., lib. V, n.* 1.

Dicitur *a) modus vivendi stabilis*, alioquin non esset status proprie dictus.

Quæritur an ad stabilitatem status requiratur votum. Respondemus affirmative, nam præter votum, nulla alia causa excogitari potest hanc permanentiam ac firmitatem inducens nisi voluntas humana præcipiens hanc stabilitatem, aut actus voluntarius hominis qui eam hominibus promitteret. Atqui neutrum dici potest; nam quod est de consilio præcipi nequit, et promissio hominibus facta cessat, quando persona cui facta est consentit in ejus cessationem. *Sebastianelli, De Regularibus, num.* 301.

Oportet ut vota fiant Deo in manibus alicujus superioris, qui nomine Ecclesiæ hæc vota acceptet; quia donatio non est perfecta nisi acceptetur a donatario. Hinc vota quæ fiunt soli Deo et a nemine acceptantur non inducunt naturam status religiosi. *Suarez, De Religione, lib. II, cap.* 4.

Dicitur *b) quo ad perfectionem divinæ charitatis tenditur;* hinc est de essentia status religiosi ut, præter observantiam præceptorum, quibus non observatis nemo salvari potest, requiratur aliquid amplius quod ad salutem non est necessarium, nempe observantia consiliorum evangelicorum.

Dicitur *c) per tria vota perpetua paupertatis*, etc; nam ut homo complete ad perfectionem tendat, requiritur ut de medio tollat omnia quæ hanc perfectionem impediunt, scilicet concupiscentiam oculorum, concupiscentiam carnis et superbiam vitæ, et ut Deo offerat totum quod habet, scilicet bona externa et interna, corpus et animam. Fit utrumque per observantiam trium consiliorum evangelicorum, nempe voluntariæ paupertatis, castitatis et obedientiæ.

Dicitur *d) sub regula vitæ communis;* quamvis tria vota constituant essentiam status religiosi, tamen, jure hodierno, ille status coram Ecclesia non existit nisi in vita communi, sub uno capite et sub una regula, quæ ad consequendam perfectionem conducat.

Dicitur 5° *approbata ab Ecclesia,* scilicet a Sancta Sede cui hodie res, ut majoris momenti, reservatur. *Marc, Inst. Morales, vol. II, n.* 2128.

617. **De natura votorum.** Tria vota, nempe paupertatis, castitatis et obedientiæ, sensu communi, constituunt essentiam status religiosi. Hæc vota possunt esse vel solemnia, vel simplicia, pro diversa conditione congregationum in quibus emittuntur.

1° In quo præcise consistat discrimen votorum simplicium a votis solemnibus non consentiunt canonistæ. Juxta sententiam hodie communem, solemnitas votorum non consistit in apparatu vel cœremoniis, aut in aliquo ritu benedictionis, sed in aliquo effectu morali quem producit votum solemne et qui non tribuitur voto simplici. "Voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa." Ex capite unico *De voto et voti redemptione, in* 6°; *De Angelis, lib. III, tit. XXXI, n.* 4.

2° Hinc ex Ecclesiæ dispositione, votum quod erat solemne potest fieri simplex, et, vice versa, votum simplex fieri potest solemne. Vis inhabilitans quæ inest voto solemni pendet ab Ecclesia.

618. **Votum solemne irritat actus votis repugnantes, dum votum simplex prohibet eosdem actus.**

1° Votum solemne castitatis dirimit matrimonium antea *contractum,* quando nondum est usu *consummatum,* et irritat matrimonium *contrahendum;* votum autem simplex non dirimit matrimonium *ratum et non consummatum* et impedit solummodo ne quis matrimonium licite contrahat.

2° Votum solemne paupertatis importat in vovente abdicationem cujuscumque proprietatis, ita ut vovens non tantum suorum bonorum administratione, sed eorum *dominio radicali* privetur. Professus votorum simplicium dominium radicale suorum bonorum retinet.

3° Votum solemne obedientiæ efficit ut persona vovens suam voluntatem ita abdicet in futurum, ut non possit valide se obligare erga Deum vel homines, nisi ad sui prælati arbitrium, qui consequenter valet promissiones et vota irritare, "cum velle et nolle non habeat." *Cap. Si religiosus* 27, *De electione, in* 6°. Simplex obedientiæ votum non inducit tantam subjectionem et dependentiam in vovente, nec dat tantam potentiam ei cui promittitur; sed huic tantum dat potestatem præcipiendi, et illi imponit obligationem obediendi in his quæ præceperit intra latitudinem materiæ talis voti. *Icard, Præl. Juris Can. Sti Sulpicii, vol. II, n.* 443.

619. **Solemnitas votorum non est de essentia status religiosi.** Ut habeatur status religiosus duo requiruntur et sufficiunt, scilicet media ad perfectionem acquirendam et stabilitas conveniens; atqui hæc duo habentur independenter a solemnitate votorum. Attamen ea est praxis S. Sedis ut congregationem uti vere et proprie religiosam non approbet nisi in ea vota solemnia emittantur.

Ex Romani Pontificis auctoritate fieri potest ut vera religio ea quoque sit in qua simplicia tantummodo vota emittuntur. Hujusmodi exceptio facta est a Gregorio XIII in favorem scholasticorum et coadjutorum Societatis Jesu, qui emittunt vota simplicia, quos tamen declaravit "vere religiosos esse et ubique censeri et nominari debere, ac si in professorum numerum adscripti fuissent." Const. *Ascendente.*

620. **Ordines in quibus emittuntur tria vota solemnia** dicuntur *ordines religiosi, ordines formales, religiones;* ordines in quibus emittuntur tria vota simplicia et perpetua vocantur *congregationes religiosæ;* nomine *piorum*

institutorum veniunt illæ piæ associationes quæ, vel nullum votum emittunt, vel, si vota habeant, aut tria vota substantialia non profitentur, aut ea non profitentur in perpetuum. Canones quibus jus commune regularium constituitur respiciunt religiones proprie dictas, ita ut nec leges, nec privilegia regularibus data, *per se*, ad instituta votorum simplicium pertineant.

621. **Quæri potest an vota religiosorum et monialium in Dominio sint solemnia.**

Hæc quæstio sub duplici respectu expendi potest : 1° An possint esse solemnia ; 2° an de facto sint solemnia.

1° Ad primam quæstionem quod attinet, respondemus affirmative, quia solemnitas votorum non pendet a statutis principum, sed ab Ecclesia sic disponente. Revera plures ordines religiosi, qui vota solemnia certo emittunt, in regionibus hæreticorum et infidelium disseminantur ; gubernia, sub quorum ditione versantur, nullam habent curam eorum votorum, eos a cæteris civibus non discernunt in iis quæ ad capacitatem dominii civilis spectant.

Multæ prodierunt declarationes SS. Congregationum quæ manifeste indicant éam esse mentem Ecclesiæ Romanæ ut subsistere possit votorum solemnitas, quidquid statuerit potestas sæcularis. Censuit S. Congregatio vota emissa a monialibus Gallis ante rerum Gallicarum perturbationem vim suam servasse, non obstante lege civili, quæ easdem moniales capaces fore dominii decreverat. S. Pœnitentiaria respondit declarationes datas pro monialibus quæ vitam religiosam professæ sunt in præsenti statu, et quarum vota pro simplicibus sunt habenda, non extendi ad regulares viros. *Prœl. Jur. Can. Sti Sulpicii, De Regularibus, n.* 446.

2° Ad secundam quæstionem respondemus distinguendo inter ordines virorum et ordines mulierum.

Plures ordines virorum emittunt vota solemnia, v. g. ordines Dominicanorum, patrum Societatis Jesu, Capucinorum, Fran-

ciscanorum, Cistersiensium, in genere ordines antiquiores. Ratio est, quia e regionibus migrarunt in quibus jam emittebant vota solemnia; cum beneplacito apostolico monasteria in hac regione erexerunt, et S. Sedes nihil omnino statuit contra solemnitatem eorum votorum. Ordines virorum recentiores, e. g. patres SS. Redemptoris, Oblati B. M. I., Sanctæ Crucis, etc., vota simplicia nuncupant: unde illi ordines sunt potius *Congregationes religiosæ.*

622. **Ad monasteria monialium quod attinet,** olim disputatum fuit de natura votorum quæ emittunt sorores monasteriorum vulgo *des Ursulines, de l'Hôtel-Dieu de Québec, de l'Hôpital-Général de Québec,* sed dubium sustulit Sacra Congregatio de Prop. Fide, sua responsione quam cum libello supplici hic referimus:

" P. F. Archiepiscopus Quebecensis humiliter exponit ut sequitur:

Tria existunt in mea urbe Quebecensi Monasteria Sanctimonialium Ordinis S. Augustini: unum Monialium Congregationis S. Ursulæ, puellis educandis devotarum, et duo altera Monialium Hospitalariarum Congregationis dictæ a Misericordia Jesu ægrotantibus ac infirmis inservientium. Hæc tria monasteria de consensu et cum approbatione Ordinarii fundata fuerunt circa annum 1640 a Monialibus e Gallia profectis. In his quidem monasteriis ab initio viguit semper et adhuc viget disciplina regularis; tria vota solemnia paupertatis, obedientiæ ac castitatis, in manu episcopi, vel ejus delegati, semper emissa sunt atque servata fuerunt; Sanctimoniales semper bona fide sua vota solemnia esse crediderunt, atque ut veræ professæ et regulares ab omnibus habitæ sunt. At vero dubitatur de validitate erectionis dictorum Monasteriorum, eo quod absque Sedis Apostolicæ licentia speciali fundata seu erecta fuere; unde oritur etiam dubium de validitate professionis Monialium.

Insuper clausura papalis in his communitatibus numquam stricte observari potuit, nec quidem observari potest, attentis locorum ac temporum circumstantiis, maxime vero fine Instituti earum. Inde perpetuæ anxietates et innumeri scrupuli conscientiæ tum in Sanctimonialibus tum in earum Superioribus.

Quapropter ad pedes Sanctitatis Vestræ provolutus humiliter supplico:

1° Ad cautelam pro convalidatione erectionis factæ dictorum Monasteriorum;

2° Pro declaratione quod mulieres quæ faciunt professionem in dictis monasteriis sunt vere moniales, et tanquam professæ a S. Sede approbatæ, ac vere regulares habendæ sunt;

3° Pro concessione ut earum clausura sit deinceps tantum episcopalis, ita ut Archiepiscopi Quebecenses per se vel per suos delegatos vere justis et gravibus de causis dispensare possint."

" Ex Audientia SSmi habita die 26 Junii 1853.

SSmus D. N. Pius Div. Prov. PP. IX, referente me infrascripto S. Congnis de Prop. Fide Secretario, attentis expositis ac voto R. P. Consultoris ad hoc specialiter deputati, annuens precibus R. P. D. Archiepiscopi Quebecensis, benigne mandavit rescribi:

Ad I. Affirmative pro petita convalidatione;

Ad II. Moniales de quibus in precibus habendas esse tanquam professas cum votis simplicibus, perpetuis quidem ex parte monasterii et voventium, attamen justis et gravibus intervenientibus causis ab Apostolica Sede dispensabilibus, cum clausura tantum episcopali.

Ad III. Provisum in secundo.

Datum Romæ ex ædibus dictæ S. Congnis, die et anno ut supra.

Gratis sine ulla solutione quocumque titulo."

[L. † S.] (sign.) AL. BARNABO a secretis.

Aliter dicendum est de Hospitalariis quæ Marianopoli Hospitium-Dei (Hôtel-Dieu) erexerunt ut ægrotis inservirent. Alexander VII, in sua bulla die 8 Jan. 1666 data, refert moniales hospitalarias oppidi *de Laflèche,* Andegavensis diœcesis, de expressa licentia et approbatione Ordinarii Andegavensis diœcesis, juxta dispositionem decretorum Concilii Tridentini, plura monasteria erexisse, quorum unum est Marianopoli in nova Francia. Pontifex institutum confirmat et approbat, et moniales declarat *veras esse religiosas. Cf. Pignatelli, vol. II, consultationem* 74.

Die 12 Maii 1865, Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium regulas hujus monasterii approbavit, et in duobus articulis declaratur moniales vota solemnia emittere. Clausura pontificalis auctoritate Sanctæ Sedis fuit mitigata ut moniales votum hospitalariæ adimplere valerent.

Ergo concludimus Hospitalarias vota solemnia emittere, sub clausura papali mitigata, in suo monasterio Marianopolitano.

Quid de monasteriis alibi erectis ?—Ut vota censeantur solemnia, oportet ut moniales profectæ sint e monasterio in quo vota erant solemnia et nova monasteria cum beneplacito apostolico erecta fuerint. Unde videndum est an illa monasteria cum beneplacito S. Sedis fuerint erecta; quo deficiente, nisi adfuerit clausula sanatoria, vota censentur simplicia. *Piat, Prœl. Juris Regularis, vol. I, p.* 13.

Ceteræ congregationes mulierum vota simplicia nuncupant.

623. **In Statibus Fœderatis,** quædam monasteria monialium habent vota solemnia, ut apparet ex decreto *Americana votorum* S. Cong. Episc. et Reg., 30 Sept. 1864. Declaratur :

" I° Vota quæ a monialibus a Visitatione B. M. V. nuncupatis emittuntur in monasteriis Georgestown, Kaskaskia, Sti Aloysii, Mobile et Baltimoræ, vi rescriptorum ab eisdem jam obtentorum, esse solemnia ;

II⁰ Quoad clausuram, prædictas moniales uti posse facultatibus sibi in variis rescriptis a S. Sede concessis;

III⁰ Ratione habita ad temporum, locorumque circumstantias, in posterum ad eisdem monialibus Visitationis, post expletum novitiatum, emittenda esse vota simplicia, exactisque quinque annis a votorum simplicium professione, admitti eas posse ad vota solemnia nuncupanda, præviis spiritualibus exercitiis per decem dies; professas autem votorum simplicium frui et gaudere omnibus et singulis gratiis quibus professæ votorum solemnium fruuntur et gaudent;

IV⁰ Vota quæ ab aliis monialibus in monasteriis jam erectis emittuntur esse simplicia, excepto casu quo rescriptum pro votis solemnibus emittendis ab Apostolica Sede obtinuerint;

V⁰ Tandem in monasteriis in posterum erigendis in singulis Statibus Unitis, vota a monialibus emittenda esse simplicia." *Anal. Juris Pontif.*, 1867, *p.* 142.

624. **De varietate ordinum religiosorum.** Omnes ordines religiosi conveniunt in fine essentiali, nempe in perfectione propria assequenda, et in mediis essentialibus adhibendis, scilicet in triplici voto paupertatis, castitatis et obedientiæ; sed status religiosus, præter finem primarium omnibus religionibus communem, alios fines secundarios admittit; item præter vota essentialia, alia media propria possidet ad obtinendum finem peculiarem ordinis. Hinc diversitas ordinum religiosorum petitur ex diversitate finis peculiaris et mediorum accidentalium.

1⁰ Ratione *finis peculiaris*, ordines generatim distinguuntur in tres classes, quatenus *vitam contemplativam*, vel *activam*, vel *mixtam* profitentur. Ordines contemplativi principaliter vacant contemplationi rerum cœlestium: e. g. Carthusiani, Cistersienses, etc. Ordines activi se exercent principaliter operibus misericordiæ: e. g. ordines militares Sti Joannis et Teutonici, ordines Hospitalarii, etc. Ordines

mixti utramque vitam contemplativam et activam conjungunt: e. g. patres Dominicani, patres Societatis Jesu, etc.

Vita contemplativa præeminet activæ, juxta illud Domini: " Maria optimam partem elegit." Perfectissima est vita mixta, in qua religiosus ita vacat orationi et contemplationi, ut ex hujus plenitudine effluant quæ per doctrinam et alia spiritualia officia proximis juvandis impendit. Si enim præstantius est lucere simul atque illuminare, ita præstantius est copulare actionem cum contemplatione... Hæc fuit vita Apostolorum atque ipsius Domini Nostri Jesu Christi, qua nulla perfectior excogitari potest. *S. Th.*, 2. 2, *q*. 182.

2° Ratione *mediorum*, quatuor sunt regulæ principaliores, nempe regulæ S. Basilii, S. Augustini, S. Benedicti et S. Francisci. Sub regula S. Benedicti vivunt fere omnes monachales Ordines: v. g. Benedictini, Cistersienses et plures ordines militares. Sub regula S. Basilii militant fere omnes Orientis monachi. S. Augustini regulam habent omnes Canonici Regulares, Augustiniani, Dominicani et plures alii. S. Francisci regulam sequuntur Minores de Observantia, Conventuales, Capuccini et aliæ familiæ religiosæ, quæ sub distinctis superioribus generalibus proprias habent constitutiones. *Sebastianelli, De Regularibus, n.* 307.

625. **De origine status religiosi.** Ordo religiosus *quoad* substantiam, *etsi non quoad accidentales formas*, fuit a Christo Domino institutus; unde dici debet illum esse de jure divino non præcipiente, sed consulente. " Hæc est, inquit Suarez, sententia omnium catholicorum recte sentientium."

1° Et revera Christus dicendus est auctor status religiosi quoad substantiam, si Ipse sit auctor perfectionis christianæ, per paupertatis, castitatis atque obedientiæ observantiam acquirendæ; tota enim substantia status religiosi in hoc consistit. Jamvero rem ita se habere constat ex tribus Domini oraculis, quorum primum est: " Si vis perfectus

esse, vade, vende quæ habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo," *Matth.* 19-21; alterum: "Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat," *Matth.* 10-12; tertium: " Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me." *Luc.* 9-23. *Marc, Inst. Morales, vol. II, n.* 2131.

2° Status religiosus non est institutus a Christo quoad accidentalem ejus determinationem ad talem regulam vel finem particularem : hæc accidentalia pendent ab institutione Ecclesiæ. Hinc ad Ecclesiam pertinet de regulis judicare et eas approbare, certas conditiones statuere per quas constituatur ordo religiosus, easque pro temporum varietate mutare, prout pluries fecit.

626. **Status religiosus, si spectetur quoad substantiam, non vero quoad modum, est necessarius Ecclesiæ.** Ecclesia est necessario *sancta* sanctitate non tantum interna, sed et externa et publica; jamvero hæc sanctitatis nota complectitur non solum exercitium illarum virtutum quæ ad salutem consequendam sufficiunt, sed etiam consiliorum observantiam et publicam professionem, seu statum religiosum. *Cf. F. Piat, Prœl. Juris Regul., c.* 2.

S. Alph. asserit episcopos et parochos impares esse ut omnibus necessitatibus spiritualibus fidelium provideant, si non adjuventur a regularibus; hinc Deus non sufficienter suæ Ecclesiæ providisset, si alios sacerdotes a quibus adjuvarentur non misisset. *Epistola Leonis XIII ad Em. Card. Richard, Arch. Parisiensem,* 23 *Dec.* 1900.

TITULUS II

DE NOVIS ORDINIBUS, NOVISQUE MONASTERIIS ERIGENDIS

De institutione novi ordinis religiosi.

627. **A pluribus sæculis erectio ordinis religiosi Sanctæ Sedi reservatur.**

1⁰ Sæculo XI et sequenti, ita multiplicari coeperunt religiones ut ex earum multitudine et varietate confusio in Ecclesia timeretur. Innocentius III, in concilio Lateranensi IV, huic periculo voluit providere his verbis : " Ne nimia religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus ne quis de cœtero novam religionem inveniat, sed quicumque ad religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat."

2⁰ Cum frequentius illud decretum violaretur, Gregorius X, in concilio Lugdunensi, illud renovavit, prohibens " ne quis de cœtero novum ordinem aut religionem adinveniat, vel habitum novæ religionis assumat." Ab illis decretis, approbatio novi ordinis religiosi desiit esse causa episcopalis et facta fuit causa major, reservata judicio Summi Pontificis.

3⁰ Duo in prædictis decretis prohibentur, primum videlicet ne quis absque Apostolicæ Sedis approbatione novum ordinem introducat ; secundum ne quis ingrediatur religionem non approbatam a Sancta Sede, ita ut si quis in religione non approbata vota emittat, sit in statu rebellionis potius quam perfectionis.

628. **Certum est prædictas juris dispositiones latas fuisse pro ordinibus proprie dictis,** seu religionibus

quæ vota solemnia emittunt. Alia invaluit praxis relate ad congregationes religiosas et instituta pia, cujus summarium referimus:

1° Institutum religiosum originem habet in diœcesi; ab Ordinario loci approbantur constitutiones novi instituti, ejusque licentia novitii vota emittunt.

2° Quamdiu institutum est diœcesanum, Sancta Sedes non solet illud sua auctoritate confirmare. Quandoque Sacra Congregatio dat litteras quibus commendat fundatoris vel fundatricis intentionem et incœpti pii operis scopum. Pia institutio, quamvis hujusmodi litteris donata, manet in statu privati et omnino diœcesani sodalitii quod episcopo subjicitur.

3° Primus actus quo Sancta Sedes manum admovet ad instituti opus ita ut cesset esse simpliciter diœcesanum, est decretum laudis instituti. Hoc decretum laudis conceditur si, post elapsum a prima fundatione congruum tempus, institutum satis diffusum fuerit et uberes dederit fructus pietatis, regularitatis et spiritualis emolumenti. Semel ac prodierit illud decretum laudis, institutum subjacet jurisdictioni Summi Pontificis propter *affectationem manus.*

4° Conceditur decretum approbationis instituti, si, post datum decretum laudis, per satis diuturni temporis experimentum probatur instituti firma compago, constitutionum accommodatio et vigens observantia, regiminis recta ratio, sororum studium servandæ disciplinæ in vinculo charitatis ad intra, et zelus in adimplendis operibus sui instituti propriis ad extra. *Normæ S. Cong. Episc. et Reg., art.* 1, 2, 3, 4, 5.

5° Aliquando approbatur institutum, dilata constitutionum approbatione definitiva; per interim approbantur per modum experimenti, e. g. ad triennium, vel quinquennium, et deinde, nisi aliquid obstet, decretum definitivum tribuitur.

6° Constitutionibus definitive approbatis, Sedes Apostolica sola eas authentice interpretatur et ab eis dispensare potest. *Battandier, Guide canonique, pag.* 14 *et seq.*

De erectione novi monasterii.

629. **Ut erigatur monasterium virorum,** hæc requiruntur :

1⁰ *Assensus episcopi loci* in quo est erigenda domus; quod eruitur ex verbis Trid., sess. XXV, c. 3: " Ne cœtero ulla monasteria sive virorum, sive mulierum erigantur sine episcopi in cujus diœcesi erigenda sunt licentia prius obtenta." Episcopi est perpendere an utilis vel noxia sit novi monasterii erectio; quod si injuste episcopus suum consensum denegaverit, regulares appellabunt ad Cong. Episc. et Regularium.

Episcopus veniæ datæ conditiones apponere potest, v. g. ne aperiatur oratorium publicum : qui potest plus potest minus. *Vermeersch, De Religiosis Institutis, num.* 107.

2⁰ *Beneplacitum apostolicum,* quod verum est saltem pro locis missionum, ut constat ex constitutione *Romanos Pontifices,* a Leone XIII edita 5 Maii 1881 : " Non licere sodalibus religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendove cœnobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicæ." Sacra Congregatio de Prop. Fide pluries decrevit veniam Apostolicæ Sedis, episcopi aut vicarii apostolici necessariam esse ut religiosi ecclesias vel collegia erigant. *Collectanea S. C. de Prop. Fide, pag.* 158, *n.* 422.

3⁰ *Assensus monasteriorum vicinorum.* Episcopus debet præcavere ne novus conventus præjudicium afferat jam existentibus. Ut præjudicium monasteriis intra quatuor millia passuum existentibus præcaveatur, præscriptum est constitutionibus Clementis VIII, *Quoniam,* et Gregorii XV, *Cum alias,* licentiam non concedendam esse nisi postquam aliorum conventuum in eisdem urbibus vel in locis vicinis existentium priores, seu procuratores, et alii interesse habentes

"vocati et auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint ; vel alias Ordinariis locorum constiterit religiosos monasterii, conventus seu domus sic erigendæ, absque detrimento religiosorum in monasteriis, seu domibus ante in civitatibus et locis hujusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commode et congrue manuteneri et ali posse."

Probabiliter episcopus non tenetur ad exquirendum consensum superiorum monasteriorum vicinorum, quoties certo sibi constat erectionem novi conventus nullum præjudicium notabile allaturum fore ; revera constitutio Gregorii XV videtur excludere casum quo " *alias Ordinariis locorum constiterit* " novum conventum constitui posse absque aliorum detrimento.

Contra episcopum qui permittit novi monasterii erectionem in damnum aliorum datur remedium quod in jure vocatur *nunciatio novi operis ; Santi, lib. V, tit. XXXII.* Juxta verba Lucii III : "Nulla ecclesia est in præjudicium alterius construenda " : unde ecclesia quæ damnum pertimescit ex alterius ædificatione, huic se opponere potest. Ille contra quem fit nunciatio debet cessare ab opere, ita ut quidquid post nunciationem fecerit, debeat in pristinum statum restitui *ex interdicto demolitorio.*

4° *Ad parochum quod attinet,* duæ sunt canonistarum sententiæ : alii docent necessarium non esse ut vocetur et audiatur ; alii docent necessarium esse ejus consensum, quia aliquod damnum pertimescere posset, quoad sacramentorum administrationem, ex novi monasterii erectione. Sententia media tenet parochum vocandum esse, quod firmatur verbis Clementis VIII dicentis " vocandos esse omnes interesse habentes " ; sed episcopus non tenetur stare sententiæ parochi, qui, si gravatum se existimaverit, potest ad superiorem appellare. *Sebastianelli, De Regularibus, n.* 312.

5° Ex parte monasterii, requiritur, *a)* ut conventus sit de

ordine in quo disciplina regularis sit integra, quia, teste Innocentio VIII, ordines corruptos melius est minui quam augeri; *b)* ut provisum fuerit sustentationi saltem 12 religiosorum qui in monasterio commorari debent. Si regulares numerum duodecimum non attingant, erectio erit valida, sed monasterium subjicitur visitationi, correctioni et omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci; Const. *Cum alias* Gregorii XV. Attamen ubi viget constitutio *Romanos Pontifices*, sustinetur privilegium exemptionis, etsi in monasterio sint tantum sex religiosi.

630. **De erectione monasterii monialium sive habeant vota solemnia, sive simplicia.**

1° *Requiritur assensus episcopi*, ex prædicto capite 3 sess. XXV Conc. Trid. Eadem viget dispositio relate ad congregationes sororum : " Domus nulla novarum sodalitatum justo jure fundabitur, nisi annuente probante episcopo." Const. *Conditæ a Christo, p. I, a.* 2, *p. II, a.* 3.

2° Requiritur *beneplacitum apostolicum.* Si agatur de erectione monasterii monialium, consuetudo est " ut erectiones fiant a Sede Apostolica tum propter gratias, indulgentias, privilegia et exemptiones quæ ab illa impetrantur, tum propter facultatem educendi abbatissam ex aliis monasteriis pro novi monasterii institutione." *Sebastianelli, De Regularibus, n.* 311.

Quoad instituta a Sancta Sede approbata, necessaria est approbatio S. Congregationis pro erectione novi novitiatus et translatione existentis novitiatus ex uno in alium locum, necnon pro erectione novæ provinciæ. *Normæ S. C. Ep. et Reg., art.* 90, 271 *et* 272. Ut autem domus erigi possit in locis missionum obtineri debet prævia venia S. Congnis de Propaganda Fide. *Normæ, art.* 306 ; *Epistola Præfecti Congnis de Prop. Fide,* 7 *Dec.* 1901.

631. **Prædictæ solemnitates sunt servandæ** quando erigendum est novum monasterium, in quo professi vitam communem ducunt sub auctoritate superioris. Non sunt proprie conventus 1° ædes quas religiosi incolunt dum quærunt sibi domicilium; 2° illa prædia rusticana ubi unus vel alter religiosus œconomicas res procurare solet; 3° villæ in quas religiosi se conferunt causa recreationis; 4° hospitia quæ in quibusdam locis tenentur in commodum religiosorum itinerantium. *Vermeersch, De Religiosis Institutis,n.* 101.

TITULUS III

DE INGRESSU IN RELIGIONEM ET DE NOVIVIATU

De ingressu in religionem.

632. **Omnes amplecti possunt religionem qui non prohibentur:** jamvero quidam prohibentur jure communi, quidam jure particulari alicujus instituti religiosi. Quilibet ordo suas incapacitates in suis constitutionibus statuere potest.

633. **Jure communi prohibentur:**

1⁰ Episcopi, absque Romani Pontificis licentia. Hæc licentia a Summo Pontifice conceditur in casibus in quibus episcopus episcopatui renuntiare potest. Præter hos casus, non solet concedi talis licentia, quia quamvis eam " petat episcopus ex desiderio majoris perfectionis propriæ, tamen totius populi diœcesani bonum commune præferri debet privatæ utilitati ipsius episcopi." *Schmalzgrueber, lib. III, tit. XXXI.* Hæc regula valet etiam pro episcopis titularibus, qui vinculo spirituali ligantur cum sua ecclesia et *per accidens* non præsunt huic ecclesiæ.

Quod dicitur de episcopis applicari nequit clericis minoribus, etiam curam animarum habentibus. Clerici enim minores, etiam curam animarum habentes, etiam beneficiarii, ad religionem transire possunt sine licentia episcopi, imo episcopo ipso invito. Quod eruitur ex canone *Duæ sunt* 2, *causa* 19, *q.* 2 *:* " Si quis in Ecclesia sub episcopo populum retinet, si, afflatus Spiritu Sancto, in aliquo monasterio vel regulari canonia salvare se voluerit... etiam, episcopo suo contradicente, eat liber nostra auctoritate."

Attamen valde congruit ut clericus curam animarum habens, episcopum admoneat de suo discessu ut bono animarum provideatur.

Hæc regula fallit in duobus casibus: *a)* Quando ex discessu clerici, Ecclesia grave detrimentum patitur, quo in casu, episcopus suum clericum jam professum ad clerum sæcularem revocare potest. Bened. XIV, in Const. *Ex quo*, 14 Januar. 1747. *b)* Quando clericus contraxit aliquam obligationem erga diœcesim, ut in *casu tituli missionis.* Qui enim cum titulo missionis fuerunt ordinati, non possunt ad religionem transire sine licentia S. Congregationis de Prop. Fide, quæ dispensat a juramento. *Cf. De Clericis, tit. I, cap.* 1, *n.* 76.

2° Prohibentur conjugati. Attamen videndum est an eorum matrimonium sit ratum tantum, vel an sit ratum et consummatum. In prima hypothesi, cuilibet ex conjugibus religionem ingredi licet, etiam invita alia parte, et, secuta professione solemni, matrimonium dissolvitur quoad vinculum. Conjugibus datur bimestre ad deliberandum an velint religionem ingredi, quo tempore elapso, tenentur consummare matrimonium, uno conjuge hoc exigente. Professio quæ dirimit matrimonium ratum est professio solemnis et non simplex.

In secunda hypothesi, *regulariter* prohibetur conjugibus ingredi religionem. Diximus *regulariter*, nam conjugibus, matrimonio consummato, ingressus in religionem permittitur in sequentibus casibus:

a) Si alter conjux consentiat. Tunc minime dissolvitur vinculum matrimoniale, nec potest hic proinde ad novas nuptias convolare. Si pars remanens in sæculo sit juvenis, vel suspecta de incontinentia, debet emittere votum et ingredi monasterium ; si sit senex et non suspecta, sufficit ut emittat votum simplex continentiæ. *Cf. Piat, De Jure Regul., part. I, cap. I, quæst.* 9 *et* 10.

b) Potest conjugatus religionem ingredi, si alter conjugum convictus sit de adulterio; adulterium in jure inducit divortium semiplenum in perpetuum. Remanet vinculum matrimonii, ita ut pars adultera remanens in sæculo non possit ad novas nuptias convolare.

c) Quando alter conjugum in hæresim vel in apostasiam lapsus est, et suo errori pertinaciter adhæret, tunc licitum est parti innocenti religionem ingredi.

d) Potest conjugatus ingredi religionem, si, matrimonio contracto et consummato in infidelitate, post ejusdem conjugati conversionem ad fidem, altera pars nolit converti, nec pacifice habitare cum conjuge converso. *Sebastianelli, De Regularibus, n.* 315.

3⁰ Prohibentur gravati ære alieno. Jure introducto a Sixto V, eorum professio est invalida, sed Clemens VIII derogavit, constitutione *In suprema,* dispositioni Sixti V, ita ut jure hodierno professio sit illicita sed valida. Imo plures reputant professionem esse licitam, quando gravatus ære alieno, post cessionem bonorum, non habet spem habendi unde solvat.

4⁰ Prohibentur filii qui, jure naturali, debent sublevare egestatem parentum. Filii possunt religionem ingredi, etiam invitis parentibus, quia in electione status non tenentur eorum voluntatem sequi; attamen, juxta sententiam communem, non est licitum filio suos parentes in extrema vel in gravi necessitate relinquere, ut monasterium ingrediatur. *S. Th.*, 2. 2, *q.* 189, *art.* 6.

5⁰ Prohibentur administratores bonorum qui debent reddere rationem suæ administrationis. Timendum est ne, emissa professione, nimis distrahantur et distrahant; eorum professio erit valida sed illicita.

6⁰ Prohibentur criminosi, et eorum professio est illicita. Sixtus V prohibuit admitti reos vel suspectos homicidii, furti,

latrocinii et graviorum criminum ; imo eorum admissionem et secutam professionem irritam declaravit. Clemens VIII, constitutione *In suprema*, dispositionem Sixti V abrogavit quoad nullitatem admissionis et professionis, non quoad illiceitatem et pœnas in admittentes.

Accusatus qui declaratus fuit innocens potest religionem ingredi ; imo Suarez docet reum de aliquo crimine convictum, qui pœnam impositam implevit, et sic tum Reipublicæ, tum parti satisfecit, posse ad religionem transire.

Illegitimi licite admitti possunt; imo professio solemnis tollit irregularitatem *ex defectu natalium* ad suscipiendos ordines sacros.

634. **Quoad instituta votorum simplicium a S. Sede approbata,** " sine dispensatione S. Sedis admitti non possunt : 1⁰ illegitimi non rite legitimati ; 2⁰ matrimonio ligati ; 3⁰ annos nati amplius triginta ; 4⁰ minores quindecim annorum ætate ; 5⁰ qui in alio instituto vota perpetua, sive etiam temporanea emiserunt, iis perdurantibus ; 6⁰ aere alieno gravati, cui solvendo non sint ; 7⁰ reddendæ rationi obnoxii, aut aliis negotiis sæcularibus implicati, ex quibus lites et molestias institutum timere possit ; 8⁰ pro mulierum institutis viduæ. Nihil obstat quominus hoc vel illud institutum, juxta peculiarem sui scopi rationem, nonnulla alia impedimenta sibi constituat, super quibus moderatores generales cum suis consiliariis, ex justa causa, dispensare valeant." *Normæ S. C. Ep. et Reg., art.* 61, 62.

635. **Habilitas novitiorum innotescere debet, antequam in probatione admittantur.**

" 1⁰ Superiores a postulantibus exigere debent : *a)* fidem suscepti baptismatis ; *b)* confirmationis ; *c)* testimonium bonorum morum datum vel a curia episcopali, vel a parocho vel etiam, si aliter fieri nequeat, ab aliis ecclesiasticis viris ; *d)* testimonium status liberi, nisi de eo aliter certo constet." *Normæ, art.* 57."

2° Pro institutis quibuscumque *virorum*, sive vota solemnia, sive vota simplicia emittantur, Congregatio super Statu Regularium, die 25 Jan. 1848, hoc decretum edidit:

" *a)* In quocumque Ordine, Congregatione, Societate, Instituto, Monasterio, Domo, sive in eis emittantur vota solemnia, sive simplicia, nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus litteris tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci in quo postulans post expletum decimum quintum annum suæ ætatis, ultrà annum moratus est.

b) Ordinarii, in præfatis litteris testimonialibus, postquam diligenter exquisierint, etiam per secretas informationes, de postulantis qualitatibus, referre debeant de ejus natalibus, ætate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia, an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate, aut aliquo alio impedimento canonico irretitus, ære alieno gravatus, reddendæ alicujus administrationis rationi obnoxius.

Et sciant Ordinarii eorum conscientiam super veritate expositorum oneratam remanere, nec ipsis unquam liberum esse hujusmodi testimoniales litteras denegare."

Si Ordinarii testificari nequeant, supplendum est defectui testimonialium, et postulantes, antequam ad habitum admittantur, maneant saltem per tres menses in conventu, ibique diligenter probentur. *S. C. Episc. et Regul.*, 1 *Maii* 1851.

De postulatu.

636. **Puellæ non admittuntur ad novitiatum antequam steterint in postulatu.**

" 1° Postulatus congruentius fit in domo novitiatus, in loco tamen, si fieri potest, a novitiis separato. Sed annuente moderatrice generali vel provinciali, fieri aliquando potest in alia domo instituti, dummodo in ea moretur notabilis sororum numerus et disciplina juxta constitutiones religiose servetur sub speciali cura alicujus probatæ sororis.

2° Tempus postulatus non infra sex menses, nec ultra annum perduret. Moderatrix generalis, ex justa causa, hoc tempus aliquando prorogare poterit in casibus particularibus, sed prorogatio tres menses non excedat.

3° Antequam per habitus receptionem novitiatum incipiant, postulantes exercitia spiritualia peragant per decem dies." *Normæ, art.* 64, 65, 77.

Expleto postulatus tempore, postulantes ad habitum admittantur vel dimittantur. *Cf. Mgr Battandier, Guide canonique, pag.* 66.

De novitiatu.

637. **Novitiatus religiosus est probatio vitæ religiosæ,** seu mutuum experimentum quo religio qualitates atque indolem novitii, et novitius ordinis austeritatem explorat.

Hinc novitiatus fuit institutus tum in favorem religionis, tum in favorem novitii. " Necessarium est, ait *Suarez, De Religione, lib. V, cap.* 8, ut cum plena scientia et cognitione, et non temere, status religiosus suscipiatur ; et ideo oportet in particulari conferre talem statum cum tali persona, consideratis ejus viribus et aliis conditionibus extrinsecis. Non enim quod est secundum se melius cuilibet melius est."

638. **Admittere postulantes ad novitiatum pertinet ad superiores ordinis.** Quilibet ordo religiosus a Sancta Sede approbatus habet debitam potestatem ad sui conservationem et gubernationem ; atqui conservatio fieri nequit sine novitiorum receptione.

1° Apud viros, sive emittant vota solemnia, sive simplicia, superiores non tenentur exquirere sententiam episcopi ad novitiorum susceptionem.

2° Concilium Tridentinum sess. XXV, cap. XVII, De Regul., volens consulere libertati virginum, decrevit ut " puella quæ habitum regularem suscipere voluerit non ante eum suscipiat quam exploraverit episcopus...virginis voluntatem diligenter,

an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat, et si voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit, habueritne conditiones requisitas juxta monasterii et ordinis regulam." Hinc ad admittendas virgines ad novitiatum duplex auctoritas concurrit, episcopi scilicet et superiorissæ. Episcopus superiorissam cogere nequit ut recipiat novitiam : hæc enim admissio fieri debet cum plena libertate a communitate, collatis omnium suffragiis ad regularum præscriptum; nec superiorissa ullam admittere potest novitiam absque prævio judicio episcopi de voluntate ejus. *Icard, De Regularibus, n.* 462.

639. **Ætas pro admissione novitiorum** regula generali determinata non est. Attamen puellæ, licet olim ad habitum recipi possent post expletum annum duodecimum, hodie non possunt vestiri habitu religionis, nisi habeant decem et quinque annos completos, ut declaravit S. C. Episc. et Regul., 23 Maii 1659, apud *Ferraris, v. Moniales, art.* 1, *n.* 72. Ex Normis S. Cong. Episc. et Reg., minores quindecim annorum ætate sine dispensatione S. Sedis admitti non possunt in Institutum.

640. **De novitiatus duratione.** Olim licitum erat, sed ex consensu tum religionis, tum novitii, tempus novitiatus breviare, sed Conc. Trid., sess. XXV, cap. 15, De Regul., hac in re sequentia statuit : " In quacumque religione tam virorum quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum, nec qui minori tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem sic facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus regulæ, vel religionis, vel ordinis observantiam aut ad alios quoscumque effectus."

Juxta institutorum variam naturam, novitiatus quandoque protrahitur ad duos annos. Unius vero anni continui et integri tempus absolute requiritur pro quolibet instituto ad validitatem professionis. *Normæ, art.* 72.

Annus ille incipit non a die ingressus in monasterium, sed a momento susceptionis habitus. Excipitur casus quo aliud præscribitur in religione approbata a Sancta Sede, ut in Societate Jesu; in hoc ordine, novitiatus incipit a momento quo postulans in novitiorum consortium admittitur. *Suarez, lib. V, De Religione.*

641. **Hic annus debet esse integer et completus.** Unde si quis hodie hora septima matutina habitum suscipiat, non potest anno sequenti ante horam septimam ejusdem diei professionem edere. Die 8 Jan. 1886, S. C. Concilii nullam declaravit professionem emissam ante complementum anni, licet una tantum hora deesset.

S. Pius V novitiis dominicanis concessit ut in articulo mortis, judicio medici, professionem emittere possent ante finem novitiatus, "ita tamen quod ipsæ moniales novitiæ sic decedentes, indulgentiam et alias gratias, quas moniales vere professæ decedentes consequuntur, consequi possint." Ex his verbis sequitur professionem effectus suos non producere nisi quoad gratias spirituales. Unde si convalescat novitia, durante novitiatus tempore, monasterium relinquere potest; finito probationis anno, si perseveret, professionem renovare debet. Hoc privilegium, vi communicationis privilegiorum, commune est omnibus ordinibus qui cum Fratribus Prædicatoribus communicant.

642. **Requiritur annus non interruptus.** Annus novitiatus interrumpitur diversis modis:

1º Si novitius e conventu exeat cum animo deliberato hanc religionem deserendi, licet aliam ingredi velit. Hinc requiritur *a) animus religionem deserendi;* ex defectu hujus conditionis non interrumpitur novitiatus illius qui de superioris licentia aut mandato, justa de causa, extra monasterium degit, modo sub obedientia superioris maneat. Quoad instituta votorum simplicium, longe strictius accipi videtur

ratio anni continui, ita ut interrumperetur novitiatus ab eo qui justas ob causas et cum licentia prælati per 24 horas abfuisset, nec posset sine venia S. Sedis, exeunte anno, valide fieri professio. Ita *Battandier et plures alii apud Appeltern, Comp. Jur. Reg., p.* 56, *nota. b)* Requiritur *exitus e claustro;* ex defectu hujus conditionis, non interrumpitur novitiatus, si novitius intra monasterii septa maneat. *S. C. Concilii,* 19 *Sept.* 1772.

2⁰ Si, retento habitu, novitius per longum tempus extra monasterium, sine superiorum licentia, permaneat.

3⁰ Si novitius dimittatur et habitu spolietur, dummodo tamen monasterium jam egressus sit. Si enim antequam egrediatur, superior animum mutet et illi restituat habitum, annus non censetur interruptus. *Cf. Piat, De Jure Regul., part. II, cap.* 2.

643. **Requiritur ut novitiatus fiat in habitu religioso,** nam Concilium Trid., loco citato, præcipit non esse ad professionem admittendum " eum qui minori tempore quam per annum *post susceptum habitum* in probatione steterit."

Ab hac lege eximuntur novitii Societatis Jesu, ex privilegio apostolico.

" 1⁰ In institutis votorum simplicium, annus novitiatus, ubi unicus est, dicari omnino debet sub directione magistræ novitiarum, formationi spiritus, studio constitutionum, orationi, institutioni circa vota et virtutes, exercitationibus opportunis ad emendationem defectuum, ad compescendas passiones et ad virtutes acquirendas. Præterea novitiæ applicari non debent studiis litterarum aut artium, nec exterioribus operibus instituti.

2⁰ Ibi duo sunt novitiatus anni, horum primus prorsus insumi debet ut unicus de quo supra. In secundo autem anno, novitiæ semper sub directione et vigilantia magistræ, studiis vel aliis operibus instituti moderate vacare poterunt; sed in ipsa

novitiatus domo et non extra eam, nisi graves rationes aliter suadeant." *Normæ, art.* 73, 74.

644. **Quoad locum novitiatus,** in Italia et insulis adjacentibus, novitiatus peragi debet in conventibus a S. Sede designatis, juxta constitutionem *Regularis disciplinæ* Clementis VIII.

In aliis regionibus auctores communiter docent non requiri ut novitiatus peragatur in conventu a S. Congregatione designato. *Appeltern, Comp. Jur. Reg., pag.* 62.

Quod instituta a S. Sede approbata, " novitiæ traducere debent integrum tempus in domo ad hoc probata a Sacra Congregatione.—Necesse non est novitiatus locum constituere in domo principe, in qua residet moderatrix generalis. Sufficit, imo omnino expedit, designare ad hoc domum quæ ad novitiarum institutionem aptior videtur.—Institutum non adstringitur ad habendum unicam domum novitiatus.—Attamen ad erigendam novam domum novitiatus, et ad transferendum novitiatum jam existentem in aliam domum, requiritur beneplacitum S. Sedis." *Normæ S. C. EE. et RR., art.* 76, 88, 89, 90.

645. " **Finito tempore novitiatus,** superiores novitios quos habiles invenerint ad profitendum admittant, aut e monasterio eos ejiciant." *Trid., sess. XXV, cap.* 16, *De Regularibus.*

Attamen ex constitutionibus approbatis a Sancta Sede, potest longius tempus requiri, uti in Societate Jesu quam in eodem capite Patres Tridentini excipiunt.

In institutis votorum simplicium a S. Sede approbatis, " ex justa causa et cum voto deliberativo consilii generalis, novitiatus prorogari potest, in casibus particularibus, sed non ultra tres menses." *Normæ, art.* 75.

646. **Novitii, dum novitiatum agunt, non tenentur per se** ad observantiam regularum et præceptorum communitatis, quia hæc obligatio oritur ex votis; *per accidens*

tamen tenentur, quia "qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam." Præterea, nisi novitii regulas ordinis observent, non satis probarent ordinem, nec ordo ipsos, et ex transgressionibus repetitis orirentur scandalum, confusio et perturbatio magna in ordine. Tandem novitii regulas spernentes perderent suam supernam vocationem ad quam forte vocantur; quod certe fieri nequit sine peccato.

647. **Novitii, toto tempore quo sunt in statu probationis,** subjacent jurisdictioni prælati religionis: hinc superior regularis novitiis præcipere potest ea quæ potest episcopus subditis injungere, et illos, si delinquant, pœnis sive spiritualibus, sive temporalibus punire.

In institutis votorum simplicium, "tempore tirocinii novitiæ subjiciuntur directioni, correctioni et vigilantiæ magistræ novitiarum. Ipsis non liceat una cum professis commorari, nisi in choro, in ecclesia, in processionibus, et in cœnaculo causa refectionis. Non eis permittatur sorores professas exeuntes domo comitari.—Præter magistram et sub-magistram aliæ sorores professæ non habitent intra septa novitiatus. Multo minus in eisdem septis concludantur sorores professæ, quæ correctione vitæ indigent vel culparum pœnas luere debent." *Normæ, art.* 85, 86.

648. **Novitii semper habent libertatem redeundi ad sæculum.** Ad tuendam hanc libertatem plura sunt in sacris canonibus statuta, præsertim in capitibus 16, 17, 18, sess. XXV, Conc. Trid.

1° In prima parte capitis 16, declarantur irritæ donationes, contractus et pactiones factæ a novitiis, etiam cum juramento, in favorem cujuscumque causæ piæ ante completum decimum novitiatus mensem. Quod si factæ fuerint intra duos menses proximos professioni, firmitatem non obtinent, nisi obtenta fuerit episcopi vel ejus vicarii licentia, et secuta fuerit professio. Hinc si novitius religionem deserat vel

moriatur antequam professionem emittat, renuntiationes et donationes sunt nullæ.

Hæc dispositio Tridentina applicari nequit :

a) Renuntiationibus et contractibus peractis ante novitiatum, etiamsi initi fuerint intuitu religionis. Cum enim agitur de quadam lege irritante, oportet sequi strictam interpretationem ;

b) Dispositionibus revocabilibus, uti sunt testamenta. Si novitius instituat alium hæredem quam monasterium, in quo novitiatum agit, hæres institutus non consequitur hæreditatem nisi post professionem ; et in casu quo hæres moriatur ante professionem, testamentum est nullum, et per professionem omnia bona cedunt monasterio *ab intestato*, dummodo agatur de religione quæ six capax possidendi ;

c) Donationibus et eleemosynis a novitio pauperibus, monasterio vel locis piis factis, modo modicæ sint, spectatis bonis novitii.

d) Hanc dispositionem Concilii Tridentini doctores applicant ad beneficia ecclesiastica ; hinc beneficiatus qui ingressus est religionem, non potest in novitiatu suum beneficium resignare ante decimum mensem novitiatus, et renuntiatio vim habet post emissam professionem.

Cum, ex decreto S. Congregationis super Statu Regularium, diei 19 Martii 1857, in monasteriis virorum, novitii non debeant admitti ad professionem solemnem antequam per triennium saltem in votis simplicibus steterint, non possunt renuntiationes facere ante duos menses qui professionem solemnem præcedunt.

2° In secunda parte capitis, Conc. Trid. prohibet parentibus, propinquis et curatoribus quidquam de bonis novitii præter victum et vestitum dare monasterio, " ne hac occasione discedere nequeat, eo quod totam vel majorem partem substantiæ suæ monasterium possideat ; nec facili, si discesserit, id recuperare possit." Quod si quid collatum fuerit, præcipit Conci-

lium " ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur quæ sua erant; quod ut recte fiat, episcopus, etiam per censuras ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat."

3° In capite 17, mandatur quod virgines non debent admitti ad habitum et ad professionem antequam earum voluntatem exploraverit episcopus. Hinc superiorissa tenetur episcopum certiorem facere, mense ante habitus susceptionem et professionem; quod si negligenter omiserit ab officio suspenditur.

4° In capite 18, excommunicantur qui quamcumque mulierem, præterquam in casibus a jure expressis, invitam cogunt ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum, vel ad emittendam professionem, et qui ad hoc consilium, auxilium vel favorem dederunt. *Sebastianelli, De Regularibus, tit. IV, n.* 327.

649. **In institutis votorum simplicium** valet dispositio tridentina de voluntate puellarum exploranda antequam ad habitum vel professionem admittantur.

" Propterea superiorissa tenetur certiorem facere episcopum ante mensem de vestiendis et de admittendis ad primam votorum emissionem.—Antequam postulans ad novitiatum admittatur, præfecta convenire potest cum ipsa et cum ejus parentibus sive tutoribus de expensis solvendis pro victu et vestitu usque ad professionem.—Pecunias, indumenta, supellectilem et res alias quas postulans secum affert, præfecta diligenter adnotet et custodiat, ut omnia reddantur ipsi postulanti si exeat ab instituto, non emissa professione. Ut cautum sit libertati tum candidatæ, tum etiam instituti, non probantur actus donationis quibus candidata dominium rerum suarum transferat ad institutum, antequam professionem votorum emiserit." *Normæ S. C. Episc. et Reg., art.* 80, 81, 82, 83, 84.

650. **Quoad privilegia novitiorum,** quatenus comparantur clericis, novitii gaudent privilegio canonis et fori, participant indulgentias atque privilegia specialiter concessa

religioni, et a proprio prælato sui Ordinis absolvi possunt a reservatis, juxta facultates regularibus concessas.

651. **Recensitæ juris dispositiones relate ad novitiatum** obligant ordines religiosos pro quibus fuerunt latæ. Attamen Sacra Congregatio Episc. et Regul., quæ approbat constitutiones congregationum religiosarum, prædictas juris dispositiones introducit in earum constitutionibus. Normæ quas præfata Congregatio edidit circa modum procedendi in approbandis novis institutis, et quarum articulos plures retulimus, clare manifestant eam esse Sedis Apostolicæ mentem, ut scilicet in posterum instituta religiosa assimilentur ordinibus formalibus.

TITULUS IV

DE PROFESSIONE RELIGIOSA

Elapso probationis tempore, superiores novitios quos ad profitendum habiles invenerunt, ad vota admittant.

652. **Professio religiosa definiri potest:** Promissio libere facta et legitime acceptata, qua quis in debita ætate constitutus, post tempus probationis expletum, tribus votis substantialibus Deo se adstringit in religione ab Ecclesia approbata. *Ferraris*, v. *Professio regularis.*

653. **Professio est simplex vel solemnis.** Prior est illa in qua emittuntur vota simplicia; posterior vero habetur ubi vota sunt solemnia.

Alia est professionis divisio in *expressam* et *tacitam.* Expressa est ea quæ verbo, scripto, vel alio signo consensum sufficienter manifestante, exprimitur; tacita vero est ea quæ deducitur ex quibusdam factis.

654. **Jure Decretalium, professio tacita verificabatur** 1° quando quis, in religione in qua habitus novitiorum erat distinctus ab habitu professorum, expleto probationis anno, assumebat habitum professorum et illum deferebat per triduum; 2° per gestationem habitus professorum per tempus a jure requisitum, si habitus novitiorum ab habitu professorum non erat distinctus; 3° quando quis, assumpta veste professorum, actibus propriis professorum se ingerebat.

Professio tacita fuit abrogata pro monasteriis virorum, decreto Sacræ Cong. super Statu Regularium, 12 Julii 1858, in quo statuitur " ad valide emittenda vota solemnia post vota simplicia requiri professionem expressam et ideo professionem tacitam omnino abrogatam esse." Ergo, concludit *Piat, De Jure Regularium, vol. I, part. II, cap.* 4, cum

illud decretum sit correctorium juris antiqui et strictæ interpretationis, professio tacita non censetur abrogata pro monialibus et pro votis simplicibus virorum.

655. **Professio simplex præcedit professionem simplicem.**

1⁰ Ex litteris S. C. super Statu Regularium 19 Martii 1857, novitii, post probationem legitime peractam, debent emittere vota simplicia in quibus per triennium remanere debent ; eo elapso, ad professionem votorum solemnium admitti poterunt. Dari potest exceptio pro casu quo emittens professionem ligaretur matrimonio tantum rato ; tunc ab Apostolica Sede obtineri posset dispensatio.

2⁰ Ex decreto 7 Feb. 1862, pro nulla habenda est professio votorum solemnium, non præmissa professione votorum simplicium.

3⁰ Poterit Superior Generalis, vel superior provincialis, ex justis et rationabilibus causis, professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra ætatem annorum vigenti quinque expletorum. Si vero provinciales non habeantur in ordine, facultas differendi professionem votorum solemnium attribuitur superiori domus, de consensu tamen magistri novitiorum et duorum religiosorum qui in ordine aliquo gradu sunt insigniti.

656. **Circa interpretationem illius decreti,** plura dubia orta sunt, ad quorum solutionem prodiit decretum *Sanctissimus* 12 *Jun.* 1858 :

“ 1⁰ Vota simplicia, de quibus agitur, perpetua erunt ex parte voventis, utpote quæ tendunt ad emittenda deinde vota solemnia, in quibus perfectionem et complementum accipient.

2⁰ Eorumdem votorum simplicium dispensatio reservata est Romano Pontifici, cui professi, gravibus urgentibus causis, preces porrigere poterunt.

3⁰ Verum eadem simplicia vota solvi etiam possunt *ex*

parte ordinis, in actu dimissionis professorum, ita ut, data dimissione, professi ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant.

4⁰ Facultas autem dimittendi professos votorum simplicium de quibus agitur, spectat ad Magistrum Generalem ordinis cum suo consilio generali. Idem Magister Generalis cum suo consilio generali poterit in casibus extraordinariis, et præsertim pro regionibus et locis longinquis, ad dimissionem decernendam subdelegare religiosos probos et prudentes, qui saltem tres esse debent.

5⁰ Licet ad decernendam dimissionem neque processus, neque judicii forma requiratur, sed ad eam procedi possit, sola facti veritate inspecta, tamen superiores procedere debent summa charitate, prudentia, et ex justis et rationabilibus causis, quacumque humana affectione remota; secus eorum conscientia graviter onerata remaneat. Nemo autem, ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium superventæ, dimitti poterit.

6⁰ Professi dictorum votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum et privilegiorum quibus professi votorum solemnium in memorato ordine legitime utuntur, fruuntur et gaudent.

7⁰ Superiores regulares ad quos spectat, concedere poterunt hujusmodi professis litteras dimissorias tantum ad primam tonsuram et ad ordines minores, servatis tamen de jure servandis, et præsertim quæ circa ordinationem regularium ab Apostolica Sede præscripta sunt.

8⁰ Anni professionis, qui in dicto ordine requiruntur ut quis voce activa et passiva gaudeat, et ad officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium computantur; et professi votorum simplicium suffragium habent in actis capitularibus sui conventus, quatenus et prout habent solemniter professi.

9° Professi votorum simplicium dominium radicale, ut aiunt, suorum bonorum retinere poterunt; sed eis omnino interdicta est eorum administratio, et reddituum erogatio, atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere, pro tempore quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usumfructum et usum quibus eis placuerit, et etiam suo ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint.

10° Professi votorum simplicium debent in domibus professorii et studiorum remanere, et vitam communem perfectam observare.

11° Ad valide emittenda vota solemnia post vota simplicia requiritur professio expressa, et ideo professio tacita omnino abrogata est."

657. **Apud moniales votorum solemnium eadem viget disciplina.** Ex decreto *Perpensis* 3 Maii 1902, expleta probatione, novitiæ emittunt vota simplicia et ad professionem solemnem non admittuntur nisi per triennium integrum in votis simplicibus steterint.

Poterit professio solemnis differri ex justis et rationabilibus causis, non tamen ultra ætatem annorum viginti quinque expletorum.

Ad dimittendas e monasterio professas votorum simplicium, recurrendum erit in singulis casibus ad S. Sedem, distincte exponendo graves causas quæ dimissionem suadere seu exigere videantur.

658. **In institutis votorum simplicium** quorum constitutiones hodie approbantur a S. Congregatione Episc. et Reg., novitiæ, expleto novitiatu, non statim ad vota perpetua admittuntur.

" Tria vota emittuntur ad annum per periodum trium annorum minimum, et sex annorum ut maxime.—Post tres annos votorum annualium fieri potest, si instituto placet, alia professio triennalis; ita prorsus ut universa periodus votorum

temporaneorum extendatur ad sex annos maximum.—Elapso tempore votorum temporaneorum in constitutionibus præfinito, soror admittenda est ad vota perpetua si digna est; si secus, ab instituto dimittatur." *Normæ S. C. Episc. et Reg., art.* 103, 104, 105.

659. **Ut valeat professio tria requiruntur:**

1⁰ Capacitas profitentis quæ tria involvit, nempe *a)* aetatem legitimam, *b)* carentiam impedimenti, *c)* præviam probationem saltem per unum annum.

2⁰ Consensus plenus atque perfectus voventis. Hinc professio inducta ex vi et dolo nulla est jure naturali; professio inducta ex metu est nulla jure positivo. Ut professio declaretur nulla ex capite metus, oportet ut metus sit gravis, injustus, externus et ad extorquendum consensum incussus.

3⁰ Acceptatio ex parte religionis, id est per superiorem legitimum sub pœna nullitatis.

4⁰ In institutis votorum simplicium a S. Sede approbatis, præscribitur ante primam professionem, *a)* exercitia spiritualia per decem dies; *b)* dispositio bonorum; *c)* quoad sorores, episcopalis exploratio. *Normæ, art.* 96, 97, 98.

660. **Cujus est admittere ad professionem?**

1⁰ *Quoad viros religiosos,* triplex datur sententia. Prima docet *de jure communi* admissionem ad solum pertinere prælatum religionis, absque ullo capituli conventualis interventu. Quia actus receptionis ad professionem est actus jurisdictionis, ideoque ab illo tantum poni vel exerceri potest, qui totam communitatem repræsentat, utpote qui ab ea potestatem ipsam regendi accepit. In favorem hujus opinionis allegatur Conc. Trid., sess. XXV, cap. 16, De Regularibus.

Secunda sententia docet hanc potestatem *de jure communi* residere apud superiorem simul et capitulum.

Tertia sententia distinguit inter professionem simplicem et

solemnem. *Quoad simplicem professionem*, requiritur consensus tum superioris regularis, tum majoris partis communitatis novitiatus. *Quoad solemnem professionem*, prælatus audire quidem debet capitulum conventuale ad sui instructionem, sed non tenetur ejus resolutioni stare. *Piat, De Jure Regul., vol. I, pars II, c.* 4.

2⁰ *Apud moniales stricte dictas* admissio tum ad professionem simplicem, tum ad professionem solemnem, salvo episcopi jure de examinandis monialibus ante earum professionem, pertinet ad superiorissam instituti, quæ audire debet capitulum conventuale ad suam instructionem, sed non tenetur ejus sententiæ stare. *S. Cong. Episc. et. Reg.*, 28 *Jul.* 1902.

3⁰ *Quoad congregationes religiosas* a S. Sede approbatas, statutum est in constitutione *Conditæ a Christo Ecclesiæ:* "Candidatos ad profitenda vota admittere, partes sunt Præsidum sodalitatum, integra tamen episcopi facultate ut cum de fœminis agitur, eas... ante professionem emittendam ex officio exploret."

661. **Professio emittenda est in manibus superioris.**

1⁰ *Quoad viros regulares*, professio tum simplex, tum solemnis emittenda est in manibus superioris provinciæ, ejusve delegati, nisi in aliquo ordine aliter statutum sit.

2⁰ *Quoad moniales stricte dictas*, emittunt professionem vel in manibus prælati regularis cui subeunt, vel episcopi loci ejusve delegati.

3⁰ *In institutis votorum simplicium* a S. Sede approbatis, " professio fieri dicatur in manibus moderatricis, vel sororis ad hoc ab ea deputatæ, acceptantis nomine instituti." *Normæ, art.* 101.

662. **Apud mulieres novitia non admittitur ad professionem antequam dotem solvat.**

1⁰ Disciplina hodierna Sacræ Cong. Episc. et Reg., in appro-

bandis constitutionibus piorum institutorum, est ut novitia ad profitendum non admittatur quin aliquam dotem solvat, a qua lege dispensari potest a Sancta Sede. " Periculosa videtur facultas imminuendi dotes, vel ab eis dispensandi, quæ conceditur moderatrici generali." *S. C. Episc. et Reg.*, 27 *Julii* 1860.

2° Quantitas dotis pro monialibus determinari nequit, quia in ea præfigenda respectus haberi debet expensarum quæ pro cujuslibet sustentatione necessariæ sunt. " Expedit ut dos æqualis pro omnibus constituatur." *Decretum S. C. Episc. et Regul.*, 11 *Julii* 1860.

3° Dos solvitur in professione : " Dos taxetur quidem ante tyrocinium, sed non persolvatur nisi quando vota emissa fuerunt." *Decretum* 14 *Maii* 1848.

4° Dos illa, a sororibus juxta constitutiones solvenda, investienda erit bonis stabilibus et fructiferis, et nequit alienari sine licentia Sanctæ Sedis.

5° Per professionem simplicem, monialis conservat dominium radicale suæ dotis. Hinc si e monasterio egrediatur, dos integra ei restituenda est. Attamen conventus retinere potest aliquam partem, ratione expensarum quæ factæ sunt ad sustentationem monialis, dum in conventu commorata est. *S. C. Episc. et Regul.*, 22 *Maii* 1895.

6° Per professionem solemnem, monasterium acquirit dominium definitivum dotis; hinc si monialis egrediatur, dotem repetere nequit. *Guide Canonique, pag.* 87 *et seq.*; *Normæ, art.* 91 *et seq.*

663. **Professio religiosa plures habet effectus.**

1° Professione profitens constituitur in statu religioso, proindeque ad vota sua religiosa obligatur.

2° Professus religioni ligatur et religio professo, ita ut etiam mutuo consensu illud vinculum dissolvi non possit.

3° Professus sui juris non manet, sed sub dominio et potestate religionis incorporatur tanquam verum et politicum ejus

membrum. Exinde sequitur *a)* quod superior religionis jus habet præcipiendi religioso, et hic ex justitia tenetur obedire ; *b)* religio tenetur illum alere et gubernare tam in temporalibus quam in spiritualibus ; *c)* quidquid acquirit professus, monasterio acquirit, si istud sit possidendi capax ; *d)* in monasterio manere debet, nisi de licentia superioris licite ad tempus extra moretur.

4° Professus liberatur a patria potestate. Hæc liberatio intelligenda est de eis quæ professum gravant, non de eis quæ ipsi favent : hinc professus conservat sua jura ad hæreditatem, sed bona acquirit non pro se sed pro monasterio.

5° Professus satisfacit pro peccatis, et remissionem pœnarum temporalium obtinet. Unde professio quamdam similitudinem cum baptismo habet, in quantum a pœna pro peccatis debita plenarie liberat, ita ut si professus tunc moreretur, ipsius anima statim ad paradisi gloriam evolaret : unde a S. Patribus professio religiosa dicitur secundum baptisma. *Piat, De Jure Regul., vol. I, pag.* 183.

6° Professio aufert irregularitatem ex defectu natalium ortam, in ordine ad suscipiendos sacros ordines, non vero prælaturas et dignitates intra religionem.

7° Professio extinguit omnia vota in sæculo emissa, quia in professione eminenter continentur.

8° Professio solemnis dissolvit matrimonium ratum tantum et irritat matrimonium contrahendum.

664. **Obligatio professionis quoad votum castitatis.** Professus tenetur sese abstinere ab omni actu venereo tum interno, tum externo. Ad castitatem servandam novo titulo, scilicet religionis, sese obligavit, ita ut violatio castitatis in regularibus duplicem malitiam habeat, unam contra castitatem, aliam contra religionem.

665. **Obligatio professionis quoad votum paupertatis.** Professus non habet usum independentem et liberum

bonorum pretio æstimabilium; hæc obligatio communis est omnibus professis, sive vota solemnia, sive simplicia emiserint. At vero distinguendum est inter votum solemne paupertatis et votum simplex.

1[0] Professus voti simplicis paupertatis conservat dominium radicale suorum bonorum. Si quæratur quid sit dominium radicale, sciendum est quod in dominio "distingui potest 1[0] purum et nudum jus, seu mera capacitas, 2[0] plena potestas ad exercitium, seu evolutio juris. Primum dici potest dominium in radice sua, seu dominium radicale. Secundum dici potest plenum dominium in sensu juridico, quo quis potest libere uti rebus propriis et de eis disponere." *Santi, Prœl. Jur. Can., tom. III, p.* 285.

a) Professo voti simplicis paupertatis omnino interdicitur bonorum suorum administratio, reddituum erogatio atque usus. Debet propterea ante professionem cedere administrationem et usum quibus ei placuerit, etiam suo instituto. *S. Cong. Episc. et Reg.*, 7 *Feb.* 1862.

b) Hæc cessio vim amittit in casu egressûs ab instituto. *S. C. Episc. et Regul.*, 12 *Julii* 1861.

c) Imo huic cessioni apponi potest conditio, quod sit quandoque revocabilis, etiamsi in instituto vovens permanserit; sed professus, durantibus votis, hoc jure revocandi in conscientia uti minime poterit, nisi accedente Apostolicæ Sedis placito. *S. C. Episc. et Reg.*, 20 *Dec.* 1761.

d) Professus potest acquirere per donationem vel testamentum, sed tenetur committere alteri administrationem horum bonorum quæ post professionem ei obveniunt, neque ei licet reddituum erogationem et usum retinere. *S. C. Episc. et Reg.*, 12 *Jul.* 1861.

e) Potest tamen simpliciter professus de dominio per testamentum, cum licentia Superioris Generalis, per actus inter vivos disponere, nec ei vetitum est, de licentia ejusdem Supe-

rioris, ea proprietatis acta peragere quæ a legibus præscribuntur. *S. C. Episc. et Reg.*, 12 *Jul.* 1861.

2° Professus voti solemnis, præter obligationem non utendi rebus sine superioris licentia, fit perpetuo inhabilis ad dominium et proprietatem bonorum temporalium. Potest autem acquirere per donationes inter vivos et per testamentum, non proprio nomine, sed nomine sui monasterii, ita ut quidquid acquirit monasterio acquirat. Hinc Conc. Trid., sess. XXV, cap. 2, De Regul., mandat ut "nemini regularium tam virorum quam mulierum liceat bona immobilia vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint et quovis modo acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine conventus, possidere vel tenere, sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur."

666. **Inhabilitas ad possidendum afficit professos, non autem monasterium.** Ipsum monasterium potest possidere res mobiles vel immobiles animo dominii; datur exceptio pro fratribus Sti Francisci, Capuccinis et eis qui minorum de Observantia vocantur. *Conc. Trid., sess. XXV, cap. III, De Reg.*

Cum illa incapacitas sit de jure ecclesiastico, Summus Pontifex ab ea dispensare potest, uti de facto pluries dispensavit.

1° Quia in nonnullis regionibus, gubernia civilia ordinibus religiosis denegant jus proprietatis et possessionis, hæc autem jura concedunt religiosis personis quas capaces proprietatis habent, Ecclesia permisit ut proprietas monasteriorum inscriberentur in tabulis publicis nomine duorum vel trium religiosorum, qui realiter non sunt nisi *fiduciarii*, et indulsit ut *civiliter* apparerent uti proprietarii, et ponerent actus qui nonnisi a proprietariis edi valent. In hoc sensu referuntur plura indulta Sacræ Pœnitentiariæ.

Hinc 2° non adversatur voto paupertatis *peculium* quod

in pluribus ordinibus professis erogatur. Nomine *peculii*, intelligitur aliquod bonum temporale quod a superiore conceditur professo, non ad proprietatem, sed ad merum usum facti et revocabiliter ad nutum concedentis. Concilium Trid., loco citato, improbavit peculia religiosorum, sed consuetudo universalis quæ adversatur decreto Tridentino permittit regularibus ut habeant peculium. *Sebastianelli, De Regul., n.* 331.

Peculium generatim constat aliqua summa pecuniæ quæ professo traditur ad suas quotidianas expensas pro victu et itinere, etc.

Quamvis Sancta Sedes peculia non improbet, attamen ad licite ea habenda statuitur ut religiosi peculio non utantur nisi ex causis justis et necessariis, a Superiore approbatis, ac parati sint ad peculium exhibendum superiori ad nutum ejusdem superioris. Item inducitur ut in monasterio habeatur arca in qua omnium peculia deponantur, quæ hac ratione vocatur *arca peculiorum.*

Quia perfectius est ut professi ne peculium quidem retineant, Pius IX, per organum S. Cong. Episc. et Regul., 22 Apr. 1851, mandavit ut "in omnibus novitiatus domibus vita perfecte communis introducatur."

667. **In institutis votorum simplicium a S. Sede approbatis,** "per votum simplex paupertatis sorores renuntiant juri licite disponendi de re quacumque temporali sine venia legitimorum superiorum.—Prohibitum est sororibus retinere per seipsas administrationem bonorum suorum quorumcumque.—Propterea ante primam votorum emissionem disponere debent de usu et usufructu reddituum vel fructuum bonorum suorum quomodo ipsis placuerit, et etiam, si ita pro earum arbitrio existimaverint, in favorem sui instituti. Debent etiam ante prima vota cedere administrationem suorum bonorum personæ vel personis sibi bene visis; et, si libere velint, etiam proprio instituto præmonito et acceptanti.—Cessio administrationis, usus et ususfructus vim amplius

non habebit in casu egressus ab instituto; quinimo apponi poterit conditio quod sit quandocumque revocabilis.—Revocatio autem et etiam mutatio horum actuum cessionis licite fieri nequit durantibus votis sine licentia Moderatricis generalis.—Dispositio de usu et usufructu et designatio administratoris fieri possunt per actum sive publicum, sive privatum.—Professæ retinent dominium radicale bonorum; imo ipsis prohibetur se abdicare hoc dominio radicali ante professionem votorum perpetuorum per actus inter vivos.—Convenit tamen ut omnes et singulæ, antequam vota temporanea primo emittant, de suis bonis præsentibus et futuris per testamentum omnino libere disponant.—Ut sorores in perpetuum professæ licite se spoliare possint dominio radicali omnium bonorum suorum per actus inter vivos, requiritur licentia Apostolicæ Sedis.—Sorores professæ tum ad faciendum, tum ad mutandum testamentum indigent venia Apostolicæ Sedis; attamen in casibus vere urgentibus sufficiet licentia vel Ordinarii, vel Moderatricis generalis, vel etiam, si aliter fieri nequit, Superiorissæ localis.—Sororibus vetitum non est ea proprietatis acta peragere quæ a legibus præscribuntur, de licentia tamen Moderatricis generalis, et, si casus urgeat, moderatricis localis.—De dote Instituto allata sorores nullo modo disponere possunt." *Normæ S. Cong. Episc. et Reg., art.* 113-128.

668. **Obligatio professionis quoad votum obedientiæ.** Professus tenetur ad obedientiam præstandam debitis superioribus, quorum mandata obligant in conscientia.

Hæc necessitas parendi superiori præcipienti descendit a potestate dominativa quam habet superior in voluntatem inferioris, vi voti, et qua potest subditum applicare ad opera monasterii. Unde in ordinibus religiosis distinguere est duplicem potestatem: *potestatem jurisdictionis,* quæ est pars potestatis clavium et qua superior potest leges ferre, reos judicare, eosque per censuras et alias pœnas coercere; *potesta-*

tem dominativam, quæ oritur ab ipsa professione religiosa et imitatur illam quam habet paterfamilias in domo sua. Superiorissæ monialium, quibus deneganda est potestas jurisdictionis, exercent potestatem dominativam, vi cujus applicant sibi subditas ad opera monasterii.

669. **Professus tenetur obedire suo** superiori *intra limites suæ regulæ,* id est, ad omnia quæ ad perfectam illius observantiam vel necessaria vel utilia esse possunt. Nam, ut ait S. Bernardus : " Is qui profitetur spondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam sed determinatam secundum regulam." Cum votum non obliget ultra intentionem voventis, ad materiam voti non pertinent ea quæ sunt *supra, contra,* vel *præter* regulam. *Suarez, De Religione, lib. X, cap.* 8.

In regula continentur implicite quæ sunt moraliter necessaria ad conservationem instituti, ad mutua charitatis officia, correctionem defectuum et ad ordinem regularem servandum, ut obtineatur finis proprius instituti.

Hinc 1° Superiores rationem habere debent finis regularum et traditionum sui instituti, quando subditis præcipiunt ; v. g. superior ordinis contemplativi non posset exigere a suis subditis ut se ministerio publico tradant, quia licet sit opus charitatis, est alienum a fine instituti.

Hinc 2° multum errant qui asserunt talem esse obedientiam monachis impositam, ut inducantur ad faciendum, *cæca mente,* quidquid, vel injuste, superior mandaverit. Religiosus non tenetur vi sui voti, nec potest exsequi mandatum sui superioris, si res præcepta sit illicita. Quinimo religiosus qui se existimat injuste gravatum ex dispositione sui superioris, potest ad prælatos superiores recurrere.

Hinc 3° non obligaret præceptum quo superior suo subdito indiceret ne aliter de suis fortunis quam in gratiam suæ congregationis disponat. *Cf. Prælectiones Sti Sulpicii, vol. II, n.* 478.

670. **Ratione voti, professus tenetur obedire superiori præcipienti, non vero ad servandam regulam.**

" Votum obedientiæ, ait *Suarez, De Religione, tom. IV, lib. I, cap.* 2, non obligat ad servandam regulam, sed ad obediendum secundum regulam " Generatim regula non obligat sub culpa, *per se ;* attamen, *per accidens*, fieri potest ut transgressio regularum sit peccatum non tantum veniale sed et mortale, quando, v. g. grave detrimentum disciplinæ regulari infertur, vel religiosus probabili periculo amittendi gratiam suæ vocationis sese exponit, aut violat regulas sui instituti ex contemptu.

Præceptum superioris obligat *sub gravi,* si jubeat in materia gravi, *in virtute sanctæ obedientiæ, in nomine Dei,* vel simili forma; *sub veniali,* si alia forma remissiori utatur; *sub pœna subeunda,* quin nulla sit obligatio conscientiæ, quando ita res communiter sumitur ex usu recepto in ordine. *Icard, loco citato.*

671. **Ex voto obedientiæ deducitur promissiones professi, sive Deo, sive hominibus factas, irritari posse a superioribus :** " Si tanta est potestas prælati religionis in voluntatem subditorum ut etiam obligationem Deo factam pro suo arbitrio possit auferre, profecto eamdem vel majorem habet ad irritandam omnem aliam obligationem quam quovis modo religiosus sua voluntate contraxit." *Suarez, tom. III, lib. II, cap.* 14. Ratio est, quia hæ promissiones semper fiunt sub conditione saltem tacita: *si superior non contradixerit.* Præterea religiosus non amplius habet velle et nolle, sed ejus voluntas est apud superiorem.

672. **In institutis votorum simplicium a S. Sede approbatis,** " per votum obedientiæ soror assumit obligationem obediendi præcepto legitimi superioris in eis quæ pertinent directe vel indirecte ad vitam instituti, hoc est ad observantiam votorum et constitutionum. Non exacte diceretur constitutiones instituti observandas esse *vi voti,* ita ut soror peccet contra votum obedientiæ quotiescumque agit contra aliquod punctum constitutionum. Ex virtute obedien-

tiæ soror tenetur obligatione implendi dispositiones constitutionum et superiorum. Vi voti tenetur soror obedire tunc tantum cum legitimus superior præcipit expresse *in virtute sanctæ obedientiæ*, vel *sub formali præcepto*, aut verbis æquivalentibus, juxta proprias constitutiones." *Normæ S. C. Episc. et Reg., art.* 132-135.

673. **Votum obedientiæ non obligat ad conscientiæ manifestationem superiori faciendam.** Cum plures superiores exigerent non tantum manifestationem publicarum transgressionum, sed interrogarent subditos circa profectum spiritualem, tentationes, et in genere circa materiam confessionis sacramentalis, Leo XIII, ad coercendos tales abusus, edidit suum decretum *Quemadmodum*, die 17 Dec. 1890:

1° " Sanctitas Sua irritat, abrogat et nullius in posterum valoris declarat quascumque dispositiones constitutionum piarum societatum, institutorum mulierum sive votorum simplicium, sive solemnium, necnon virorum omnimode laicorum, etsi dictæ constitutiones approbationem ab Apostolica Sede retulerint in forma quacumque, etiam quam aiunt specialissimam, in eo scilicet quod cordis et conscientiæ intimam manifestationem quovis modo ac nomine respiciunt...

2° Districte insuper prohibet memoratis superioribus ac superiorissis ne personas sibi subditas inducere pertentent directe aut indirecte... ad hujusmodi manifestationem conscientiæ sibi peragendam...

3° Hoc autem non impedit quominus subditi libere ac ultro aperire suum animum superioribus valeant ad effectum ab illorum prudentia in dubiis ac anxietatibus consilium et directionem obtinendi pro virtutum acquisitione ac perfectionis progressu.

4° Firmo remanente quoad confessarios ordinarios et extraordinarios quod statuitur in Trid., sess. XXV, cap. 10, De Reg., et in const. *Pastoralis curæ*, Sanctitas Sua præsules

superioresque admonet ne extraordinarium denegent subditis confessarium, quoties ut propriæ conscientiæ consulant ad id subditi adigantur, quin iidem superiores ullo modo petitionis rationem inquirant aut ægre id ferre demonstrent......

5⁰ Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad sacram synaxim accedendi, eadem Sanctitas decernit hujusmodi permissiones vel prohibitiones dumtaxat ad confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, quin superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis, post ultimam sacramentalem confessionem, communitati scandalo fuerit aut gravem externam culpam patraverit, donec ad pœnitentiæ sacramentum denuo accesserit."

674. **Obligatio professorum quoad clausuram.**

1⁰ Omnes fatentur difficilem esse, sine speciali Dei auxilio, observantiam trium votorum, præsertim voti castitatis, propter depravatas naturæ corruptæ concupiscentias. Ad occasiones peccatorum præcavendas, cautum fuit ut monachi cum mulieribus, moniales cum viris nullum haberent commercium, conversationem aut familiaritatem; serius inducta fuit lex clausuræ, quæ importat regulares e sua domo exire non posse, aut extraneas personas ad se admittere, absque debita superioris licentia.

2⁰ Clausura, sensu materiali, est spatium quod intra septa monasterii continetur, v. g. cellæ, officinæ, dormitorium, infirmaria, coquina; item horti et prata cum conventu conjuncta, necnon sacristia. Omnia loca comprehensa sub clausura muro aliquo circumscribi solent.

675. **Duplex clausura distinguitur: pontificia et episcopalis.** 1⁰ *Pontificia* est ea quæ obligat ordines religiosos, in quibus emittuntur vota solemnia, et a qua dispensat Summus Pontifex; *episcopalis* ea est quæ viget in institutis votorum simplicium et a qua episcopus dispensare potest.

2° In præsenti Ecclesiæ disciplina, non dantur vota solemnia sine clausura papali ; ideoque quando in aliquo monasterio nulla clausura servatur, vel clausura tantum episcopalis, est argumentum quod vota quæ ibi emittuntur sunt simplicia.

3° Alia est lex clausuræ pro monialibus, alia pro viris.

676. **De clausura monialium.** Usque ad sæculum XIII, lex clausuræ, nulla lege communi præcepta, constitutionibus particularibus inducebatur. Bonifacius VIII primus edidit litteram decretalem de clausura a monialibus servanda, quæ executioni non fuit demandata. Concilium Trid., sess. XXV, cap. 5, De Regul., renovavit dispositionem Bonifacii VIII : " Nemini sanctimonialium liceat post professionem exire a monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab episcopo approbanda." S. Pius V, constitutione *Decori et honestati*, est legislator clausuræ. Episcopus constituitur custos clausuræ, et tenetur eam introducere, eam violatam restituere animadvertendo in contradictores pœnis et censuris.

677. **Ratione clausuræ, moniales non possunt egredi extra claustra,** sub quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab episcopo approbanda. Causa legitima est illa quæ gravem aliquam necessitatem secum fert. S. Pius V, in constitutione *Decori*, recenset tres causas, i. e. incendium, epidemiam et lepram. Illi casus intelligendi sunt *exemplariter* non *taxative*, ita ut in casibus ejusdem vel majoris momenti monialibus egredi liceat, v. g. propter ruinam ædificii vel inundationem fluminis. Exstante gravi causa quæ licitum reddit monialis egressum, requiritur episcopi licentia, cujus est probare an causa sufficiens sit. Si adsit periculum in mora, licitum erit moniali e claustro exire antequam habeat episcopi licentiam, sed quamprimum tenetur rem superiori manifestare.

Præter hos casus, monialis nequit exire a suo monasterio

sine licentia S. Sedis; quod si egreditur sine tali licentia, incurrit excommunicationem Summo Pontifici reservatam.

678. **Ratione clausuræ, prohibetur personis extraneis ingressus** in claustra monialium: " Violantes clausuram monialium, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes, incurrunt excommunicationem Rom. Pontifici reservatam." Const. *Apostolicæ Sedis.*

1° Disciplina prohibens ingressum in claustra monialium non afficit episcopos, quibus permittitur ingredi monasteria causa visitationis faciendæ, neque alias personas, dummodo agatur de casu aliquo necessario, et habeatur licentia superioris.

2° Hæc necessitas ex parte monasterii triplex esse potest, scilicet ad ministrationem sacramentorum, ad curam infirmorum et ad commune servitium. Ex hoc capite, licet confessario ingredi monasterium ut ministret sacramenta pœnitentiæ, eucharistiæ et extremæ unctionis; medicis et chirurgis ut curent infirmas; operariis ad commune servitium monasterii.

3° Præter casum necessitatis, requiritur licentia episcopi, quæ pro medicis et chirurgis dari solet generaliter pro casibus emergentibus.

679. **De clausura virorum regularium.** Lex clausuræ, quatenus monasteria virorum afficit, prohibet duo, regularium nempe egressum et ingressum mulierum.

1° Egressus virorum regularium non est licitus, nisi de legitima superioris licentia. Sic enim statuit Clemens VIII: " Nullus e conventu egredi audeat, nisi ex causa et cum socio, licentiaque singulis vicibus impetrata a superiore; qui non aliter eam concedat nisi causa probata, sociumque exituro adjungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eumdem sæpius. Licentiæ vero generales exeundi nulli concedantur."

2° Ingressus mulierum in septa monasterii vivorum regu-

larium prohibetur sub pœna excommunicationis S. Pontifici reservatæ; quam incurrunt tum ipsæ mulieres violantes clausuram, sub quocumque prætextu, tum superiores et alii eas admittentes.

Dicitur *a) ingressus mulierum*, cujuscumque conditionis. Excipiuntur reginæ, imperatrices, earum filiæ et aliæ feminæ quæ eas comitantur.

Dicitur *b) in septa monasterii regularium*, id est vota solemnia emittentium. Pœna enim excommunicationis non respicit alios conventus, nisi in ipsis sit clausura ad instar clausuræ regularis ex privilegio constituta.

680. **In institutis votorum simplicium, viget clausura episcopalis.** " In omnibus domibus pars quædam pro ipsis sororibus reservetur in qua nullus alius admittatur. — Quoties medicus aut confessarius aut opifices hanc partem ad propria munera exercenda ingredi debent, binæ sorores eos comitentur. — Episcopi erit curare ut hæc partialis clausura rite servetur, et quidquid in eam irrepat vitii cohibere.— Quoties sorores e domo, quacumque causa, egrediuntur, sociam a superiorissa designandam habeant. — Ad solis occasum januæ domus occludendæ, et claves superiorissæ tradendæ sunt." *Normæ S. C. Episc. et Reg., art.* 171-177.

Viget clausura episcopalis in illis institutis quæ olim vota solemnia emiserunt, sicut in Gallia et Belgio, sed quorum vota sunt nunc simplicia. Hæc clausura episcopalis non protegitur censuris latis a jure communi contra violatores clausuræ papalis; sed est in potestate episcopi clausuram urgere pœnis a se latis.

TITULUS V

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM

681. **Præcipuum Regularium privilegium omnibus ordinibus commune** est privilegium exemptionis, quo regulares et eorum monasteria subtrahuntur a jurisdictione episcoporum et S. Pontifici immediate subduntur.

1⁰ Auctores assignant plures causas hujus exemptionis, quarum prima est ne unitas congregationis dissolvatur; si unumquodque monasterium dependeret ab episcopo diœcesano, ejus verus superior esset episcopus, et ordo habens monasteria in diversis diœcesibus tot haberet superiores quot essent episcopi diœcesani. Alia ratio est ut conservetur et promoveatur disciplina regularis, cum omnes religiosi ab eodem superiore dependeant.

2⁰ Non in omnibus eximuntur regulares a jurisdictione episcopi; ipsi regulares distinguunt inter *legem diœcesanam* et *legem jurisdictionis.* Lex diœcesana respicit actus a quibus regulares dicuntur exempti, dum lex jurisdictionis complectitur actus quibus ipsi subjiciuntur.

682. **Qualis est regularium exemptio?** Oportet distinguere instituta mere diœcesana ab institutis a Sede Apostolica approbatis in quibus emittuntur vota simplicia, et ab ordinibus formalibus in quibus viget votorum solemnitas, sive virorum, sive mulierum.

683. **Relate ad illa instituta mere diœcesana,** attendendum est ad bullam *Conditæ a Christo Ecclesiæ*, editam die 8 Dec. 1900, quæ relationes inter Ordinarium loci et hæc instituta recenset :

« 1⁰ Episcopi est quamlibet recens natam sodalitatem non

prius in diœcesim recipere, quam leges constitutionesque cognoverit, itemque probaverit, si videlicet neque fidei, honestative morum, neque sacris canonibus et pontificum decretis adversentur, et si apte statuto fini conveniant.

2° Domus nulla novarum sodalitatum justo jure fundabitur, nisi annuente probante episcopo. Episcopus vero fundandi veniam ne impertiat, nisi inquisitione diligenter acta quales sint qui id poscant: an recte probeque sentiant, an prudentia præditi, an studio divinæ gloriæ, suæque et alienæ salutis præcipue ducti.

3° Episcopi, quoad fieri possit, potius quam novam in aliquo genere sodalitatem condant vel approbent, utilius unam quamdam adsciscent de jam approbatis, quæ actionis institutum profiteatur adsimile. Nullæ fere, nisi forte in Missionum regionibus, probentur sodalitates, quæ, certo proprioque fine non præstituto, quævis universe pietatis ac beneficientiæ opera, etiamsi penitus inter se disjuncta, exercenda amplectantur..

4° Sodalitas quævis diœcesana ad diœceses alias ne transgrediatur, nisi consentiente utroque episcopo, tum loci unde excedat, tum loci quo velit commigrare.

5° Sodalitatem diœcesanam si ad diœceses alias propagari accidat, nihil de ipsius natura et legibus mutari liceat, nisi singulorum episcoporum consensu, quorum in diœcesibus ædes habeat.

6° Semel approbatæ sodalitates ne exstinguantur, nisi gravibus de causis, et consentientibus episcopis, quorum in ditione fuerint. Singulares tamen domos episcopis, in sua cuique diœcesi, tollere fas est.

7° De puellis habitum religiosum petentibus, item de iis quæ, probatione expleta, emissuræ sint vota, episcopus singulatim certior fiat ; ejusdem erit illas et de more explorare et, nihil si obstet, admittere.

8° Episcopo alumnas sodalitatum diœcesanarum professas dimittendi potestas est, votis perpetuis æque ac temporaneis remissis, uno dempto (ex auctoritate saltem propria) colendæ perpetuo castitatis. Cavendum tamen ne istiusmodi remissione jus alienum lædatur; lædetur autem, si insciis moderatoribus id fiat justeque dissentientibus.

9° Antistitæ, ex constitutionum jure, a Sororibus eligantur. Episcopus tamen, vel ipse vel delegato munere, suffragiis ferendis præerit: peractam electionem confirmare vel rescindere integrum ipsi est pro conscientiæ officio.

10° Diœcesanæ cujusvis sodalitatis domos episcopus invisendi jus habet, itemque de virtutum studio, de disciplina, de œconomicis rationibus cognoscendi.

11° Sacerdotes a sacris, a confessionibus, a concionibus designare, item de sacramentorum dispensatione statuere munus episcoporum est, pro sodalitatibus diœcesanis pariter ac pro ceteris; id quod in capite consequenti (n. 8) explicate præfinitur."

684. **Relate ad sodalitates quarum Apostolica Sedes** vel leges recognovit, vel institutum *recenter* approbavit, hæc sunt episcopi jura:

" 1° Candidatos cooptare, eosdem ad sacrum habitum vel ad profitenda vota admittere, partes sunt Præsidum sodalitatum; integra tamen episcopi facultate, a synodo Tridentina tributa, ut, cum de feminis agitur, eas et ante suscipiendum habitum et ante professionem emittendam ex officio exploret. Præsidum similiter est familias singulas ordinare, tirones ac professos dimittere, iis tamen servatis quæcumque ex instituti legibus, pontificiisque decretis servari opertet. Demandandi munera et procurationes, tum quæ ad universam sodalitatem pertinent, tum quæ in domibus singulis exercentur, Conventus seu Capitula, et Consilia propria jus habent. In muliebrium autem sodalitatum Conventibus ad munerum assigna-

tionem, Episcopus, cujus in diœcesi habentur, per se vel per alium præerit, ut Sedis Apostolicæ delegatus.

2⁰ Condonare vota, sive ea temporaria sint sive perpetua, unius est Romani Pontificis. Immutandi constitutiones, utpote quæ probatæ a Sede Apostolica, nemini Episcoporum jus datur. Item regimen, quod penes moderatores est sive sodalitatis universæ sive familiarum singularum ad constitutionum normam, Episcopis mutare, temperare ne liceat.

3⁰ Episcoporum sunt jura, in diœcesi cujusque sua, permittere vel prohibere novas domos sodalitatum condi; item nova ab illis templa excitari, oratoria seu publica seu semipublica aperiri, sacrum fieri in domesticis sacellis, Sacramentum augustum proponi palam venerationi fidelium. Episcoporum similiter est solemnia et supplicationes, quæ publica sint, ordinare.

4⁰ Domus sodalitatum hujusmodi si clausura episcopali utantur, Episcopis jura manent integra, quæ de hac re a pontificiis legibus tribuuntur. Si quæ autem clausura, ut inquiunt, partiali, utantur, Episcopi erit curare ut rite servetur, et quidquid in eam irrepat vitii cohibere.

5⁰ Alumni alumnæve sodalitatum harum, ad forum internum quod attinet, Episcopi potestati subsunt. In foro autem externo, eidem subsunt quod spectat ad censuras, reservationem casuum, votorum relaxationem quæ non sint Summo Pontifici reservata, publicarum precum indictionem, dispensationes concessionesque ceteras, quas Antistites sacrorum fidelibus suis impertire queant.

6⁰ Si qui vero ad sacros ordines promoveri postulent, eos Episcopus, etsi in diœcesi degentes, initiare caveat, nisi hisce conditionibus: ut a moderatoribus quisque suis proponatur; ut quæ in jure sacro sancita sunt de *litteris dimissorialibus* vel *testimonialibus* sint rite impleta; ut *titulo sacræ ordinationis* ne careant, vel certe eo legitime eximantur; ut

theologiæ studiis operam dederint, secundum decretum *Auctis admodum*, die datum 4 Nov. 1892.

7⁰ In sodalitates, quæ mendicato vivunt, ea Episcopis stent jura, quæ habet decretum *Singulare quidem* a sacro Consilio Episcopis et Religiosorum ordinibus præposito promulgatum die 27 Martii 1896.

8⁰ In iis quæ ad spiritualia pertinent subduntur sodalitates Episcopis diœcesium in quibus versantur. Horum igitur erit sacerdotes ipsis et a sacris designare et a concionibus probare. Quod si sodalitates muliebres sint, designabit item episcopus sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extra ordinem, ad normam constitutionis *Pastoralis curæ*, a Benedicto XIV, decessore nostro editæ, ac decreti *Quemadmodum*, dati a Sacro Consilio Episcopis et Religiosorum ordinibus præposito, die 17 Dec. 1890; quod quidem decretum ad virorum etiam consociationes pertinet, qui sacris minime initiantur.

9⁰ Bonorum, quibus sodalitia singula potiuntur, administratio penes Moderatorem supremum, maximamve Antistitam, eorumque consilia esse debet: singularum vero familiarum redditus a præsidibus singulis administrari oportet, pro instituti cujusque legibus. De iis nullam Episcopus rationem potest exigere. Qui vero fundi certæ domui tributi, legative sint ad Dei cultum, beneficentiamve eo ipso loco impendendam, horum administrationem moderator quidem domus gerat, referat tamen ad Episcopum, eique se omnino præbeat obnoxium: ita nimirum ut neque Præposito, neque Antistitæ sodalitii universi liceat quidquam ex iis bonis Episcopo occultare, distrahere, vel in alienos usus convertere. Talium igitur bonorum Episcopus rationes accepti, impensique, quoties videbitur, expendet; item ne sortes minuantur, redditus ne perperam erogentur, curabit.

10⁰ Sicubi sodalitatum ædibus instituta curanda adjecta sint, uti gynæcea, orphanotrophia, valetudinaria, scholæ, asyla

pueris erudiendis, episcopali vigilantiæ ea omnia subsint quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem, integris tamen privilegiis, quæ collegiis, scholis, institutisve ejusmodi a Sede Apostolica sint tributa.

11° In quarumlibet sodalitatum domibus vota simplicia profitentium, Episcopis cujusque diœcesis jus est invisendi templa, sacraria, oratoria publica, sedes ad sacramentum pœnitentiæ, de iisque opportune statuendi, jubendi. In presbyterorum sodalitiis, de conscientia ac disciplina, item de re œconomica uni præsides cognoscent. In consociationibus vero feminarum, æque ac virorum qui sacerdotio abstinent, Episcopi erit inquirere num disciplina ad legum normam vigeat, num quid sana doctrina, morumve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum, num sacramenta æqua, stataque frequentia suscipiantur. Reprehensione dignum si quid Episcopus offenderit, ne decernat illico : moderatores uti prospiciant moneat ; qui si neglexerint, ipse per se consulat. Si quæ tamen majoris momenti occurrant quæ moram non expectent, decernat statim : decretum vero ad Sacrum Consilium deferat Episcopis ac Religiosorum ordinibus præpositum.

Episcopus, in visitatione potissimum, juribus utatur suis quod spectat ad scholas, asyla, ceteraque memorata instituta. Ad rem vero œconomicam quod attinet muliebrium sodalitatum itemque virorum sacerdotio carentium, Episcopus ne cognoscat nisi de fundorum, legatorumve administratione, quæ sacris sint attributa, vel loci aut diœcesis incolis juvandis."

685. **Quoad instituta votorum simplicium** quarum leges Apostolica Sedes *antiquitus* approbavit, nihil immutatum fuit in eorum constitutionibus : " Quæ hactenus ediximus, nihil penitus derogari volumus de facultatibus vel pri-

vilegiis, tum Nostro aut quovis alio Sedis Apostolicæ decreto concessis, tum immemorabili aut sæculari consuetudine confirmatis, tum etiam quæ in alicujus Sodalitatis legibus a Romano Pontifice approbatis contineantur."

686. **Ad viros religiosos quod attinet,** per se non subduntur jurisdictioni episcoporum, nisi in casibus a jure exceptis.

Multi sunt casus in quibus regulares, licet exemptione gaudeant, episcopo subduntur, sive *a)* jure ordinario, sive *b)* tanquam Sedis Apostolicæ delegato, sive *c) etiam* tanquam Sedis Apostolicæ delegato.

1° Regulares episcopo subduntur, si non adsit in conventu sufficiens religiosorum numerus. Urbanus VIII, constitutione *Nuper*, statuit ut monasteria et loca in quibus 12 religiosi sustentari atque inhabitare non poterunt, et actu non inhabitaverint, Ordinarii visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni subjecta esse intelligantur. Aliam sententiam tenet Constitutio *Romanos Pontifices* a Leone XIII edita, 8 Maii 1881, quatenus dat privilegium exemptionis etsi in monasterio 6 tantum sint religiosi. *Confer. num.* 629.

2° Regulares non possunt nova monasteria, domos, nec capellas a suis domibus sejunctas erigere, sine licentia episcopi loci. Si velint suam ecclesiam consecrari, debent recurrere ad episcopum diœcesanum, cui soli id competit, nisi habeatur speciale indultum S. Sedis.

3° Regulares subduntur Ordinario loci ratione ordinationis. *Cf. tit. 1, art.* 1, *n.* 57.

687. **Quoad officium parochiale,** quando parochia unita est monasterio, regularis quem superior conventus deputat ad munus pastorale, non potest curam animarum assumere absque prævia episcopi approbatione. Remanet jurisdictioni episcopi subjectus in omnibus causis et negotiis regiminis ecclesiæ, ita ut quidquid episcopus a parocho sæcu-

lari exquirere solet ad rectum regimen parochiæ, id omne a parocho regulari exquirere possit.

1⁰ Hinc parochus regularis subest visitationi episcopi in his quæ curam animarum et sacramentorum administrationem spectant, item quæ regimen temporale, seu rerum temporalium respiciunt.

2⁰ Episcopus, ubi compererit parochum regularem suo muneri defecisse, illum paterna charitate admonebit; et si necessarium sit, contra eum debitis pœnis animadvertet.

3⁰ Cum parochi regulares sint amovibiles, episcopus ad illorum remotionem procedere potest sine assensu superioris regularis, quin teneatur causas sui judicii aperire, multo minus probare.

4⁰ Hinc parochi regulares interesse debent cœtibus, qui collationes seu *conferentiæ* dicuntur. Const. *Romanos Pontifices*, 8 maii 1881.

688. **Quoad sacrum ministerium quod exercetur extra officium parochiale.**

1⁰ Regulares in suis ecclesiis prædicare volentes, se coram episcopis præsentare et ab eis benedictionem petere tenentur; in ecclesiis quæ suorum ordinum non sunt nullo modo prædicare valent, sine licentia episcopi; contradicente episcopo, nulli etiam in ecclesiis suorum ordinum prædicare licet. Const. *Inscrutabili* Gregorii XV.

2⁰ Nullus regularis potest confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, audire, nisi approbatus fuerit ab episcopo. Dicimus: *confessiones sæcularium*, quia regularibus, sine licentia Ordinarii loci, licet audire confessiones professorum, novitiorum et eorum qui sunt *de familia monasterii*. Const. *Superna* Clementis X.

3⁰ Regulares non debent administráre viaticum, nec extremam unctionem iis qui non sunt de familia monasterii, absque licèntia episcopi vel parochi. *Cf. tit XI, De Parochis, cap. 3, n.* 544.

4° Non possunt, etiam in propriis ecclesiis, Sanctissimum Sacramentum publice adorandum exponere fidelibus, nisi ex causa quæ sit probata ab episcopo, nec novas reliquias ab episcopo non recognitas exponere. Const. *Accepimus* Bened. XIV.

689. **Quoad officia divina, sacras functiones, processiones quæ fiunt intra ambitum eorum ecclesiæ,** S. Pius V, constitutione *Etsi mendicantium*, Ordinariis prohibuit ne impediant fratres, quando eis placuerit, tam in diebus dominicis seu festivis, quam aliis totius anni temporibus, campanas pulsare, celebrare aut celebrare facere, quando eis videtur, etiam antequam rector ecclesiæ parochialis celebraverit. Pluries S. Congregatio, exortis difficultatibus inter parochos et religiosos, declarationes dedit ad mentem constitutionis S. Pii V. Episcoporum est providere ne ex modo agendi regularium parochiæ detrimentum patiantur. *Prælectiones Sti Sulpicii, vol. II, n.* 496.

690. **Regulares nequeunt librum imprimere** absque prævio examine episcopi et sui prælati regularis. Utraque concessio in principio et in fine operis imprimatur. Constitutio *Officiorum et munerum*, tit. II, cap. 1, num. 271.

691. **Episcopus potest animadvertere in regulares qui delinquunt extra monasterium,** si prælatus regularis, admonitus ab eo, reos delicti punire negligat. In præmissis casibus qui ad prædicationem verbi divini, cultum publicum, sacramentorum dispensationem spectant, (episcopi) " quocumque modo delinquentes, quoties et quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras ecclesiasticas, aliasque pœnas, ut S. Sedis delegati, procedere, omnemque jurisdictionem exercere valent. " Const. *Inscrutabili* Greg. XV.

Quod si forte contigerit aliquem regularem insurgere contra episcopum in propria diœcesi, maledicto, scripto vel dicto, ita

notorie quod populo scandalo sit, superior regularis tenetur, instante episcopo, atque intra tempus ab eo præfigendum, punire severe suum subditum, et de punitione episcopum certiorem facere; alioquin ipse episcopus reum punire poterit ad præscriptum Concilii Trid., sess. XXV, cap. 14.

Si prælatus regularis, nedum in suum subditum animadverterit, eum impunitum transmiserit ad alia loca sui ordinis extra episcopi diœcesim, tenetur, sub gravissimis pœnis, regularem delinquentem e loco ad quem fuit transmissus revocare, et in locum ubi deliquit constituere. "Quod si hoc etiam facère prætermiserit, edixit Clemens VIII, in constitutione *Suscepti muneris*, statuimus ut Ordinarius loci ad quem regularis delinquens transmissus fuerit, ab ipso Ordinario loci in quo deliquit requisitus, vel alias de delicto informatus, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, prædictum concilii decretum omnino exsequi, et in regularem delinquentem severe animadvertere possit et debeat." *Prælectiones Sti Sulpicii, vol. II, n.* 496.

692. **Moniales quæ vota solemnia emittunt episcopis subduntur,** nisi habeant suos prælatos regulares.

1° Relate ad sacramentum eucharistiæ, prohibetur confectio eucharistiæ et ejus custodia intra claustrum monasterii; item vetitum est monialibus servare clavem tabernaculi, quæ custodiri debet a sacerdote ad quem pertinet sacramenti administratio. *Conc. Trid., sess. XXV, cap.* 10, *De Regularibus.*

2° Relate ad sacramentum pœnitentiæ, Concilium Trid., loc. cit., præcipit ut præter confessarium ordinarium, alius extraordinarius bis aut ter in anno deputetur, cui omnes sorores confiteri, aut saltem coram eo sistere debent. Cum plures abusus irrepsissent ex parte abbatissarum confessarium extraordinarium suis subditis denegantium, Leo XIII, decreto edito 1890, "Superiores admonet ne extraordinarium confessarium denegent subditis, quoties, *ut propriæ concientiæ*

consulant, ad id subditi adigantur, quin illi superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut ægre id ferre demonstrent... Ordinarios hortatur ut in locis propriæ diocesis, in quibus mulierum communitates existunt, idoneos sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro sacramento pœnitentiæ recurrere eæ facile queant. "

3° Ad episcopum pertinet, jure proprio, moniales dispensare a jejunio, ab abstinentia et a legibus Ecclesiæ communibus. Quoad leges ordinis, moniales subduntur Sanctæ Sedi ad earum immutationem.

4° Episcopus potest visitare earum ecclesiam et quæcumque mandare, prohibere, vel corrigere quæ ad sacrosantum missæ sacrificium spectant; *Conc. Trid., sess. XXII, De observandis et evitandis in celebratione missæ.*

5° Episcopus est custos clausuræ, et uti Sedis Apostolicæ delegatus, debet illam introducere si non fuerit introducta, eam restituere si fuerit violata, coercendo inobedientes per censuras et pœnas, quacumque appellatione remota. *Trid., sess. XXV, cap.* 5, *De Regularibus.*

6° Episcopus debet explorare voluntatem puellarum antequam admittantur ad habitum et ad professionem. *Trid., sess. XXV, cap.* 17, *De Regularibus.*

7° Episcopus præest electioni Superiorissæ et eam confirmare debet. Antequam episcopus electionem confirmet, debet investigare an servata fuerint sacrorum canonum statuta, præsertim circa electæ ætatem. In Concilio Trid., sess. XXV, cap. 7, De Regul., mandatur ne superiorissa eligatur nisi sit 40 annorum nata et post 8 annos professionis; quod si digna non reperiatur, eligi potest monialis quæ sit 30 annos nata et post 4 annos professionis.

8° Tandem episcopus debet vigilare supra administratione bonorum monasteriorum. Non potest sese ingerere in administrationem directam bonorum, qua disponeret ipse de bonis communitatis, sed, ex constitutione *Inscrutabili* Gregorii

XV, singulis annis ei reddendæ sunt rationes administrationis. Episcopus administrationem approbat vel improbat, detrimenta præcavet, prohibendo ne impensæ extraordinariæ, commutationes immobilium et acquisitiones onerosæ fiant, se inconsulto.

693. **Multa sunt alia privilegia regularibus concessa,** quæ referuntur ad indulgentias quas participant et facultates quibus pollent. Unusquisque ordo habet sua privilegia specialia, v. g. Superior ordinis Prædicatorum erigit confraternitatem Sanctissimi Rosarii, et ita porro de pluribus aliis ordinibus.

TITULUS VI

DE RECESSU A RELIGIONE

Regularis qui emisit professionem in aliqua religione, ab ea egredi potest ut transeat ad aliam religionem vel vivat in sæculo.

694. **De transitu ad aliam religionem.**

1º Jure communi licitum est religiosis, servatis servandis, a laxiori ad arctiorem religionem transire; constat ex cap. *Licet, de Regularibus*, quod est Innocentii III: " Qui cum humilitate ac puritate duxerit postulandum ut non ficte sed vere ad frugem melioris vitæ valeat transmigrare, talis, postquam a prælato suo transeundi licentiam postulaverit, libere potest sanctioris vitæ propositum adimplere, non obstante proterva contradictione indiscreti prælati."

2º Transitus ad laxiorem religionem omnino prohibetur: " Nemo regularis, ait *Trid., sess. XXV, cap.* 19, *De Regul.*, cujuscumque facultatis vigore, transferatur ad laxiorem religionem. " Unde ad hanc translationem requiritur indultum pontificium, "ac taliter translatus ad beneficia curata omnino incapax existat. " *Trid., sess. XIV, cap.* 11, *De Ref.*

3º Transitus ad æqualem religionem jure communi non videtur specialiter prohibitus; fieri autem non debet sola licentia superiorum absque justa causa. Summus Pontifex illum potest permittere etiam sine causa, quia omnes religiones subduntur regimini S. Pontificis.

4º Hæc vera sunt, si attendatur ad jus scriptum; ex stylo Curiæ Romanæ nullus religiosus transire potest ad aliam religionem etiam strictiorem sine licentia Sedis Apostolicæ, quam licentiam Pontifex non concedit *a)* nisi transitus fiat ad illam

religionem in qua clausuralis observantia viget ; *b)* nisi prius audiatur superior ordinis a quo et referatur consensus superioris ad quem fit transitus.

5° In pluribus congregationibus religiosis, professio emissa in alia congregatione est impedimentum ne in alio ordine professus admittatur. *Normæ, art.* 61.

6° Regularis legitime translatus ad novam religionem, debet in ea professionem emittere post annum probationis ; sed S. Sedes solet tempus breviare, præsertim si transitus fiat ad laxiorem religionem.

695. **De professione invalida.** Professio fit invalida vel ob non servatas leges novitiatus et professionis, vel ob defectum libertatis. Ex Concilio Trid., sess. XXV, cap. 19, de Regul., professo datur quinquennium ut possit reclamare contra suam professionem invalide emissam ; illud quinquennium computandum est a die emissæ professionis. Illa querela nullitatis proponenda est coram prælato monasterii et Ordinario loci.

Si professus tacuerit per quinquennium, eo elapso, non amplius auditur, quia præsumitur ratam habuisse suam professionem et suo juri renunciasse ; attamen aliquando S. Congregatio Concilii professo concedit restitutionem in integrum, ut, non obstante quinquennio jam expleto, possit contra professionem invalidam reclamare.

Benedictus XIV, in const. *Si datam hominibus*, exposuit regulas servandas in processu conficiendo coram prælato et Ordinario loci. *Vol. II, num.* 1064.

696. **De suppressione ordinis.** Potest S. Pontifex ordinem religiosum supprimere : Clemens XIV, ex constitutione *Dominus et Redemptor*, 21 Julii 1773, suppressit Societatem Jesu. Per suppressionem ordinis, exstinguuntur omnia jura et privilegia ordinis ; professi votorum simplicium et sacris ordinibus nondum initiati, omni votorum vinculo

soluti, egredi debent; professi ad sacros ordines promoti possunt aut aliquem ex ordinibus approbatis ingredi, aut in sæculo manere tanquam presbyteri sæculares, sub omnimoda dependentia Ordinariorum, in quorum diœcesibus fixerunt suum domicilium. Const. *Dominus et Redemptor.*

Item solus Pontifex Romanus potest supprimere congregationem votorum simplicium a S. Sede approbatam.

Instituta *mere diœcesana* semel approbata non exstinguuntur nisi graves ob causas et consentientibus omnibus episcopis in quorum ditione sunt domus locales. Singuli episcopi in sua diœcesi domos supprimere possunt ob graves causas et professos dispensare a votis, eis exceptis quæ S. Sedi reservantur. Const. *Conditæ, cap. I, n.* 6.

697. **De violenta religiosorum dispersione.**

Religiosi e suis domiciliis a potestate civili ejecti manent obstricti votis suis, omnibusque regulæ prescriptionibus, nisi in eis legitime dispensati fuerint. Cum infausta valde sit eorum conditio, solet Sancta Sedes eis providere per decreta opportuna : recenter providit viris et sororibus in Gallia dispersis.

1⁰ *Quoad viros,* ex decreto S. C. Episc. et Reg., 24 Martii 1903 :

a) Curandum est pro viribus ut sodales religiosarum congregationum, qui proprias domos deserere coguntur, ad aliam ejusdem instituti domum sese conferant ibique regulas sive constitutiones, quas professi sunt, observare satagant.

b) Quod si aliqui ex dictis sodalibus, justis de causis, super quibus superioris generalis conscientia graviter onerata maneat, in aliis proprii instituti domibus recipi nequeant, idem superior generalis facultatem habebit, de consensu consilii generalitii, eis indulgendi ut extra instituti domos commorari valeant, sub obedientia Ordinarii loci in quo degent, ad nutum S. Sedis ac ipsius superioris, in habitu religioso, ac etiam, quatenus ita ferat necessitas, in habitu presbyteri

sæcularis quoad sacerdotes, et in habitu laicali modesti coloris quoad laicos, retento tamen interius aliquo signo habitus religiosi, et servando, quantum fieri potest, substantialia votorum; impertita dumtaxat dispensatione super regulis sive obligationibus cum eo statu non compatibilibus.

c) Iidem sodales, quamdiu ob enuntiatas causas extra domos proprii instituti commorari contigerit, subjiciantur etiam territoriali provinciali, si agatur de institutis in provincias jam rite divisis, sin minus superiori domus vicinioris, qui de ipsorum moribus, quotannis et quandocumque rogatus fuerit, moderatori generali referat, et eos, quatenus opus fuerit, in officio contineat.

d) Porro facultates, de quibus supra, ad annum tantum conceduntur. "

2° Quoad sorores, ex decreto alio, eodem die emisso:

" *a)* Curandum est pro viribus ut sorores, quæ proprias domos deserere coguntur, ad aliam ejusdem instituti domum sese conferant, ibique regulas sive constitutiones, quas professæ sunt, observare satagant.

b) Quod si aliquæ ex dictis sororibus, ob justas causas ab Ordinario domus principis examinandas, in alias proprii domos instituti se recipere nequeant, idem Ordinarius de consensu moderatricis generalis, eis indulgere poterit, ut apud suos consanguineos vel honestas matronas in habitu decenti, retento tamen interius aliquo signo religiosi habitus, firmo voto castitatis, servatis substantialibus aliorum votorum, quantum in eo statu commode fieri potest, adimpletisque quotidie aliquibus pietatis operibus ab ipso Ordinario præscribendis, sub obedientia Ordinarii loci in quo commorabuntur, ad nutum S. Sedis et propriæ cujusque moderatricis generalis, manere licite valeant.

c) Quamdiu autem sorores ob enuntiatas causas extra domos proprii instituti commorari contigerit, subjiciantur

etiam præpositæ generali loci commorationis, si agatur de institutis in provincias jam rite divisis, sin minus superiorissæ domus vicinioris, quæ de ipsarum moribus, quotannis et quandocumque rogata fuerit, moderatrici generali referat, et eas, quatenus opus fuerit, in officio contineat.

d) Porro facultates, de quibus supra, ad annum tantum conceduntur."

698. **De votorum dispensatione.** 1° Summus Pontifex potest a votis etiam solemnibus dispensare, ut fert sententia hodie communis. Hoc probatur ex praxi Ecclesiæ ; nam, ut refert Ferraris, v. Votum, art. 3 : " Alexander III dispensavit cum Nicolao Justiniano monaco ad nubendum ; Celestinus III cum Constantia, filia Rogerii Siciliæ regis ut nuberet cum Henrico VI ; Gregorius XIII cum fratre Cardinalis Joiosæ, sacerdote professo et provinciali Ordinis Capuccinorum ; refert Fagnanus etiam cum Ramiro, rege Aragonum, dispensatum fuisse, ut relicta religione et episcopatu, acciperet uxorem et regnum."

Requiritur causa gravis et publica ut Summus Pontifex dispenset a votis solemnibus, quæ causæ possunt esse v. g. propagatio regiæ stirpis, vel pax in societate componenda.

2° Summus Pontifex potest dispensare a votis simplicibus. Facilius dispensat a votis paupertatis et obedientiæ quam a voto castitatis; imo generatim quando quæritur a Summo Principe dispensatio votorum simplicium, dispensatur a paupertate et ab obedientia, remanente voto castitatis ; si dispensatus velit matrimonium contrahere, adeundus est Summus Pontifex, qui dispensat a voto *in ordine ad matrimonium contrahendum.* Ratione illius clausulæ, dispensatus violat votum quando, extra legitimum usum matrimonii, indulget peccatis contra virtutem castitatis ; si moriatur ejus uxor, non potest ad novas nuptias convolare sine novo indulto.

3° Apud quasdam congregationes, professi emittunt votum perseverantiæ in votis ; jamvero Summus Pontifex non di-

spensat membra illarum congregationum, nisi congregationes consentiant. Ratio est, quia Summus Pontifex non solet dispensare in præjudicium tertiæ personæ; attamen, exstante causa gravi, Summus Pontifex, quatenus administrator supremus rerum ecclesiasticarum, potest dispensare, invita congregatione. *Craisson, Manuale Juris Canonici, n.* 3070.

699. **De indulto sæcularizationis.** Hoc indulto permittitur religioso ut vivat extra claustra et jurisdictionem suorum prælatorum.

1⁰ Sæcularizatio est *perpetua* vel *temporalis. Perpetua* quandoque æquivalet ejectioni; *temporalis* conceditur ad aliquod tempus, puta donec causa aliqua permaneat, v. g. durante parentum necessitate.

2⁰ Aliquando temporalis sæcularizatio est præparatio ad perpetuam: v. g. solemniter professo conceditur commoratio extra claustra *ad annum* ut inveniat episcopum benevolum receptorem et ecclesiasticum patrimonium: quibus habitis, obtinetur perpetua sæcularizatio.

3⁰ Religiosus qui obtinuit indultum sæcularizationis, adhuc tenetur ad substantiam suorum votorum. *Ad votum castitatis* quod attinet, hoc evidens est. *Quoad votum obedientiæ*, regularis subjacet jurisdictioni Ordinarii loci, qui potest, *etiam in vim voti solemnis obedientiæ*, ei præcipere et sic eum obligare, prout obligare antea poterat regularis superior. *Quoad votum paupertatis*, religiosus solemniter professus, vi dicti indulti in sæculo degens, remanet dominii incapax, ac proinde testari nequit. Pro exigentia suæ novæ conditionis, ipsi conceditur facultas utendi rebus temporalibus, pecunias retinendi et contractus opportunos ineundi: quæ omnia facere potest, non tanquam dominus, cum nullius rei dominium habere possit, sed tanquam administrator. Post obitum, bona ab ipso relicta utpote ecclesiastica ad hæredes non transeunt, sed ad S. Sedem pertinet de eis disponere. *Bouix, De Regularibus, vol. II, pag.* 490.

4° " Qui in sacris ordinibus constituti et votis simplicibus obstricti sive perpetuis sive temporalibus, sponte dimissionem ab Apostolica Sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex Apostolico privilegio a votis simplicibus vel perpetuis, vel temporaneis dispensati fuerint, e claustro non exeant, donec episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint, secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum ordinum. Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium temporalium, qui quovis perfessionis vinculo jam forent soluti, ob elapsum tempus quo vota ab ipsis fuerunt nuncupata. " *S. C. Episc. et Reg.*, 4 *Nov.* 1892.

700. **De ejectione ab ordine.** Ejectio est solemnis expulsio religiosi ab ordine in quo solemniter professus est: *ejiciuntur* solemniter professi, simpliciter professi *dimittuntur.*

1° *Pro viris,* religiosus solemniter professus ejici potest ob causam veræ incorrigibilitatis, quia tunc ad hanc necessariam ejectionem supervenit causa boni spiritualis, " ne scilicet contagione pestifera plurimos perdat." Const. *Sacra Congatio* Urbani VIII.

a) Religiosus incorrigibilis censetur qui ter de delicto gravi et externo sive eodem sive diverso convictus et punitus, iterum graviter deliquerit.

b) Ejectio fieri nequit nisi a Generali vel Provinciali cum consilio et assensu majoritatis sex gravissimorum religiosorum in capitulo generali vel provinciali electorum, et in hoc ultimo casu a Generali confirmatorum. Processus fieri debet juxta constitutiones et stylum cujuscumque ordinis; sententia expulsionis statim a Generali vel a Provinciali significanda est Ordinario loci, qui tamen de justitia illius non potest cognoscere. A sententia expulsionis, religiosus intra decem dies appellare potest ad Sanctam Sedem.

c) Religiosus ejectus tenetur ad vota essentialia religionis;

hinc subest jurisdictioni Ordinarii loci, qui potest e iimperare non tantum quatenus ejus episcopus, sed etiam quatenus proprius ejus superior. Relate ad votum paupertatis, ob necessitatem præsentis ipsius status, potest rerum temporalium usum et administrationem habere.

d) Religiosus ejectus tenetur se emendare, et post emendationem petere ut iterum in religione recipiatur; nec superiores regulares possunt emendatum rejicere, nam ejectus non desinit esse eorum subditus.

e) Hic religiosus suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum, Summo Pontifici reservatam, ipso jure incurrit. Const. *Apost. Sedis*, tit. V, n. 5. Hinc non potest concionari, aut aliquod munus ecclesiasticum assequi, nec prætendere ut alimenta sibi a religione suppeditentur. *Bened. XIV, De Synodo, lib. XIII, cap.* 11.

2° *Pro monialibus*, ejectio fieri nequit sine licentia Sanctæ Sedis, ob clausuram papalem cui subduntur moniales, et quia apud eas non est qui gaudeat potestate jurisdictionis ad cognoscendam incorrigibilitatem alicujus professæ. *Piat, De Jure Regularium, vol. I, pag.* 229.

701. **De dimissione virorum qui simpliciter professi sunt.**

1° Apud ordines virorum, novitii, elapso novitiatu, admittuntur ad vota simplicia et in eis stare debent per triennium antequam vota solemnia nuncupentur, juxta decretum S. C. super Statu Regul., 17 Martii 1857. Per interim datur magistro generali ordinis cum suo consilio generali, *propter causas graves*, facultas ejiciendi professos votorum simplicium, qui facto ejectionis ab omni votorum vinculo et obligatione liberi fiunt. *Cf. tit. IV, De Regul., n.* 655.

2° Quoties agitur de alumno dimittendo vota perpetua professo, aut votis temporaneis quidem adstricto sed simul in sacris ordinibus constituto, requiritur culpa gravis, externa et publica, in qua ipse sit incorrigibilis.

3° Ut de incorrigibilitate constet, superiores distinctis temporibus trinam admonitionem et correctionem adhibere debent. Quæ admonitiones si salutarem effectum non producunt, processus contra incorrigibilem instituatur.

4° Ea quæ in hoc processu contra delinquentem probantur superiores cum illo communicare debent, eique congruum tempus concedere quo defensionem suam, sive per se, sive per alium religiosum sui instituti, exhibere valeat. Si accusatus ipse proprias defensiones non præsentaverit, superior seu tribunal defensorem ut supra alumnum respectivi instituti ex officio constituere debebit.

5° Post hæc Superior cum suo consilio sententiam expulsionis aut dimissionis pronuntiare poterit, quæ tamen nullum effectum habebit, si condemnatus a sententia prolata ad Sacram Congreg. Episc. et Regul. rite appellaverit, donec per eamdem S. C. definitivum judicium prolatum non fuerit.

6° Quoties autem gravibus ex causis procedendi methodus supradicta servari nequeat, tunc recursus haberi debeat ad S. Cong. ad effectum obtinendi dispensationem a solemnitatibus præscriptis et facultatem procedendi summario modo, juxta praxim vigentem apud Sacram Congregationem.

7° Religiosus dimissus *per se* non liberatur ab obligatione votorum et tenetur ea servare *quoad eorum substantiam*, nisi ab eis a Sancta Sede dispensetur. Qui in sacris constituitur ordinibus *facto dimissionis* manet suspensus, et e claustro exire nequit, antequam episcopum benevolum invenerit et de patrimonio ecclesiastico sibi providerit. Decretum *Auctis admodum*, 4 Nov. 1892; *Normæ*, art. 201.

702. **De dimissione sororum quæ simpliciter sunt professæ.**

1° Dimissio professæ votorum *temporaneorum* decernitur a superiorissa generali ob graves causas, approbatas per majorem partem suffragiorum consilii generalis. *Normæ S. C. Episc. et Reg., art.* 193.

2⁰ Pro dimittenda sorore votorum *perpetuorum* graviores causæ exteriores exiguntur una cum incorrigibilitate, a consilio generali probata per secreta suffragia. — Incorrigibilitas experimento probata esse debet ita ut spes recipiscentiæ evanuerit, et ex continuis culpis sororis incorrigibilis Instituto damna immineant. — Insuper pro dimittenda sorore votorum perpetuorum, accedat oportet confirmatio S. Congregationis; ita ut dimissio ex parte superiorissæ generalis cum suo consilio facta juridicum effectum non sortiatur, antequam a S. Congregatione confirmata sit. — Quocumque modo soror, votis innodata, ab Instituto recedat, oportet ut dispensationem super votis expectet, quam vel ipsa soror, vel ejus nomine superiorissa generalis, a S. Congregatione petere debet. — Solummodo in casu gravis scandali exterioris, episcopo loci approbante, soror statim dimitti poterit. Sed postea confirmatio dimissionis et dispensatio super votis a S. Congregatione petenda erit. — Infirma valetudo nunquam habeatur ut causa sufficiens ad dimittendam sororem professam votorum perpetuorum. Quoad professam votorum temporaneorum, dimitti nec ipsa debet si infirmitatem contraxerit in Instituto post emissa vota; nec etiam ob infirmam valetudinem qua laborabat ante votorum emissionem, si superiorissa sciens et volens eam nihilominus admisit ad primam professionem. Secus autem si soror superiorissas deceperit malitiose, occultando ante professionem morbum præexistentem, unde inepta reddatur ad Instituti onera ferenda. Sororibus ab Instituto recedentibus vel dimissis integra dos, sed absque fructibus, restituenda est, una cum supellectili quam ad Institutum attulerunt, in eo statu in quo est. Cuilibet sorori recedenti institutum providere debet ea quæ requiruntur ut modo tuto et convenienti domum reverti possit. *Normæ, art.* 194-200.

3⁰ In institutis diœcesanis, pro dimittenda sorore sufficit potestas episcopalis, quæ valet dispensare ab ejus votis etiam perpetuis, excepto voto perpetuo castitatis; ex indultis, epi-

scopi etiam ab eo dispensare possunt. Const. *Conditæ a Christo Ecclesiæ*, c. I, n. 8.

703. **De apostasia a religione.** 1° Apostata a religione est ille qui a monasterio vel religione discedit absque intentione ad eam redeundi.

2° Fugitivus est ille qui e monasterio, ex quocumque prætextu, etiam pii operis perficiendi, recedit, vel cum habitu, vel sine habitu religioso, cum intentione tamen ad monasterium redeundi.

Inter fugitivos adnumerantur qui, absque licentia superiorum localium, ad superiores majores confugiunt, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint ; *Conc. Trid., sess. XXV, cap.* 4, *De Regularibus.* Pariter est fugitivus ille qui monasterium relinquit sub prætextu adeundi Sanctam Sedem. Excipitur casus quo religiosus, injuste vexatus, saltem in scriptis a superioribus licentiam petiit ad Sedem Apostolicam confugiendi, eaque denegata est. Const. *Ad Romanum* Sixti V.

704. **Fugitivi et apostatæ tenentur ad observandas omnes constitutiones ordinis et ad vota servanda.** 1° Quamdiu manent extra monasterium privantur omnibus privilegiis sui instituti et subjiciuntur Ordinariis locorum.

2° Controvertitur an incurrant excommunicationem latam a jure communi in deponentes habitum ; *Piat, De Jure Regularium, vol. I, p.* 197, *nota.* Incurrere possunt pœnas latas a jure particulari in constitutionibus particularibus ordinis.

3° Superiores regulares tenentur fugitivos et apostatas revocare. Possunt uti potestate coactiva ad eos in monasterium reducendos, imo ad brachium sæculare confugere. *Cf. Bargilliat, Præl. Jur. Can., vol. II, n.* 1239-40-41.

TERTIA PARS

DE LAICIS

Laici efformant majorem partem Ecclesiæ et propter ipsos præcipue cætera in Ecclesia fuerunt instituta, juxta verba Sti Pauli ad Corinthios, cap. III, v. 22: "Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas; vos autem Christi."

705. **Laici sunt vel nondum baptizati, vel baptizati;** laici nondum baptizati sunt aut *infideles*, quatenus fidem nondum susceperunt, nec in via sunt ut eam profiteantur, aut *cathecumeni*, quatenus sese disponunt ad fidem amplectendam et suscipiendum baptismi sacramentum.

Hoc autem duplex genus laicorum ad Ecclesiam non pertinent, quia nondum sunt de corpore ejus; attamen tenentur Ecclesiam ingredi, et Ecclesia habet jus eis Evangelium prædicandi, juxta hæc verba Christi: " Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris." *St Matth.*, *c.* XXVIII, v. 19.

706. **Baptizati ad Ecclesiam pertinent, ipsique per baptismum incorporantur;** ab ipsa tamen per excommunicationem, schisma, hæresim abscinduntur, quamvis per se ejus legibus obedire teneantur. *Tit. V, cap.* 11, *n.* 213.

Baptizati laici ad corpus Ecclesiæ actu pertinentes habent jura plura in Ecclesia. In primis laici de jure a rectoribus Ecclesiæ et sacerdotibus sibi præpositis exigere possunt ut rite sibi spiritualia administrentur; i. e. *a)* ut in rebus fidei et morum edoceantur, et a periculis amittendi fidem arceantur; *b)* ut sacramenta ipsis fideliter administrentur et sacramentalibus reficiantur; *c)* ut ad statum clericalem vel reli-

giosum sibi pateat aditus; *d)* ut pie decedentes donentur sepultura ecclesiastica. Deinde in eis quæ nec ecclesiasticæ potestatis, nec ecclesiastici ministerii sunt, partem habere possunt laici. Hoc verificari potest præsertim in confraternitatibus et in fabricis ecclesiarum, de quibus sermo fiet in sequentibus titulis.

TITULUS I

DE CONFRATERNITATIBUS

707. **Confraternitates originem habent a regularibus ordinibus** quibus concessa fuit potestas congregationes laicorum erigendi, ad certa pietatis et misericordiæ opera exercenda, et eis communicandi gratias spirituales sibi ad hoc concessas. Ab ordinibus religiosis originem ducunt, sed non ab eis tantum constituuntur.

Recte definiuntur : Congregationes fidelium ad exercenda pia opera, auctoritate ecclesiastica institutæ.

708. **Confraternitates eriguntur vel ab Ordinariis locorum, vel a superioribus Ordinum** quibus hoc conceditur, e. g. tales sunt confraternitates *Rosarii*, quæ originem ducit a *Dominicanis; Scapularii* a *Carmelitis; B. M. Virginis*, a *patribus Societatis Jesu*. Interdum eriguntur archiconfraternitates in certis ecclesiis cum facultate sibi aggregandi confraternitates particulares, ut, v. g. archiconfraternitas sacratissimi Cordis Mariæ erecta Parisiis in ecclesia *D. N.. des Victoires*, cui aggregantur plures confraternitates particulares.

709. **Jure ordinario** et absque alia facultate, episcopus erigere potest quaslibet confraternitates, exceptis illis quas Sancta Sedes reservavit et Generalibus ordinum religiosorum delegavit.

Vicarius capitularis et Administrator diœcesis non habent jus ordinarium; *S. C. Episc. et Reg.*, 23 *Nov.* 1898.

Vicarius Generalis indiget speciali mandato. *S. C. Concilii*, 18 *Aug.* 1861.

710. **Jure delegato, episcopi hujus regionis** habent extraordinariam facultatem " erigendi confraternitates a S. Sede approbatas, confraternitate SS^{mi} Rosarii excepta, iisque adscribendi Christi fideles cum applicatione omnium indulgentiarum et privilegiorum quæ Summi Pontifices iisdem confraternitatibus impertiti sunt, addita insuper potestate has facultates communicandi presbyteris sacro ministerio fungentibus......" *Formula T*, *n.* 21.

Hæc facultas, quatenus concessa Ordinariis locorum, delegatur Vicariis generalibus et, sede vacante, Vicario capitulari et Administratori diœcesis.

711. **Ex privilegio concesso** a Paulo V, Generales religiosorum ordinum eodem gaudent privilegio. Imo quarumdam confraternitatum erectio ita regularibus abscribitur, ut absque indulto apostolico eas in sua diœcesi instituere nequeant episcopi.

712. **Regulares qui ex privilegio instituunt confraternitatem vel aggregant archiconfraternitati** debent attendere ad constitutionem *Quæcumque* Clementis VIII, cujus hæc sunt præcipua statuta:

1° " Quod unica tantum confraternitas ejusdem generis possit in ecclesiis tam sæcularium quam regularium institui et aggregari;

2° Quod id fiat de consensu Ordinarii et cum litteris testimonialibus ejusdem;

3° Quod instituentes vel aggregantes confraternitatem, eidem expresse et in specie communicent privilegia, indulgentias, etc. ordini instituenti vel aggreganti nominatim concessa, non vero ea quibus per privilegium communicationis gaudet;

4° Quod statuta confraternitatum examinentur et approbentur ab Ordinario loci, et corrigi possint;

5° Quod in aggregandis et constituendis confraternitatibus servetur formula ab eodem pontifice approbata;

6° Quod gratiæ et indulgentiæ confraternitati communicatæ prævia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur;

7° Quod confraternitas eleemosynas et alia charitatis subsidia excipiat, juxta formulam per Ordinarium præscribendam;

8° Quod dictæ eleemosynæ, pro arbitrio Ordinarii, in utilitatem ecclesiæ, aliosque pios usus erogentur;

9° Quod confessarii confraternitatum sint ab Ordinario approbati;

10° Quod si sint regulares, a propriis etiam Prælatis approbentur, et absolvant confratres juxta privilegia eisdem concessa, dummodo sint in usu, nec Concilio Tridentino cæterisque Pontificum constitutionibus adversentur;

11° ... 12° Quod litteræ erectionis et aggregationis *gratis* dentur."

Notandum est circa ultimam dispositionem Clementis VIII, quod S. C. Indulg. 6 Martii 1608, permisit superioribus archiconfraternitatum aliquid exigere pro expensis faciendis occasione expeditionis litterarum erectionis vel aggregationis; sed prohibuit ne, sub quovis prætextu, ultra unum scutum aureum exigerent.

713. **Nomine Archiconfraternitatis** venit confraternitas habens privilegium alias confraternitates sibi aggregandi, eisque communicandi gratias spirituales sibi concessas a S. Sede. Confraternitates ab episcopis erectæ solent aggregari alicui archiconfraternitati ut illius indulgentiis et aliis gratiis spiritualibus participent.

Non potest archiconfraternitati aggregari confraternitas quæ jam alteri aggregata fuerit; *S. C. Indulg.*, 8 *Januarii* 1861;

et ad aggregationem, consensus et litteræ testimoniales Ordinarii prærequiruntur.

Sive agatur de erectione ex jure ordinario, sive ex indulto apostolico, episcopi non tenentur ad observandam constitutionem *Quæcumque* Clementis VIII, nec ad determinatam formulam.

714. **Erectio confraternitatis, generatim loquendo, duplici legi subjecta est:**

1⁰ *Legi loci*, ita ut in eodem loco una tantum confraternitas ejusdem nominis et instituti erigi possit, nisi ex gravi causa a S. C. Indulg. in casibus singularibus dispensatio obtineatur. Locus in sensu canonico est agglomeratio habitantium ab aliis agglomerationibus uno saltem milliario italico distans, sive dicatur vicus, sive pagus, sive oppidum vel urbs, non autem parochia, nec civilis communitas, nec diœcesis. Attamen S. C. Indulg., 20 Maii 1896, declaravit communitatem pro erectione confraternitatum ejusdem nominis et instituti constitui etiam a quolibet ejusdem municipii oppido, situ et nomine ab aliis disjuncto, adeo ut in eodem municipio plures ejusdem nominis et instituti confraternitates erigi possint, dummodo in unoquoque oppido habeatur propria parochia. In eodem decreto, Leo XIII, derogans constitutioni *Quæcumque*, concessit Ordinariis locorum ut in magnis urbibus quæ unam tantum constituunt communitatem, plures confraternitates ejusdem nominis et instituti erigi possent, servata tamen in hujusmodi erectionibus convenienti distantia, eorum judicio. *Nouvelle Revue Théol., vol. XXVIII, pag.* 658.

2⁰ *Legi distantiæ*, vi cujus una confraternitas ab altera ejusdem nominis et instituti, etsi in diverso loco erecta aut nationalitatis et linguæ plane diversæ sit, unam leucam (3 milliaria) distare debet, nisi in hoc dispensatio obtineatur.

Diximus *generatim loquendo*, nam absque respectu ad locum et distantiam erigi possunt in omnibus ecclesiis parochialibus confraternitates SS. Sacramenti et Sanctæ Familiæ.

A lege loci et distantiæ eximuntur plures confraternitates, ut videre est apud *Putzer, Commentarium in Facultates Apostolicas, num.* 185.

715. **In ecclesiis monialium et conservatoriorum puellarum, confraternitates laicorum erigere generatim non expedit.** S. Cong. Episc. et Reg., die 22 Aug. 1891, juxta priorem decisionem 9 Nov. 1595, respondit: "Non placet S. Congregationi ut in monasteriis monialium sub quovis titulo instituantur confraternitates laicorum, ad tollenda quamplurima quæ exinde oriri possunt incommoda; imo præcepit ut erectæ tollantur, secus transferantur." Per modum indulti generalis, Pius IX in ecclesiis monialium permisit, 20 Nov. 1861, erectionem confraternitatis SS^{mi} Cordis Mariæ; Leo XIII, 7 Julii 1883, erectionem confraternitatis SS^{mi} Cordis Jesu. *Putzer, loco citato.*

716. **Statuta debent examinari et approbari ab episcopo,** etiamsi erectio fiat a Generalibus ordinum, aut statuta desumpta sint ab archiconfraternitate. Insuper pro loco et tempore etiam postmodum ab episcopo mutari possunt, exceptis essentialibus et ad opera spectantibus quæ indulgentiis sunt ditata, necnon illis quæ privilegia a S. Sede concessa continent, aut ab eadem fuerunt approbata.

Quoad contributionem pecuniæ, non potest statui ut aliquid solvatur pro adscriptione, nec apponi conditio ut quis possit excludi, nisi solvat certam quotam. Præsertim pauperes gratis sunt admittendi et retinendi.

Cæterum nihil obstat quominus confraternitates eleemosynas colligant juxta legem ab Ordinario præscriptam, erogandas in ecclesiæ seu oratorii reparationem vel in alios pios usus de consensu Ordinarii, vel ad onera confraternitatis sustinenda.

717. **Rector confraternitatis est ille sacerdos qui instituitur** pro abscriptione fidelium et gubernatione confraternitatis ad normam statutorum.

1° Rector confraternitatis ab Ordinario designari debet, quando confraternitas ab eo fuit erecta. Tunc generice parochus designari potest, ita ut defuncto qui de præsenti munus pastorale explet, illius successor nova designatione non indigeat ut præsit confraternitati. *S. C. Indulg.*, 10 *Jul.* 1887.

2° Si vero confraternitatis erectio a Generalibus ordinum pendeat, ad eos pertinet illius rectorem, ab episcopo approbandum, designare, nisi hanc curam, pro præsenti et futuro, commiserint episcopo.

718. **Magna est auctoritas episcopi in confraternitates.** Vidimus, ex constitutione *Quæcumque* Clementis VIII, quod confraternitates erigi vel archiconfraternitati aggregari nequeunt nisi vel ab Ordinariis, aut de eorum consensu.

1° Confraternitatum statuta, nisi jam a S. Sede fuerint confirmata, ab Ordinariis debent examinari et corrigi.

2° Confraternitates visitationi episcopali subsunt.

3° Ab administratoribus exigere potest Ordinarius ut sibi rationem reddant suæ administrationis, et ad hoc ut libri administrationis sibi deferantur, vel ad palatium episcopale, vel ad domum ubi degit, tempore visitationis. Ipse episcopus non potest administrationem bonorum confraternitatum suscipere, nisi bona dilapidentur ; sed posset sibi reservare jus confirmandi administratores. *S. C. Concilii*, 10 *Martii* 1663.

4° Non licet confratribus quæstare, etiam in ecclesia non parochiali, absque licentia Ordinarii.

5° Ordinarius non valet confratres sive admittere sive expellere, et ab eo admissi vel expulsi delendi essent aut reintegrandi. Admissio confratrum et electio officialium ad confratres pertinent ; attamen, gravioribus de causis, episcopus valet officiales ad tempus suspendere, et alios in eorum locum deputare, ad rectam confraternitatis directionem. *S. C. Concilii*, 15 *Junii* 1878.

6° Ubi et quando voluerint, coadunantur confratres. Illorum exercitia prohibere non potest Ordinarius, nisi ex eis oriatur scandalum.

719. **Relatio confraternitatum ad parochum,** si hic non est rector earum, salvis conventionibus et pactis, constitutionibus synodalibus, consuetudinibus immemorialibus, determinatur per decretum S. C. Rituum, 10 Dec. 1703. Complectitur XXXIII quæstiones ad quas Romanæ Congregationes constanter referunt in propriis edendis resolutionibus.

Confraternitas erecta in ecclesia parochiali a parocho dependet in omnibus functionibus ecclesiasticis, etiam non parochialibus, non autem in aliis, ita ut independenter ab eo possit conventiones habere, bona sua administrare, de eis juxta statuta disponere. Confraternitas vero erecta in aliqua ecclesia aut in aliquo oratorio a parocho dependet nonnisi quoad ea quæ sunt jurium parochialium aut alia de causa ad parochum spectant. *Putzer, n.* 194.

Laymen have office of trustee by privilege ... only have right to administer bona ecclesiastica when Bishop approves

TITULUS II

DE FABRICIS ECCLESIARUM

720. **Jus administrandi bona ecclesiastica ad eam auctoritatem pertinere debet ad quam, modo independenti, hujusmodi bona pertinent.** Accessorium enim sequitur principale, atqui administratio est accessorium et appendix dominii pleni aut saltem utilis : ergo sicut bona ecclesiastica ad Ecclesiam pertinent, sic ad ipsam spectat eorum administratio. Hoc jure administrandi potiti fuerunt Apostoli quoad collectas et alia bona quæ in illorum manus a fidelibus mittebantur ; et abdicata ab ipsis hac administratione ne cura temporalium a spiritualibus distraherentur, non laicos sed septem diaconos constituerunt, qui curæ earum rerum, rectæque administrationi præessent.

721. **Fabricæ Ecclesiarum fuerunt institutæ ut juvarent parochos in administratione temporali parochiæ** et efficacius providerent bonorum conservationi et regimini. Cum plures abusus irrepsissent in bonorum administratione, Concilium Viennense, anno 1311, præcepit ut xenodochiorum " gubernatio viris providis, idoneis et boni testimonii committatur, qui sciant, velint et valeant loca ipsa, bona eorum, ac jura utiliter gerere et eorum proventus et redditus in personarum miserabilium usum fideliter dispensare. Illi quibus dictorum locorum administratio committetur, ad instar tutorum et curatorum, juramentum præstare ac de bonis inventaria conficere, et Ordinariis singulis annis de administratione sua rationem reddere teneantur."

722. **Ad parochias quod attinet, eisdem temporibus,** et probabiliter ob easdem rationes, invaluit usus ut

præter parochum alii ex viris laicis admitterentur in administrationem bonorum temporalium, sub titulo *matriculariorum* (marguillier). Churchwarden

Concilium Tridentinum nihil statuit de necessitate instituendi fabricas, sed hæc maximi momenti edixit : " Administratores tam ecclesiastici quam laici fabricæ cujusvis ecclesiæ, hospitalis, confraternitatis, eleemosynæ, montis pietatis, et quorumcumque locorum piorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis." *Conc. Trid., sess. XII, cap.* 9, *de Ref.*

723. **Institutio matriculariorum fuit Ecclesiæ utilis.** Ne clerici arguerentur dilapidatione bonorum suæ ecclesiæ, deputati sunt viri laici qui simul cum illis de his omnibus rebus deliberarent et decernerent. Insuper dum ad solvendum parochiani sunt cogendi, magis expedit ut id fiat a cœtu laicorum quam a parocho ; hinc *Thomassinus, Discipline de l'Eglise, partie* 3, *chap,* 35, testatur eam fuisse rationem cur laici in administrationem bonorum ecclesiasticorum fuerint admissi. Malo fato, occasione hujus participationis in administratione fabricæ benigne ab Ecclesia concessæ, societas civilis usurpavit potestatem statuta condendi circa administrationem bonorum Ecclesiæ ; laici benigne ab Ecclesia assumpti ut adjutores clericorum eo devenerunt ut expellerent episcopos ab ecclesiis, quasi ecclesiæ pertinerent ad fideles parochiæ, quorum matricularii forent procuratores. Alibi quærendum erit apud quos maneat dominium bonorum Ecclesiæ.

724. **De matriculariis in provincia Quebecensi ad normam juris civilis.** Huic quæstioni respondemus exponendo principia generaliora juris administrativi quæ ex opere *P. B. Mignault, Le Droit paroissial,* eruimus :

1⁰ La fabrique est une corporation religieuse, elle est de plus une corporation en main morte. Elle ne peut donc acquérir des biens que pour les fins du culte et elle ne peut

posséder plus qu'une quantité déterminée de terrain. Il y a cette particularité dans l'existence corporative de la fabrique, que c'est une corporation qui administre les biens d'une autre corporation. La paroisse religieuse est bien une corporation aux yeux de la loi, mais c'est une corporation qui n'agit que par sa fabrique. Le réprésentant des paroisses qui n'ont pas de fabrique est généralement l'évêque ; quelquefois c'est un ordre religieux qui est propriétaire ou usufruitier des édifices du culte. La fabrique est une corporation perpétuelle, elle se renouvelle d'année en année, mais il y a toujours certains marguilliers qui administrent les affaires courantes de la paroisse. On ne perd la qualité de marguillier que par la mort ou la démission ; mais après avoir passé un certain temps au banc de l'œuvre, on rentre dans la catégorie des anciens marguilliers.

2° La fabrique se compose du curé, des marguilliers du banc de l'œuvre, qui sont généralement au nombre de trois, et des marguilliers sortis de charge qu'on désigne sous le nom d'anciens marguilliers. Le bureau ordinaire, chargé de l'administration des affaires courantes, se compose du curé et des marguilliers de l'œuvre ; le bureau extraordinaire, qui prend connaissance des affaires les plus importantes, se compose du curé et de tous les marguilliers. *Mignault, page* 225.

3° D'après la loi et l'usage de ce pays, on a recours au système électif pour le choix des marguilliers. Les paroisses nouvellement fondées nomment les trois marguilliers à la fois, et elles choisissent souvent cinq autres francs-tenanciers qui sont considérés comme anciens marguilliers. Mais dans les anciennes paroisses, à moins d'une vacance extraordinaire, on ne fait chaque année l'élection que d'un seul marguillier pour remplacer celui qui sort du banc. *Mignault, page* 234.

4° Il peut arriver, et de fait il arrive assez souvent, que la fabrique, pour exécuter les travaux qu'elle a entrepris ou

pour rencontrer ses obligations, soit dans la nécessité d'emprunter des fonds et d'hypothéquer ses immeubles. La fabrique ne peut rien faire en cette matière qu'avec l'autorisation de l'Ordinaire, selon la teneur de l'article 3425, des Statuts refondus de la Prov. de Québec :

" Il est loisible à toute fabrique d'emprunter des deniers et d'hypothéquer ses immeubles au montant des sommes empruntées ; mais nul emprunt ne doit être effectué, et nulle hypothèque ne doit être consentie, à moins que les règlements canoniques relatifs à ce sujet n'aient été observés, ni à moins que l'autorisation des paroissiens n'ait été obtenue à une assemblée convoquée et tenue en la manière voulue pour les dépenses extraordinaires des fabriques, sauf dans les paroisses où ces assemblées ne sont pas requises par la loi ou l'usage."

Donc pour que la fabrique puisse faire un emprunt, il lui faut deux autorisations : celle de l'autorité ecclésiastique et celle des paroissiens. Dans quelques paroisses, au lieu d'une assemblée générale des paroissiens, il suffit d'une assemblée des anciens et nouveaux marguilliers. *Mignault, p.* 279.

5° Les fabriques peuvent aliéner leurs biens, mais l'aliénation ne peut avoir lieu que pour cause de nécessité et après l'observation des formalités requises par la loi ; il faut le consentement de l'autorité ecclésiastique et des paroissiens, dans une assemblée de paroisse, si c'est l'usage de tenir de semblables assemblées.

La fabrique peut, du consentement de l'Ordinaire et des paroissiens, acquérir des immeubles au nom de la paroisse. Mais il faut que ce soit pour les besoins du culte ou pour un objet sanctionné par la loi. Ces acquisitions ne peuvent dépasser les limites d'étendue prescrites par la loi. *Mignault, pag.* 285-86.

6° Le curé est *ex officio* président du bureau de la fabrique et de toutes les assemblées de fabrique et de paroisse. Sa présence même est si nécessaire, qu'il ne peut se faire repré-

senter aux assemblées de ce bureau par son vicaire, ni par aucun autre ecclésiastique. Nous pouvons invoquer l'article 3438 des Statuts de la province de Québec :

" Pour lever les doutes quant à la personne qui, par la loi, doit présider les assemblées générales de paroisse et de fabrique pour l'élection d'un marguillier et autres fins où la loi exige telle assemblée dans les paroisses catholiques romaines de la province :

Toute assemblée générale de fabrique et de paroisse pour l'élection d'un marguillier et autres fins pour lesquelles la loi requiert des assemblées générales des paroissiens et fabriciens dans les paroisses catholiques romaines de la province, doit être présidée par le curé, ou le prêtre la desservant."

7° L'évêque peut annuler ou reviser une décision adoptée par une fabrique. La fabrique est un pouvoir d'ordre inférieur et l'évêque est l'administrateur en chef des biens de l'Eglise dans les limites de son diocèse. On prévient tout conflit, règle générale, en soumettant d'avance l'objet de la délibération à l'Ordinaire, mais les pouvoirs de l'évêque à ce sujet ne souffrent aucun doute. *Mignault, pag.* 300.

725. **In operibus quæ de jure parochiali disserunt,** exponitur quid possit fabrica, quomodo et a quibus eligantur matricularii, quænam sint eorum jura et officia et in specie matricularii primi *in officio*, etc. In hac materia conferantur Beaudry, " Code des curés, marguilliers et paroissiens " ; Langevin, " Manuel des paroisses et des fabriques " ; Pagnuelo, " Etudes sur la liberté religieuse au Canada " ; Mignault, " Le droit paroissial." Hoc ultimum opus recentius vulgatum cæteris præstat, et clero hujus provinciæ Quebecensis pluries ab episcopis fuit commendatum.

INDEX

PRIMI VOLUMINIS

INTRODUCTIO AD JUS CANONICUM

CAPUT I

DE NATURA ET DIVISIONE JURIS

CAPUT II

DE FONTIBUS JURIS CANONICI

CAPUT III

DE COLLECTIONIBUS JURIS CANONICI

CAPUT IV

DE JURE CANONICO NATIONALI

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS

PARS PRIMA

TITULUS I

DE POTESTATE ORDINIS

CAPUT I

DE ORDINATIONE CLERICORUM

ARTICULUS I.

De ministro ordinationis.

ARTICULUS II

De litteris dimissorialibus et testimonialibus.

ARTICULUS III

De qualitatibus ordinandorum.

ARTICULUS IV.

De examine ordinandorum.

ARTICULUS V.

De legibus ordinationis.

ARTICULUS VI.

De impedimentis ordinis.

CAPUT II

DE CONSECRATIONE EPISCOPORUM

TITULUS II

DE POTESTATE JURISDICTIONIS

CAPUT I

DE JURISDICTIONE ORDINARIA

ARTICULUS I.

De adeptione jurisdictionis ordinariæ.

ARTICULUS II.

De restrictione et cessatione jurisdictionis ordinariæ.

CAPUT II

DE JURISDICTIONE DELEGATA

ARTICULUS I.

De adeptione jurisdictionis delegatæ.

ARTICULUS II.

De cessatione jurisdictionis delegatæ.

TITULUS III

DE JURIBUS ET PRIVILEGIIS COMMUNIBUS CLERICORUM

TITULUS IV

DE OFFICIIS COMMUNIBUS CLERICORUM

TITULUS V

DE ROMANO PONTIFICE

CAPUT I

DE ELECTIONE SUMMI PONTIFICIS

CAPUT II

DE LEGIBUS PONTIFICIIS

ARTICULUS I.

De legibus.

ARTICULUS II.

De consuetudine.

CAPUT III

DE RESCRIPTIS

CAPUT IV

DE PRIVILEGIO

CAPUT V

DE RELIQUIS JURIBUS ET INSIGNIBUS ROM. PONTIFICIS

TITULUS VI

DE ADJUTORIBUS ROMANI PONTIFICIS

CAPUT I

DE CARDINALIBUS

CAPUT II

DE CONGREGATIONIBUS ROMANIS

ARTICULUS I.

De congregationibus in specie.

ARTICULUS II.

De tribunalibus gratiæ.

De familia pontificia.

CAPUT III

DE LEGATIS ET DELEGATIS APOSTOLICIS

CAPUT IV

DE VICARIIS ET PRÆFECTIS APOSTOLICIS

TITULUS VII

DE PATRIARCHIS, PRIMATIBUS ET ARCHIEPISCOPIS

CAPUT I

DE PATRIARCHIS

CAPUT II

DE PRIMATIBUS

CAPUT III

DE ARCHIEPISCOPIS

TITULUS VIII

DE EPISCOPIS

CAPUT I

DE INSTITUTIONE CANONICA EPISCOPORUM

CAPUT II

DE JURIBUS EPISCOPI

CAPUT III

DE OFFICIIS EPISCOPORUM

CAPUT IV

DE MODIS QUIBUS CESSAT JURISDICTIO EPISCOPALIS

APPENDIX

DE EPISCOPIS TITULARIBUS ET COADJUTORIBUS

TITULUS IX

DE CONCILIIS

CAPUT I

DE CONCILIO ŒCUMENICO

CAPUT II

DE CONCILIIS PARTICULARIBUS

CAPUT III

DE SYNODO DIŒCESANA

TITULUS X

DE PRÆCIPUIS ADJUTORIBUS EPISCOPI

CAPUT I

DE VICARIO GENERALI

CAPUT II

DE VICARIO FORANEO

CAPUT III

DE CAPITULO ECCLESIÆ CATHEDRALIS

APPENDIX I

DE CAPITULIS IN LOCIS MISSIONUM

APPENDIX II

DE CONSULTORIBUS DIŒCESANIS

CAPUT IV

DE VICARIO CAPITULARI

APPENDIX

DE ADMINISTRATORE DIŒCESIS

TITULUS XI

DE PAROCHIS

CAPUT I

DE PAROCHIIS

CAPUT II

DE INSTITUTIONE CANONICA PAROCHORUM

CAPUT III

DE JURIBUS PAROCHORUM

CAPUT IV

DE OBLIGATIONIBUS PAROCHORUM

CAPUT V

DE AMISSIONE POTESTATIS PAROCHIALIS

TITULUS XII

DE VICARIIS ET COADJUTORIBUS PAROCHORUM

TITULUS XIII

DE CONFESSARIIS MONIALIUM

SECUNDA PARS

DE REGULARIBUS

TITULUS I

DE NATURA STATUS RELIGIOSI

TITULUS II

DE NOVIS ORDINIBUS, NOVISQUE MONASTERIIS ERIGENDIS

TITULUS III

DE INGRESSU IN RELIGIONEM ET DE NOVITIATU

TITULUS IV

DE PROFESSIONE RELIGIOSA

TITULUS V

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM

TITULUS VI

DE RECESSU A RELIGIONE

TERTIA PARS

DE LAICIS

TITULUS I

DE CONFRATERNITATIBUS

TITULUS II

DE FABRICIS ECCLESIARUM

FINIS.






LAW LIBRARY
University of Michigan
3 5112 105 406 963